9 De considerationis totius quæ propter diuina spectacula fit, fructu amplissimo ac dignitate.

Postremo loco breuis Apologia contra morsus inuidię, & pro quarundã rerum illustratione subiuncta est.

POSTERIORIS LIBRI CAPITA.

PRÆFATIO vel Isagoge aduersus calumniatores artis Cosmocritices, eosq; qui vel prædictionem penitus nullam ferunt, vel vltra fas hominis extendere consueuerunt.

1 De Prodigiosis euentibus, eorumque causis, & significatis, quæ ab anno 1555. calamitates atque ruinas Belgicas præcesserunt.

2 De hisce diuinis spectaculis quæ se sub afflictissimo Reipub. statu, atque in turbis mediis ante ora mortalium ostenderunt.

3 De Apparitione syderis noui, quo nihil vnquã à Christo nato inter res aspectabiles diuinius datum est. Vbi breuiter ac methodicè tum locus illius ac tota essentia, tùm decreti genera ad normam artis traditæ vestigantur.

4 De his quæ à Phænomeno syderis peregrini hactenus sunt secuta: deque venturi sæculi præsagio generali.

ADIECIMVS ISTIS,

1 Casum mirabilem excretæ anguillæ cum rebus aliis maximè peregrinis in puella Louaniẽsi.

2 Morbi pestilentis & rari descriptionem quo multa hominum millia perierũt annis duobus 1573. item 1574. vnà cum historiis admirandis diuersissimorum symptomatum: necnon medendi via in consimilibus morbis, & ad curationem præsidiis opportunis.

3 De vera peste anni 1574. eiusdem causis, characterismis, & methodo curatrice.

Postremò & alia quædam in operis calce, ab instituto non aliena.

DE NA-

DE NATVRÆ DIVINIS CHARACTERISMIS

LIBER PRIMVS.

Quo potissimum vniuersalis ratio artis COSMOCRITICAE continetur.

CAPVT PRIMVM.

De materie circa quam versetur facultas eiusmodi: de scopo, & partibus instituti: deque diuinorum omnium communissima notione.

VISA *mihi est magni oraculi loco vox illa Hippocratis, & nunquam satis interior virtus explorata sententiæ, qua libro Præsagiorum primo censet id expendendum Medico diligenter, siquid in morbis aut vlla naturæ constitutione* DIVINVM *late, quod et Græco nomine* TO ΘΕΙΟΝ *Veteres appellarũt: non aliàs sanè in vllo genere disciplinæ præstantem artificem fore existimans, quàm si non modò quæsierit τὰ παρὰ ποσὶ παρέοντα, & cuiusmodi passim vulgo sunt obuia, sed & peritiorum oculis semota longius summum suæ cognitionis desyderium in animo reliquerunt.*

Hoc ego quantumuis medicum θεώρημα cum infinitis alijs, locum habere non minus existimo in animi cura quàm corporis, in vniuersorum hominum & Reipubl. quàm pri-

uata & ſingulorum ſalute procuranda. Quid autem, vel quale ſit hoc Diuinum pauci intelligunt: ac nos pro noſtra virili idem ceu primum atque vtiliſsimum quæſituri, nunc vniuerſim in eo poſitum arbitramur: quòd peregrina ſpecie, multumq; incognita ſenſus animæ ferit: hinc mentem à ſenſibilium rerum ſimulachris, ad Naturæ cuiuſdam interioris non aſpectabilis formam, ac numen imuitat.

In quo diuinorum ratio potiſſimum colloc etur.

QVOD ſi iuxta Platonis methodum à primis velut carceribus, ac generaliſsima notione, ad ſpecies rerum eiuſmodi proficiſcendum eſt: Membra imprimis duo velut ſub Vno conſyderationis capite complectemur, ambo cognata connexaq; mutuò: vt extra cognitionem alterius alteram reperire non poſsis, veſtigare ſit difficillimum. Etenim Diuinorum omnium quæ notam aliquam ſuæ occultioris indolis repræſentant, alia quidem ab orbe condito ſtatim immutabili lege, ipſisq; inarata ſeminibus adhæreſcunt. quæ quamuis in naturæ fœcundiſsimo ſinu, rerumq; ſenſu perceptibilium claſſe contineantur, viriũ tamen ſuarum vel actionũ occultas premunt & abditas cauſas, non tam perſæpe Philoſophis quàm rudiori vulgo, & quarum intellectus non adeò rerum intima captat, ſed ſolùm in ſuperficie commoratur: vt ſunt ea quæ paſsim circa conſenſus, diſſenſusque latentiores in controuerſiam cadunt. Horum locus in vniuerſo eſt ab infima baſi ſiue materie, vſq; ad hominis mentem, quæ verè diuinis proxima, atque in ipſo naturæ mortalis & immortalis confinio ſita, nodus extremorum rectiſsimè definitur. Supra hanc aliud genus, quod Diuinum proprie nominamus, non inſculptum antiquitus, non perpetuum, ſed tamen ad hominis bonum noua prorſus, inſolitáque ratione locis, temporibus, aut etiam ſimulachris ſenſilibus illigatur: quicquid nimirum in homine microcoſmo vel mundi totius ambitu circunfuſo ab illa communi naturæ ſpecie, atque

Totius conſyderationis primacapita duo

Diuinorum prima & communiſſima diuiſio.

1 Diuina in rerum ſpecie comprehenſa ſiue perpetua.

Locus horum infra mentes à corpore ſeparatas.

2 Diuina propriè ſupra naturæ ſpeciem conſtituta.

Definitio.

que vsitata lege exorbitat, vt admiratione sui mortalium sensus animosque percellat. Id omne Græci Philosophi τῶν τεράτων, *Latini Monstrorum aut Prodigiorum nomine sunt complexi: nos autem* θείας ὀπτάσεις, χαρακτήρας, *vel Diuina spectacula maluimus appellare: quòd nullum eiusmodi sit, quin præsentis numinis aut diuinitatis alicuius manifestum indicium præ se ferat. Multa bis ipsis ab ostendendo, portendendo, præindicando, spectando, monstrandóque nomina tribuuntur. Quanquam rebus horrendis Monstri, Spectrique vocabulum melius quadret: Ostenta, Portenta, Prodigia spectare latius, eadémque cum toto genere videatur: ac rursus horum alia (ceu Monstri appellatio) rebus corporeis congruant, alia fortassis exactius rebus à corpore separatis, vt Spectri siue Phantasmatis. Omnium ratio non tam in rebus præter naturam atque in ordinis consecutione mirabili, vel signi ad rem signatam, in rebus tamen nõ adeò peregrinis apta similitudine collocatur. Reliquis verò deinceps ferè aut communis, aut anceps in vsum acceptio dimanauit.*

Nominum ratio.

Nominum ἐτυμολογία.

Monstra. Spectra. Ostenta. Portenta. Prodigia.

Omina.

PORRO *omnis consyderatio philosophica, vel nudam cognitionẽ rerum ante oculos ponit, quod genus* διαγνωστικὸν, διαγνωσικὸν *vocant: vel circa præsagia, aut prædictiones occupatur, Græcis* προγνωσικὸν, *vel* προρρητικὸν *dictum est: vel rerum agendarum rationes pro fine proponit, vnde &* πρακτικὸν, ἢ ποιητικὸν *appellatur, omnium sanè præstantissimum, sed prioribus ita connexum, vt & ex illis pendeat, & in eadem velut principia resoluatur. Nam & vniuersim Medicinam ita discreuit Hippocrates, vt alia quidem illius scripta aliam partem magis consyderent. Sed tamẽ vt Galeno interpreti placet, omnis quæstio ad posteriorem, atque dignissimam referatur, velut primarium scopum. Idcirco etenim ipsius Hippoc. lib. Præs. nisi occasiones amè præuide-*

Philosophicę quæstiones triplices.

Coniunctio Prædictionis & operationis in qualibet disciplina.

rit, victum aut medicamenta non posse à quoquam instituì rectè demonstrat: in epist. verò ad Philopomenen ita verbis expressis refert, Medicina & vaticinatio valde cognatæ sunt, quandoquidem & pater ambarum artium vnus est Apollo progenitor noster, præsentes morbos & futuros antè prædicens, ægrotos verò & ægrotaturos sanans. Atqui cùm illa de raris occultísque proprietatibus infinita quæstio sæpe & ab aliis ingeniosè sit pertractata: nos istic sublimiorem alteram, magisq; difficilem aperire conabimur, quòd eius speculatio quæstiones cæteras secum trahat atque inuoluat, & in illustriore speculo totius naturæ reconditæ mysteria comprehendat. Nos horum notitiam qualemcunq; ad vsum vitæ, ac fœlicitatis humanæ referentes, apto titulo artẽ quam piam vel θεοφυσικὴν, vel κοσμοκριτικὴν, etsi coacto vocabulo, nuncupamus: quòd Crises atq; mutationes ingentes tã in humana Republ. quàm reliquis vniuersi partibus doceat præsagire, præsentesq; rerum status conferre præteritis, vt ex vtrisque futurorum aliquis sensus obrepens vel ad occurrendum maturè consulat rationem, vel ad ferendum, constendúmue in vtrouis fortunæ genere animorum robur obfirmet.

Vtrum quæstionis genus hoc opere proponatur.

Cur ars Cosmocritice dicta.

Vtilitas.

SCIO *equidem plures eiusdem generis argumenta vel plenis voluminibus varia pertractasse: quorum principes Hieron. Fracost. de symp. & antipathia rerum: Ioh. Fernelius de abditis rerum causis: adde his Cardani ingentem farraginem, nec non Leuini Lemnij de naturæ occultis miraculis, Pomponatium de incãtamentis: de diuinationibus Gasparum Peucerum: qui & τερατοσκοπίαν doctissimè, vt cæteras partes, sed tamen obiter, explicauit. Vt interim sileam viros Platonicos Psellum, Marsilium Ficinum, & nostræ ætatis antesignanum Iac. Carpentarium, nimis heu præmatura morte sublatum. De monstris autem, prodigiis atque*

Quantum differat hæc traditio ab aliorũ scriptis, quorũ tamen argumentum simile videatur.

ominibus

omnibus magnas operum moles innumeri collegerunt: ſed (quantum hactenus horum euoluere datum fuit) omnes vel duntaxat vnicam partem, vel vtriuſque quæſtiones varias incerto quodam ordine ſunt aggreſſi, vel nudas propè hiſtorias rationum paucißimis velut emblematibus interiectis proſequuntur. Opus verò quo communißima quædam ex rebus diuinis præſagiendi ratio traderetur, à nemine hactenus exaratum eſt: quod tamen non ſolùm Theologis, Iuriſperitis, Mathematicis, Phyſicis longè ſit vtiliſſimum; ſed & Medicis neceſſarium, à cæteris denique facultatibus non alienum. Quin vti quod ſentio non minus verè quàm liberè dicam, tanta artis iſtius dignitas atque præſtantia eſt, vt cũ à ſolo propemodum pendeat intellectu, eius antiſtites olim pro Magis verè, & ſapientibus habiti ſint; nec vlla ſit humanarum rerum cognitio ſiue doctrina, quæ huius abſentia non laboret, ope præſenti non excolatur, ſplendore ampliſſimo nõ penitus illuſtretur. Verùm quòd ita ſeſe res habeat, ex ipſo totius demõſtratiuæ Methodi vel Epidexeos filo promptum eſt intelligere: quare iſtic differam paulò pòſt latius explicandum, quò nunc doctrinæ ſpeciem nudam, abſq; vllo verborum circuitu proponamus.

precipua operis forma, finis, atque materies.

Dignitas.

Artis Magicæ ſeu verę ſapiẽtiæ fundamentum.

AVDAX *hoc inſtitutum meum amplius inſtigauit nõ iuuenilis ardor, aut inconſulta temeritas: etſi quodammodo* τὰ ἐσκαμμένα *altius rapi fortaſſe à pluribus iudicabor: verùm huius ætatis inſigne prodigium nulli alteri à Chriſto nato tum pulchritudine, tum magnificentia comparandum. Id enim it a repentè exagitauit animum meum, vt velut afflatu ac furore percitus ferar, quò vix tranquillo pectore, aut pacatis ſenſibus aſpiraſſem. Videbam tot præceſſiſſe portenta, quæ prior ætas ad poſteritatis memoriam adnotaſſet: videbam hoc vnicum ſydus quo nihil diuinius vnquam temporibus afflictiſſimis mortalium oculis aperuit Deus. Gaui-*

Scribendi in hanc materiẽ primaoccaſio.

Prodigium extremè admirandum.

ſus ſum

ſus ſum ſupra modum, ac conditori meo gratiæs egi, quòd eo me produxerit ſæculo, quo non ſolùm per naturæ partes, partusq; innumeros, per ampliſſima teſtimonia patrum: ſed & per ſublimia maximè, ſeu ſapientiſſimis viris ſupra naturam ſtupenda miracula, oculis hiſce meis præſentem illius diuinitatem, maieſtatemq; gloriæ & ſpectare licuerit, & apud poſteros profiteri. Sciebam plurimos fore, qui propriis ingenij viribus nimiũ tributuri, ceu philoſophiæ legibus plus ſatis aſtricti, ac portentum illud inter Cometarum generæ referentes, magnitudini diuinæ clam detraherent, tum venturæ ætati & ſuæ, tum Deo ipſi multis modis iniurij. Quæ res effecit maximè, vt propter Medicinæ cultũ ſepoſita dudum Mathemata ac ſublimioris philoſophiæ ſtudia ceu poſtlimimo reuocarem. Merebatur meo iudicio ſpectaculum illud eadem opera contextum ſcribere eorum omnium quæ paulò antè præceſſerunt: quod ſecundo libro facturi ſumus. Verùm vt ſtrata denique ſit omnibus via, & curſus planior, difficilioribus ſcrupis & cautibus vndecunque ſublatis, equidem artis totius hoc διάγραμμα φυσικὸν exaraui, & præmittendum duxi: quo ſcilicet iuxta ἀναλογίαν cauſarum atque effectuum, ſeu proportionem inter agens & patiens, per vniuerſitatis innumeras partes ac membra digeſtã, præteritarum, præſentium ac futurarum rerum notiones elicere per diuina ſignacula naturæ rebus impreſſa diſcamus. Nam & ipſe diuinus Plato ἀναλογίαν τὴν γεωμετρικὴν verè ac græuiter non vno in loco δῶρον θεῶν appellat, eandemq́ue apud Euripidem Vlyſſes tãti ponderis atq; momenti eſſe teſtatur, vt nulla Reipubl. forma neque familiæ, citra hãc amuſſim conſtitui fœliciter, vel cõſiſtere poſſit. Quare & dignã materiem iudicaui quæ operi Cyclognomico proximè iũgeretur: cũ illius beneficio ſit inuenta & conſtituta, eandémq; rurſus velut ſoboles aut imago perſpicua, iure τῆς ἀντιπελαργίας illuſtret.

Ordo Analyticus.

Analogia Geometrica, eiú q; dignitas.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

De diuinitatis ſpecie per mundi partes vſquequaque diffuſa, ac totius Coſmocritices fundamento primo.

Quomodo de diuinis naturæ partibus inquirendum.

SCIO *quàm ſacra materies & vaſtum hic ſeſe diſputationis æquor aperiat, quando vel ſola vocabuli vis & communiſſima diuinitatis idea multos à limine ſæpe deterreat. Sed neque promittimus, neque noſtra eſt ea temeritas, omnem illius eſſentiam penitiſſimè ac velut conciſam in partes minutiſſimas more anatomico perſcrutari: ſed quantum modò ex ambitu generali per craſſiuſculam nubem ſeſe obijciat mentis aſpectui, quantumq; ad inſtituti robur, aut firmamentum poſſe ſufficere arbitramur.*

Galeni interpretatio circa vocabulum τὸ θεῖον.

MVLTA *etenim ſub diuinorum catalogo vel. Galeno interprete referuntur, ſed ille cum Epicuro nimium ſæpè intra corporeos fines, ac ſenſuum obiecta craſſiſſima voluitatur.*

Platonicorum ratio.

RECTIVS *antiqui Platonici, quò ſenſus non poterat, animorum acie pertingentes, mũdum in certa quædam ſegmenta, nunc plura nunc pauciora, ſed aliis alia diuiniora ordine tribuerunt.*

Septem diuinitatis claſſes in vtroque mundo.

ATQVI *naturæ infimum gradum in ſolis corporibus atque materie collocabant, ſupra corpus ſyndromen phyſicam, ſiue materiæ præparamentum advinciendas, ſuſcipiẽdasq; formas ex qualitatibus primis, ſecundis, tertiis, atque adeò figurarum innumeris differentiis comparatum. Supra ſyndromen, ſpiritum. Supra ſpiritum animæ carpẽtum, ſiue Eidolon æthereum fabricarunt. Tandem in hoc ipſo vehiculo animam totius corporis præſidem, vti rurſus in anima mẽtem, in mente communem intellectum, vel, vt planius dicã, Deum naturæ totius centrum atque apicem poſuerunt, quæ Mercurius ille termax. verbo penè complexus ait: Materiæ* Merc. Trilin.

namque

namque purissimus aër, aëris animæ, animæ Mens, Mentis denique Deus.

Omnia diuini radij ideis esse plenissima. Primum Theorema ad artis demõstrationem necessarium.

CVM *autem illius Bonitas, id est, Potestas, Amor, Sapientia, hinc longè lateq; diffusa per intermedios orbes cuncta ideis repleat, nullamq; peripheriæ partem relinquat intactam: meritò in omnibus omnia dixit Hippocrates lib. de Locis humanis, & ipso Hippocrate antiquior Anaxagoras: ac nos virtute illius radij, ab infinito centro ad infinitam circunferentiam excurrentis, diuinum aliquid in omnibus (etiam concretæ ac dissolubilis naturæ partibus) æstimamus.*

1. Diuinorum gradus in ipsa Materie.

IN *materiæ quidem quantitatem ac suam infinitudinem, propter quam Galenus imprimis rem medicam satis ambiguam, & velut coniecturis obnoxiam fecit. Ego nec artes facultatesq; cæteras eandem ob causam solidas reor, aut ab opinionum fallacia sequestratas: vt nihil vérius, quàm illud Socraticum, nihil sciri penitus in hoc orbe mortali, nisi fortassis (vt sic loquar) vniuersaliter, ac sub notione confusa.*

Secundus diuinorum gradus in mistionis forma.

SIMILITER *in corporibus & qualitatum* συγκρασία, *& figurarum* συμμετρία *sæpè tam intricata est, vt propter misturæ, & proportionis occultas species, ne quidem naturæ suæ nomina (quantumuis apud peritos artifices) consequatur. vnde ad communem anchoram totius formæ, vel occultæ proprietatis, Medici persæpe confugiũt, dum dubitant cur magnes trahat vel abigat ferrum, auro tam promptè hydrargyrion adhærescat, succus plantaginis febres quartanas, comitiales paroxismos pæoniæ radix collo appensa discutiat, &c. quæ propter misturæ inæqualitatem etiam in similari corpore, atque humido protogenio à veteribus animaduersam (quando alias vires in profundo, alias in superficie statuebant) ad latentes pertinent rerum omnium sympatheias & antipatheias, ideóque & diuinorum*

generi

generi accenſentur: quanquam non aptè Galenus (vt pace dixerim tanti viri) facultatem eiuſmodi à tota forma viſus ſit nominaſſe, formas propemodum vniuerſas ſubinde & animam ipſam (licet dubitanter) in elementorum commiſtione conſtituens; nec magis merentur veniam, qui cum Fernelio hanc facultatem abditam in vno ſpiritu eſſe dixerunt, cùm rei cuiuſuis actio ſit ab anima, per ſpiritum, per materiem ſiue corpoream molem.

Occulta proprietas apud medicos.

VERVM *in ſpiritu rectius illud diuinũ ducimus, quidquid vel per ideam animæ ſit, (vt in formatione fœtus, quæ ab inſidente ſpiritu genituræ tota perficitur, ad normam ſcilicet exemplaris vnde defluxit) vel per afflatus cæleſtium radiorum, vt ſunt ferè opera omnia caloris natiui, quem ex naturæ duplici conſtare non dubito. hæc enim talia ſunt vt ab alio quouis igne præſtari non poſſint. Differunt eadem ad inſpiratus differentiam in genere, in ſpeciebus ſingulis, etiam in naturis indiuiduis. Nam cùm extremorum nodus et vinculum ſit ſpiritus, naturæ ſuæ cognatione pariter vtrumque reſpiciens, non mirum ſi in homine animam corpori, in exteriore circuitu cæleſtem vim ſublunaribus iungat, vtrobique facultates corporeas incorporeis, & inter ſe miſceat omnium rerum agentium ac paſſibilium ſeminarias rationes: cùm ſit omnium particeps, omnia per omnia trahat, res diuerſiſſimas in ſpeciem vnius perpetua motuum contrariorum viciſſitudine (nunc adtractione ſcilicet, nunc pulſione, nunc ſui reuolutione) componens: quem triplicem illi motum deſignat occultis admodum notis plusquam diuinus Hipp. libro De diæta 1. & lib. De inſomniis.*

Tertius diuinorum gradus in ſpiritu.

Spiritus potestates.

3. Spirituum motus.

SVPRA *hunc ſpiritum illuſtriora longè diuinitatis inſignia rerum opifex collocauit, humanis non ſenſibus tantùm, ſed & rationum diſcurſibus amãdata. In anima quidem præter infandam ſubſtantiam facultatum, latet imprimis vnitas*

Quartus diuinorum gradus in anima eiuſque vehiculo.

mis vnitas omnium atque distinctio, tota per totam æquabili lege digesta & ad conditoris similitudinem exarata.

Animæ stupenda vis & dignitas.

Illud verò omni miraculo maius, quo pacto in homine sua obtineat ab origine & phantasia & rationis & intellectus occulta seminaria speciesq; à sensu externo, cõmunes notiones conceptusq; à mente superna hauriat, eademq; componat, composita in ordinem redigat, ordinata constanti memoriæ mandet, vbi tanquam in opulentiissimo penu pauli sper lateant, suo loco & tempore per cognatas, pugnantesq; imagines occurrentium rerum, rursus compositionis diuisionisq; arbitrium subitura. Sunt igitur rationes in anima vel etiam intelligentia quauis superiore, ex illorum genere quæ maximè diuina vocamus; dum ex diuersis facultatibus quæ prima fœtus formatio locorum pariter ac temporum ratione distinxit, sic vna potestas animæ atque entelechia consurgit, vti ex triangulis pluribus coagmentatis inuicem figuræ quatuor, vel quinque, vel plurium laterum simplices efflorescunt, nulla apparente pluralitatis nota, nisi quã mentis resolutio per lineas chordæ interspiẽtis expressérit: dum rursus in natura simpliciſsima ita compositæ vires, motusq; diuersi quibus non modò ab inferis sursum scandit, sed & à supernis deorsum labitur, & ad normam omnium æternorum infinito circuitu reuoluitur in seipsam.

Animæ compositio vt figurarum ex triangulis.

Quintus diuinorum gradus in Angelis vsque ad mentẽ architectricẽ.

IN *Angelis demum, intellectuq; communi (quem Mentem architectricem vocat Mercurius) diuina sunt omnia, potestate infinita adeò in vnitatem perpetuam conspirante, vt nec vnitas illa omnipotens, neque potestas vna aliter ab homine cognoscatur, quàm more quodam corporeo, id est, sub ænigmatis specie ac per metaphoram. quare & poëta termaximus nostram cognitionem in nube depinxit, quæ nunc obducta tuenti Mortales hebetat visus atque humida circumcaligat, nisi Venus illa cælestis purificatis animis*

ænimis eandem lucis ſuæ ſplendore diſcuſſerit.

Scalæ totius vtilitas.

PROINDE *nequid lateret penitus humanæ mentis vim infinitam qua dis proximi ſumus : voluit rerum ſummus opifex hominem velut totius mundanæ machinæ finem, in hoc theatro ampliſſimo cmi ſcari, non tãtùm vt orbis ſublunaris incolam, qui cum cæteris ſui generis vnam rempubl. efformaret ad inſtar cæleſtis illius atque intelligibilis hierarchiæ: ſed & vt ſpectatorem quempiam omnium diuinorum, qui ex præſentium rerum, præteritarumq; intuitu, & futura præſagiret, & gloriam parentis ſui incorporei per res corporeas loco & tempori illigatas aliquando cognoſceret: cognoſcens deinde amaret ardentiſſimè, aſcenſuq; ad ſuperos facto ipſi ſe iungeret, ſupráque philoſophorum gentilium ſortem etiam toti totum ſe glutinans, omnem ſuarum virium harmoniam ipſius bonitati & gloriæ cõformaret. quod quidem duplici ratione abſoluitur, dum inter conciues ſuos ad amuſſim legum diuinarum ſuo quemque officio iuuat, amplectitur, veneratur: Deum verò mentesqúe ſuperiores iuſtis & hymnis & precibus in contemplatione perpetua et gratiarum actione concelebrat.*

7 Gradus, vel 5. vniuerſi ad ternarium in mundo tripli. ci reducũtur.

ITAQVE *vt in corporeum cærcerem delapſus animus ad perpetuam lucem ſe tanquam per gradus quoſdam rurſus erigeret, in homine quidem continuus eſt aſcenſus à corpore per ſpiritum ad animam interiorem: in mundo circumfuſo à mixtis & elementis per ætherem vſque ad cæleſtia: in humana repub. à regnis & ciuitatibus ad naturæ totius œconomiam velut exemplar antiquius, & hinc ad mundum incorporeum, ac Deum ipſum velut archetypum omnis iuſtitiæ ac veritatis. Quæ omnis philoſophiæ ratio ne petatur longius, luculenter in ſacris paſſim hiſtoriis, ac diuinorum vatum hymnis pulcherrimis aperitur.*

CAPVT TERTIVM.

Quòd per eandem diuinę virtutis Ideam omnium rerum rationes in omnibus mundi particulis eluceſcant.

Concluſio primi Theorematis, diuinitatis ſpeciē in cunctis naturę partibus eluceſcere.

HOc ergo ſit primum artis noſtræ fundamentum, ſplendorem ſolis æterni, cuius nunc tantùm imago quædam ſenſibilis quotidie ante ora atque oculos obuerſatur, omnemq; diuinitatis ſpeciem in membris ſingulis vniuerſi & naturæ partibus exculpſiſſe, quanquam pro gradu cuiusq; ſiue receſſus modo verſus materiem, illius veſtigia languidius iſtic, alibi expreſſius oſtendantur. Non eſt quòd modò Galeni ſententia vel aliorum veterum in exponendo Hipp. nos moretur, dum plerique τὸ θεῖον ad criſes morborum, aut certas periodos, plurimi ad conſtitutiones aëris peſtilentes & mirificas temporum viciſſitudines retulerunt, vt ex com. 1. in prognoſt. patet. Nos illud Hippocratis dictum ſanctius multò atque auguſtius interpretati, totius cōtextus qui deinceps trahitur velut anſam primariam cōſtituimus, atque adiungimus alterum velut ſuperioris corollarium, quo probè perſpecto reliqua omnis per ſe manifeſta ac nullius demonſtrationis indiga erit oratio: veriſſimè ſcilicet dictum eſſe à Platonicis quondam, atque ab ipſo antiquiore Hippocrate, Totum illud quod mundus vel vniuerſum dicitur, eſſe quoddam animal vnum cui Mens vnica vel animus vnus vno ſpiritu præditus, per corpus vnicum ſit ſumma æquabilitate diffuſus. hoc enim non tam humana ratio, quàm totius ordinis pulchritudo, partium ſingularum & actionum conſpiratio, ex intellectus vi & poteſtate demonſtrat. Cenſemus itaq; mundum hunc vnum pariter atq; multiplicem in mundos plurimos aptè diſtribui velut articulos, & membra naturæ tū ſimilis tū diſſimilis, quæ ex lite in amicitiā coeāt, ex pluralitate infinita rurſus in formam vnicam redigātur.

Galeni interpretatio repudiatur.

Secundum Theorema ex priore dependens. Mundum pariter vnum atque multiplicē ad inſtar animalis.

PRÆ-

PRÆTER *itaque ſupremum illum & incorporeum mundum, à quo cætera pendent, tres ſunt corporei, nexu cõtinuo, ac velut cathena aurea copulati, maior, minor, ac inter vtrunque humana reſpub.*

Mundi ſenſibiles 3. mutuo cohærentes.

VT autem à primis & communiſſimis ordiamur, orbem hunc circumfuſum paulisper cum homine comparemus. Vtrique vt vna materies, ita & ſecundum proportionem corporis adæquata partitio eſt. Conſtant itaque ex formis pugnantibus inuicem, ſed quarum diſcordia ad totius integritatem ac pulchritudinem ſpectet. Vtrobique ex principijs antiquiſſimis prima & ſimpliciſſima eſt elementorum conformatio, ex elementis ſimplicibus alia craſſiora, quæ miſta primæ compoſitionis appello, cuiuſmodi 4. in cunctis corporibus facilè ipſius ignis chymica reſolutione deprehendes: Craſſamentum terreum ſcilicet velut fœcem: Gluten materiale, quo terræ particulæ cõtinentur: Pingue item primogeneum, velut oleum, ac pabulum caloris innati: ac poſtremo Subſtantiam fumidam ſpiritali proximam, vt ex Hipp. libro de carnibus liquidò conſtat: cuius principia quidam tenebriones ſibi ineptiſſimè vendicantes, Medicinam nouam ſe ſomniaſſe in populo iactitant, manca pariter & abſurdiſſima demonſtratione tria rerum elementa ponentes, Salem, Sulphur, & Mercurium: cùm interim nihil niſi nomina rerum prorſus inuertant, res autem pro ſua libidine ad vnam chymiſticam rapiẽtes, eiuſmodi volunt quales rationum ex-pers experientia, & principiorum altiſſimorum auctoritas malè intellecta perſuaſit. Porrò vt redeam vnde digreſſus, hæc compoſitioris nominis elementa corporibus proxima, duplices quodãmodo faciunt Aporrheias, quæ Latinis efflumia rectè dicuntur: vapores ab humida ſubſtantia dimanantes, exhalationes à ſiccíore. Similiter in vtroque mundo 4. inuicem concurrentia partes conſtituunt ſimilares, carneas &

Mundi maioris ac minoris comparatio.

1 Comparatio in principiis primis & elementis.

Elementa ſecundæ compoſitionis 4.

Hæreſis Chymicarum.

Efflmuiorum genera 2.

Secunda comparatio in cõpoſitione partium ſimilarium & inſtrumentorum.

ſpermaticas; ex quibus tandem & inſtrumenta minora reſultant, vti ex hiſce maiora ordine, donec vnius organi abſoluta perfectio ab anima influente regatur. Sed hæc tam diuerſa ſpecie, tam compoſitionis ordine diſparata, nunquid ad vnam conuenũt εὐφυΐαν? Certè ſicut in vniuerſo omnes planetæ ad Solem vnicum ſpectant, ſicut in oculo tres præ-puæ tunicæ, triplicia vaſorum genera, tres denique humores loco, ſpecie, & conformatione diſtincti, cuncta pariter ad vnius organi viſus facultatem ſunt inſtituta; ita et ſenſuũ organa reliquorum, cum tota corporis mole, ad corpus vnicum; ſpiritus tres, ad ſpiritum vnum; facultates triplices ad vnam ἐντελέχειαν; poſtremo corpus, anima, ſpiritus ad totius hominis conſtitutionem mirabili conſenſione reſpiciunt. Eadem prorſus de hominibus multis, hinc inde collectis, in formam vnius ciuitatis; de legibus ſingulis diuinis, humanis & naturalibus, in ſpeciem iuſtitiæ vnius: de ſublunaris mundi partibus æthereis, atque cœleſtibus de corpore ſpiritu atq; anima mundi contextis ad ſpeciem magni animalis facile eſt cogitare; vtque adeò ad æternitatis inſtar forma ipſius vniuerſi in ſe reducta eſt circularis, certaq; totius ſe reuolutione circumagit, idem in omnibus illius membris, (vel ſi ad ſcrupula progrediaris) in homine potiſſimum, humanáque ſocietate quampromptiſſimè deprehendes.

Reductio tonorum omnium & diuerſiſſimarũ partium in vnitatem.

QVOD *ſi ſingulatim omnem hanc conſenſionis legem quis volet excutere, opus ſanè ſuſceperit infinitum, & cui ſi ſemel vela pandimus, in portum ſeſe recipere difficillimum erit. Illud ſuffecerit ſemel è ſapientum penetralibus hauſtũ, nihil in cælo eſſe, quod ſecundum analogiam non ſit in æthere, atque elementis: nihil in iſtis omnibus, quod non in homine, & ciuitate optimè conſtituta, ſingulisq; particulis, ab vna anima per eundem ſpiritum copulatis. Eſt enim in nobis cæleſtis quædam portio, ſublunaris altera, & quæ in vtriuſque*

Omnia in omnibus mundi partibus ſecũdum analogiam.

Conſenſus in vtroq; mũdo maiore & minore vberior explicatio.

vtriusque confinio posita, velut æther quispiam vires vtrinq; coniungat: præsertim si consensum videas vel viscerum internorum cum externis sedibus, per intermedios riuos humorum atque spirituum: vel inter viscera rursus quo pacto superna infimis per media committãtur, quod & spiritibus, & partibus animæ totius pari proportione respondet. Similiter in corpore, in anima, in spiritu suæ sunt stellæ, sui axes, centra, & circuli, zonæ & climata; in cælo suæ plantæ & animalia, sua viscera, tunicæ, musculi, venæ, arteriæ, nerui; suum caput, cor, hepar; suus spiritus vitalis, animalis, naturalis; sua anima concupiscibilis, irascibilis, rationalis: vt nullum sit apud philosophos verius dictũ neque celebrius, quàm omnia in omnibus esse, & cum maximis minima quæque ὁμοεθνίην perpetuam obtinere. vnde & Proclus libro de magia & sacrificio, sacerdotes olim ac verissimos amatores, aiebat ab illa pulchritudine quæ circa sensus apparet, ad diuinã pulchritudinem sensim ratione progressos: quia considerarẽt in rebus naturæ cognationem quandam & perennis consortij leges, quibus & compati mutuò, & vires conserere videantur, vt tandem affectibus amatorijs omnia permiscentes vniuersum hoc more Hippocratis σύνοιαν καὶ ἐκπνοεῖναι, id est, conspirabile prorsus & expirabile quoddã animal esse voluerint, sacram inde scientiam veræ magiæ nomine componentes, in illa causarum effectuumq; in vniuersarum partium mutua conspiratione defixam. Agnouerunt enim (vt idẽ paulò pòst refert) in infimis suprema, & in supremis infima: in cælo quidem terrena secundum causam modoq; cæleſti, in terra verò cælestia, sed more terreno. quare & diuinas virtutes ad locum inferiorem quadam similitudine deduxerunt, nam (vt verbis illius vtar) ipsa sufficiens causa est ad res singulas inuicem vinciendas, dum cunctæ precantur, & hymnos concinunt ad sui ordinis duces, licet alia in-

Vera magiæ eiúsque fons & ratio.

Cognationis ac similitudinis ordo vinculum vniuersi.

tellectuali, modo alia rationali, alia denique naturali, quod & Galenus ætate grandior in Platone iam magis magisq; versatus oportunè considerans libro nono de Pal. Hipp. & Plat. primam laboris partem in cognoscenda materie duxit, alteram in rerum similitudine ac dissimilitudine vestigenda.

Diuinorum omnia plena.

SIC itaque diuinorum omnia plena, terrena quidē cælestium, cælestia verò supercælestium: procedituq; istorum ordinum quilibet vsque ad extremum. Sic vt eorum diuisio teste Plotino potestatem vnamquamque debilitet, vnio verò & compositio restituat in exemplaris ideam. Quæ cùm ex antiquis Mercurij & Pythagoræ monimentis colligeret Plato, eandem voluit postremò & animorum et corporum Medicinam: ideoq; in regibus instituendis aut efformanda repubi. primùm habuit ad naturam vnius hominis intueri; postea quoque ad illos stellarum ordines ac totius ambitus œconomiam. Nam quæ eidem tertio sunt similia, eadem congruunt inter se.

Concluditur vnam esse artem curandorum corporū, animorum ac totius reip.

3 Comparatio in affectuum similitudine.

ERGO quemadmodum in apta societate partium, figuris ac temperamentis inuicem conspirantibus, sanitas cōstituta est, sic & in omni recessu, qui ab æqualitate infra, supráue naturæ leges exorbitat, dum actiones vitiat morbus æstimatur. quod & in regno & ciuitatibus locū habet: hinc enim & sanitas, & insalubris status, & neuter. Morbi verò vel in contentis, siue humoribus, vel aliqua continente particula, vel in spiritibus, vel in anima ipsa: atque ex corpore modò in animam, ex hac vicissim in corpus persæpe refunditur. Constat hæc similiter in republ. laborant prius nūc summa, nunc mediæ partes, nunc infimæ: fiunt æstus quidam reciproci, quales vaporum, exhalationum in aëre ambiente: Quin quales ibidem roris, pluuiæ, ventorum, fulgurum, terræmotuum generatio est: sic & opinionum diuersissimarum

siue

siue schismaton, seditionis in populo, tyrannidis, pacis & belli, & aliorum istiusmodi: sic & in humanis visceribus contrariorum affectuum, atque dolorum tempestates variæ concitantur. Nam & Galenus eandem flatuum generationem ostendit in nobis, cũ ea quæ fit in orbe sublunari. Hipp. libro De natura pueri, communem nobis & plantis nõ modò morborum & sanitatis, verùm ortus quoque totius atq; interitus, augmenti, status, decrementi effigiem exarauit. Catharri & fluxiones, Græcis ῥεύματα quid aliud sunt quã pluuiæ, niues & grãdines? Epilepsiæ, vertigines, inflãmationes, febres; quã fulgura, fulgetra, chasmata, tonitrua; & id genus ignis quædã deluuia? Apoplexiæ, comata, cataphoræ et reliqui soporiferi morbi, quàm defectus luminũ, inundationes aquæ & cataclysmi? Dolores nephritici, podagrici; quàm partus monstrosi, & res in locis visæ non suis, sed toto genere præter naturam? Quid aliud dolores colici, hysterici, hypochondriaci; quàm vẽtorum turbines, euersiones aggerum, & sæuissimi terræmotus? complicatis inuicem intra terræ viscera & concertantibus contrariis elementis ignis & aquæ, seu bilis & pituitæ, quæ sola sufficere dixit Hippoc. libro De morbis 1.

μετέωρα in vniuerso vt morbi in homine.

PORRO *vt circa morbum vel sanitatem corporis nostri in omni causarum genere quiddam est proximum, præcedens aliud, tertium verò iuxta synthesim omnium primũ idemq; in resolutionẽ nouissimum: sic tamen vt omnes mediæ causæ vires à prima ad fines vltimos velut per manus ducant: similiter etiam in publicis malis bonísue, cùm ferè de causis sit prima ac grauissima dubitatio, nectuntur primis mediæ atque postremæ vel proximæ rebus effectis: interdum verò incerta est ordinis ratio propter concursum: sæpe & recursus quidam, & reuolutio, ab effectibus scilicet ad suas causas, atque in hoc curriculo fati, nunc continuata*

Quarta comparatio vel analogia mundi vtriusque in causis affectuum.

ſpecies viſitur, nunc modis pluribus interrupta.

Quinta comparatio in Prognoſtica parte & ſignotum analogia.

IAM *ex illa cauſarum ratione perſpecta (quam Hipp. non inquirẽdam vulgariter voluit, verùm* ἐν τῷ ἀμερεῖ, *id eſt ad naturam vſque inſectilem, atque extremos carceres rationum) dependet pari propemodum legum & ſanorum affinitate pars ſimeiotica. Eadem methodo docentur vbiq; tempeſtatum, tranquillitatis in aëre ſigna: morborum & ſanitatis in humano corpore: pacis, belli, contentionis & amicitiæ in ciuitate. Nam & alia ſunt quæ præſentem conſtitutionem, cuiuſmodi ſit, aperiant: alia quæ venturas comminus, eminus monſtrent. & inter ea quæ præſentium ſunt indicia, pleraq; τὸ ὅτι hoc vel illud eſſe ſignificant, alia δι' ὅτι cauſam affectionis aperiunt nunc præcedentẽ, nunc extrinſecam, nunc quoque naturam intumam, & qualitatem. Sic & inter prognoſtica, quædam quæ futura ſimpliciter docẽt, multa quæ & genus euentus, tempus & modum.*

Signa quotuplicia.

Sexta comparatio in toto Praxeos artificio.

POSTREMO *& Medicina Therapeutica totius conſyderationis ſcopus & finis, eandem in omnibus viam, & methodum ex vna cauſarum inuentione conſequitur. Sicut enim in homine ſanitatis conſeruatio per ſimilia eſt, curatio per contraria: ſic & in animi morbis ſacri ſacerdotes, in afflictione publica reges & principes, olim philoſophi teſte Proclo, per mutuam rerum cognationem, compaſſionem q; conducebant in vnum, per repugnantiam purificantes quod alienum erat, quodq; corruptum aut putidum caſtigabant. Sunt igitur vbique & curationis eadem principia, leges, apoteleſmata, eædem endeixes, & rerum agendarum ſcopi, idem reſolutorius, compoſitorius ordo, in cauſarum cognitione prius, deinde & iuſta applicatione conſiſtẽs, quemadmodum in noſtra Methodo Cyclognom. latius definitũ eſt. Paucis exemplis dictorum illuſtrabitur fides, ſi quæ paſſim ſub patentiore generis inuolucro ab Hipp. ſunt prolata, excuſſeris*

Vna Triplicis medicinæ cõmuniſſima ratio.

Eadem principia.

Eadem methodus.

cusseris diligenter. Extremos videlicet corporum status esse imprimis periculosos, nec posse consistere. Talia purganda esse, qualia confert ac leuiter ferunt. Spectandam esse cuiusque naturam loci, consuetudinis, temporis, ætatis, vnumquemq; assuescere debere contrariis. Mutationes tamen subitas nunquam vacare periculo: quod verò paulatim fit, tuta progredi ac certiore via. Summis morbis summa adhibenda remedia. Duobus vrgentibus malis, quod minus est ab altero obscurari. Concocta medicanda, non autem cruda nisi turgeant. Si quis dolorem aliqua parte corporis habeat, eumq; non sentiat, illi mens ægrotat. Dum pus conficitur, dolores ac febres magis accidunt, quam confecto. Qui non cum ratione leniter, vel peius se habent, fidere non oportet, neque si statim non successerit quod cœptum est cum ratione, ad alia temerè transeundum, dum manet quod ab initio visum est. Quæ iudicata sunt integrè, mouere non oportet. Quæ ducenda sunt, eò ducere conuenit quò natura corporis vocat. Et id genus sexcenta alia, de quibus dici non facilè possit, vtrum ad medicinam propius spectent, quã iurisprudentiam, aut theologicam facultatem.

Septima comparatio in ipsis operibus artium circa triplicẽ mundum.

EATVR *ad praxeos artificium: nunquid in casibus illis humanis primùm videre conuenit, non solùm quo auctore vnumquodq; dependeat, sed & illa quæ ordine antecedunt & comitantur? Certè nisi hic quisque Ianum sese trioscopum præstet, nullus erit. Primum itaque fuerit, causis cognitis, proximas oppugnare: quæ si ab alijs nexu continuo soueantur, ad priores illas deinceps progrediendum, ne capitali ansa permanente, malorum recursus, atque perennes circuli committantur.*

1. Curationis ordo & regulæ 1.

2.

Nam luctata canis nodum arripit, attamen illi,
Cùm fugit, à collo trahitur pars longa catenæ.

vt apud Persium est Satyr. 5. *Si quatamen obstacula co-*

natus præcipuos remorentur, sæpe & illa sunt prius remouẽda: quanquam sæpe ex effectuum potius, quàm causarum genere videantur. Atqui vt summatim cuncta concludam,

Summa totius Methodi curatricis.

tunc curabitur morbus, quando pro natura corporum, affectionum, materiæ scilicet, loco, specie, magnitudine, tempore, remediorum omnium ad vnguem sit explorata proportio. Nam (vt ostendimus) omnis methodi ratio consistit in vna causarum agentium ac passibilium analogia, quam & suo loco reperire docuimus, quo fit vt iuxta æstimemus Empyricos in arte medica, cum sutoribus istiusmodi qui cunctos calceant vno calypodio: cum inexperto nauita, qui nec maris æstus, nec altitudinem norit, nec cæli tractus, ventorumq; necessitudines antea explorauit: cum gubernatoribus regni, vel principibus imperitis, qui cuique regioni aut populo si quid acciderit, ijsdem occurrendum remedijs arbitrantur. vt proinde iusta indignatione commotus Satyricus exclamarit,

Non prætoris erat stultis dare tenuia rerum
Officia, atq; vsum rapidæ permittere vitæ.
Sambucam citius caloni aptaueris alto. ac paulò pòst,
Diluis elleborum, certo compescere puncto
Nescius examen, vetat hoc natura medendi.
Nauem si poscat sibi peronatus arator
Luciferi rudis, exclamet Melicerta perisse
Frontem de rebus &c. Sat. 5.

CAPVT QVARTVM.

De diuinorum spectaculorum differentiis, & cur mutationum maximarum ceu signa critica censeantur.

Quorsum præcedens sermo contulerit.

SED constituta nunc ad amussim totius ædificij basi, ac monogrammatibus primis: ad illud venimus, quod propositum

positum ab initio fuit: Prodigiorum scilicet, quæ mundum hunc triplicem incerto circuitu peruagantur, naturā ac differentias, causas atque præsagia pro humanis viribus indagare: quod non difficile fuerit nobis, ex anteacto sermone ceu communi quodam naturæ promptuario pastis, ac roboratis; si generali tantùm, & quæ concessa est homini cognitione contenti, certos tum ingenij limites tum prouidentiæ statuamus. alioqui difficillimū, imò supra sortem generis nostri, si magis magisq; frangentes aciem intellectus ad particularia descendamus; rationes occultas anxiè nimis, aut superstitiosius iusto in singulis inquirentes.

Quomodo de diuinis differendum.

CONSTAT *imprimis omne portentum siue prodigium inter res vniuersi ceu diuinorum prima insignia humanis animis apparere, quanquam ea quæ semel rebus infusa mens procreauit, cuncta quidem sint pro miraculis æstimāda, neque quicquam tam sit exiguum, quod omnipotentis opificis sui gloriam non attestetur, Galeno ipso (velit nolit) tanto-pere inter suas anatomes vel pedem vnius pulicis admirante. Hæc tamen omnia iam propè vulgata consuetudine ab illa prodigiorum classe voluimus exulare, tum quòd insolita non dicantur nec rara specie, (quanquam, quo magis incūbas, magis attonitum reddunt) tum quòd constanti serie quam acceperint semel à mundi cunabulis, perseuerent. etsi res naturales sæpe prodigiosis annumerent, quòd raræ, sublimes & efficaces: sæpe & portentis veris causam ac somitem subministrent: ferè & prodigia in naturæ sensibilis gremio, tanquam formæ exteriores in suis subiectis, & sedibus contineantur.*

Propria prodigiorum ratio quo pacto ab illegitima distinguatur.

FIVNT *igitur portenta in parte qualibet descripti iam dudum triplicis mundi, vt tota illorum varietas, à locis affectis sumenda potissimum videatur.*

1 Prodigiorū prima distinctio à sedibus vniuersi.

PRIMO *quidem in homine nunc humores obsident,*

1

nunc

nunc certam corporis partem, quandoque spiritus tantùm, vel internum animæ penetrale. estq; affectionis modus, vel quantitatis insolitæ, vel qualitatis ac temperamenti, vel figurarum, vel totius mistionis, quam substantiã appellarũt.

2 Altera distinctio à forma vel specie.

2 SIMILITER *in mundi theatro amplissimo prodigia fiunt, in terris, in aquis, in aëre, in cælo, quæ rursum vbique modò contentis modò continentibus rebus obueniunt.*

Applicatio primi ac secũdi Theorematis ad ostẽdendas prodigiorum differentias primas.

3 POSTREMO *in ciuitate siue repub. nunc reges atq; magnates, nunc duces & principes classis inferiores, nunc sortis infimæ homunciones affici consueuerunt: atque vt in hominibus singulis terrarum q; partibus infinitis fiunt nunc ignis, nunc aquæ diluuia, ad rerum innouandas, exagitandasq; vicissitudines oportuna: sic & respubl. vel ciuitates sæpe ex libertate nimia, sæpe ob tyrannidem distractis visceribus pessundantur, ac modò torpore, luxu, lasciuia diffluũt animi; modò bellorum turbine, morborum diluuiorum q; infinitis calamitatibus absorbentur. Quin vt inter morbos causam alij ex naturæ legibus trahunt, alij à sublimiori principio proficiscuntur; sic & portentis pluribus sua quædam assignari ratio potest, aliis nulla nisi diuina, plerisque duplex ratio subest physica, partim & naturalis, partim & altera supra naturam.*

Tertia diuisio à principiis effectiuis

Concluditur prodigia esse signa critica mutationis in vniuerso.

EX *quibus & illud effici video, cuncta ferè prodigia nobis diuinitus mitti velut critica signa, siue præniũcia, quæ rerum infandas vicissitudines solẽt præcurrere, nõ secus quàm illa minora affectionum genera (ceu efflorescentiæ raræ, colores, tumores q; & motus homini præter naturam in rebus contentis vel continẽtibus obseruantur) maius quiddam impendere significant: id q; multiplici modo, dum aliàs in vno mundorum genere fiunt, & alteri portenduntur, aliàs & signa & effectus cum causis intra vnius mundi limites perseuerant. Quare rem omnem sic optimè comprẽhendemus; quemad-*

4 Quarta diuisio à modo apparitionis.

quemadmodum morbo acuto laborantibus certi sunt indices dies, certi qui & iudices appellantur, litem quæ naturæ cum morbo est, præstantiore officio dirimentes. Ante hanc crisim siue iudicium quo ferè ad peius, melius, mortem aut salutem, repentina fit commutatio, corpus concutitur vniuersum, fit conflictus validus, & signa apparent horrenda astantibus, sæpe ipsa morte terribiliora, quæ rursus euentus speciẽ, modumq; & qualitatem præsignificant, prout humores antè fuerint præparati, & virium corporis ad morbi magnitudinem relicta proportio. Hæc autem non temerè dicta facilè sciet, quisquis historias sacras pariter ac profanas euoluens certum confecerit epilogismum. Nam & circa creationem Mundi quanta septenarij dignitas aperitur? De quo plura diuinus Philo libro de opificio Mundi. Hipp. quoque de septimestri partu. Circa diluuium Noës imprimis septimi ac vigesimi septimi mensis mentio facta est, diei decimi septimi Quadrag. Anni verò quadragesimi, circa visitationem populi Israëlitici in Aegypto. Post decem plagas vndecima certè Pharaonem cum exercitu illius vniuerso prorsus absumpsit. Vtq; præterea alia infinita: passim legislator Moyses rationem maximam habet diei quartæ, septimæ, nonæ, decimæquartæ, vigesimæ, quadragesimæ, quinquagesimæ, centesimæ, & consimilium, qui apud medicos inter criticos & contemplabiles præcipuè memorantur. ne quis existimet æternam sapientiam non omnia certo numero, mensura, & pondere perpendisse. Quid igitur mirum tantam vim positam in gradibus climactericis, qui per Nouenarium, aut Septenarium multiplicantur: siue eosdem ad horum spatia certa distribuas, siue ad dies aut septimanas, seu menses, annos, lustra & olympiades? Certè & nostræ salutis auctor in sua parabola, regnum cæleste patrifamilias comparabat, qui manè egressus domo ad fodiendam vineam, operas conduce-

bat,

simile à crisi morborum in homine laborante.

Numeri critici & climacterici quanta sit dignitas.

Vniuersi ætates 6. à Christo per parabolam designatæ.

bat, deinde & hora tertia, sexta & nona: postremo etiam vndecima conducens alios quinq3, diuersa mortalium tempora liquidò exarauit, diem scilicet primam ab Adamo vsq3 ad Noë tempora; secundam à diluuio vsq3 ad Abrahamum: tertiam deinceps vsque ad Moysen: quartam à Moyse ad Christum natum: postremam deniq3 horæ vndecimæ assignatam ab Euangelij luce vsque ad finem sæculi. Quòd si & primam ætatem & vltimam in 2. velut segmenta distribuas, aptissima fuerit 7. ætatum humanarum comparatio cum Planetis septem, eadem facultate qua fœtus humani etiam dum in vtero manent gubernacula suscipiunt, sumptis auspiciis à ♄ dum formatur, à ☽ potius postquam nunc absolutus vitæ pẽsum fatale persequitur. Quadrãt morbõũ insuper critici dies, qui morbis acutis die decimoquarto finiuntur. sunt enim 7. vt die 1. 3. 5. 7. 9. 11. 14. nam decimo quarto ☽ ad exactum diametrum solis attingit, ac velut totius cardinem soluit, res omnes denique ad crisim exactissimam vocatura. Viderunt his consentanea prisci philosophi dum eorundem numerorum potestatem vel ad superstitionem vsq3 in rebus gerendis, in obseruandis portentis atq3 ominibus obseruarunt. vnde poëta termaximus ex Hesiodo sic allusit Georg. 1.

Ipsa dies alios, alio dedit ordine Luna
Fœlices operum &c.

SED *quid multis moror quæ sola volumen possint absoluere? quæq3 vsus quotidianus suggerit atque omnes historiæ contestantur? Faces ignotæ cælitus apparentes, terrarum hiatus atq3 diluuia non semper quodcunq3 decernunt protinus edunt; sed est & in illis à conceptu rerum futurarum, gestationis ordo animalium procreationi consentaneus, atque ita per certos numeros vel interpuncta credibile est omnibus prima fœturæ lineamenta produci, paulò pòst animari, figuras perfici*

Prodigia sæpe diu antea mitti quàm promissa appareant.

ras perfici, atq; adeò ſtatuto tandem tempore, quod hominibus eſt ſecundum naturam vel noni, vel ſeptimi, vel vndecimi menſis, maturam partui à maternis viſceribus ſeparari, atq; in vitales auras excludi. Proinde nihil abſurdum eſt oſtenta diuorum, rerum humanarum ſigna quædam critica nominare: Criſim verò paulò pòſt ſubſequi, temporum numeris ſcilicet iam expletis, perfectoq; circuitu, qui vel longior vel breuior eſſe conſueuit vel pro dignitate ſignorũ, cauſarum atq; effectuum, vel materiæ promptitudine, vel intercurrentium ſtimulãtiumq; aliorum ſyderum ſyzygiis. Hæc enim & præuidiſſe ante orbem conditum, & ſuis limitibus deſignaſſe ſummum opificem minimè dubitamus: etſi pleraq; ſub conditione ſiue hypotheſi; vt illud Ionæ, Adhuc quadraginta dies & Niniue peribit: quod & Ezechiæ regis exemplo, & aliorum pluriũ confirmatur.

simile à conceptu & partubus animalium.

Tres cauſæ cur interuallũ breuius aut longius.

CVM *illa partitionis amplitudo, atq; varietas non tam commodè in perpetuam orationis ſeriem, atq; in apertã tabulam referatur: idcirco & nos quò res facilius tota ſub aſpectum veniat, diuiſionis imaginẽ quæ modò ab ipſa eſſentia ducebatur, cum aliis ex accidentium ratione conflatis (vt ſunt innumeri modi) iſtic in vnũ ferè ſyntagma redegimus.*

I. *Tabella generalis diuiſionum fontes aut carceres comprehendit.*

- *Sumuntur prodigiorum differentiæ*
  - *Ab eſſentia à*
    - *Cauſis proxumis*
      - *Materiæ, generationis*
        - *Materie, ex qua fiunt.* — *Loco*
      - *Forma & modo,*
      - *Fine, propter quem.*
    - *Cauſis effectricibus, quæ ratio media eſt inter eſſentialem partit. & quæ ex accidente.*
  - *Ab accidente*
    - *A modo apparitionis.*
    - *A locis, quibus decernunt.*
    - *A tempore.*
    - *A prima nominis impoſitione.*

Secunda

Secunda diuisio ratione loci, in quo gignitur vel apparet.

- Primum ergo discriminis genus à causis siue essentia sumptum, quòd prodigiorum alia fiant
  - In vniuerso □
  - In republica △
  - Circa animam,
    - In homine
      - Circa corporis
        - Syncrasiam & facultatum inde pendẽtium prodigiosam idiotropiam.
          - Vt rara abstinentia cibi, potus.
          - Magna ingluuies.
          - Voces horrendæ.
          - Vires corporeæ supranaturam.
        - Symmetriam & facultates prodigiosas inde pendẽtes
          - A magnitudine insolita,
            - parua,
            - prægrãdi.
          - A numero vel
            - aucto,
            - diminuto.
          - A figura transmutata
            - ab ortu,
            - in progressu.
      - Hîc rursus spectantur
        - Morbos prodigiosos, vt
          - Animalia in hominibus nata,
          - Arbores,
          - Metalla,
          - Abscessus varij &c.
        - Vt corpori magis immersam
          - Crudelitatis mõstra,
          - Seditiosi animi,
          - Sectarij, qui totum orbem commouẽt,
          - Fures insignes, Helluones, Gamones, &c.
        - Vt magis abstractã, vt sunt rara
          - Præsagia,
          - Insomnia,
          - Oracula & Vaticinia,
          - Ecstases,
          - Fascini & incantamenta,
          - Præclari ingenij dotes.

Secun-

Secundæ tabulæ pars altera prodigiorum quæ magis fiunt in ambitu vniuersi iuxta differentiam loci.

- Similiter prodigia mundi maioris conspicua sunt vel
  - In simpliciorib. locis qui continentiũ nomine potissimũ appellãtur, Hæc iterum vel
    - In partibus orbis sublunaris, eademq; rursus vel
      - In aethereareg. ♂
      - In solis cælestibus locis ♂
    - In mistis perfectiorib. quæ rectius contẽtorum nomine designantur ♂
  - In meteoris seu imperfectè mistis Sunt hæc vel
    - In elementis mũdi,
      - excessus defectusue secundũ molem raræ ac prodigiosæ
        - Vniuersales, vt
          - Ignis, vt ante extremum iudicium.
          - Aquæ, vt tempore Noës.
        - Particulares
          - Ignis, vt Zodomæ,
          - Aquæ, vt Deucalionis.
      - Vitia simpliciter
        - Totius substantiæ,
          - Vt pestis in aëre,
          - Vt corruptelæ in aquis terris.
        - Qualitatis
          - Solius experantiæ noẽ vel defectus, vt rarus
            - Calor,
            - Frigus,
            - Humiditas,
            - Siccitas.
          - Propter affectionẽ peregrinã in qualitatibus
            - primis, vt
              - cal.
              - frig.
              - hum.
              - ſicc.
            - secundis,
              - Motus, vel nimium
                - aucti, diminuti præpostèri
                - secũdũ speciẽ, secũdũ ordinẽ
              - Figuris.
            - tertijs,
              - colore
              - odore
              - ſapore &c.
      - Terrea magis
        - Cauſæ quæ terram concutiunt,
        - Cauſæ hiatus,
        - Montium concurſus, trãſmigrationes.
      - Aquea magis, vt rarè
        - Pluuiæ,
        - Grandines,
        - Niues,
        - Nubes.
      - Aeria magis, vt vẽti potiſs. Halones Parilia
      - Ignea magis
        - Tonitrua, fulgura,
        - Chaſmata ignea,
        - Faces, trabes ardentes &c.

Secundæ tabulæ pars tertia eorum quæ prodigiosè fiunt supra orbem sublunarem.

- Extra orbem corruptioni penitus ac generationi obnoxiũ fiunt prodigia vel
  - In æthere quem nos medium facimus inter cælestem naturam & elemẽtarẽ. Fiunt hîc interdum
    - Spectra, sive phantasmata nuda,
      - Acies & pugnæ
      - Funera.
      - Formæ animalium, cacodæmonum, &c.
    - Cometæ — Hæc tamen à veri cometæ ratione plurimum dissidẽt, ac meo iudicio melius aliò referuntur.
      - Puri
        - Rotũdi instar
          - Solis clypei
          - ensis
        - Variæ figuræ
          - hastæ
          - draconis
        - Crini
          - Coma lactescente,
          - Coma in conum desinente.
      - Cum phantasmatibus, vt horrendus ille quem describit Lycosthenes ex P. Creullcio Anni 1527. 11. dec. in ditione Palatini.
  - In cælestibus,
    - In sole, aut Luna,
      - Divina ob raritatem solam, vt Eclipses ingentes.
      - divina præter naturam
        - divina obsolã raritatem
          - Coniũctio orbium supernorũ.
          - Coniunctiones Sat. Iouis, &c.
          - Secũdum apparẽtiam,
            - Gemmei soles aut Lunæ
            - Colores peregrini.
            - Alia coeuntia circa luminaria.
          - Secũdum rẽ ipsam, vt
            - Eclipses non suo tempore.
            - Solem stare &c.
    - In cælo stellarũ fixarũ
      - In orbibus planetarũ subdiuiditur, vt in stellis fixis
        - diuina præter naturam
          - Secundum solam apparentiam.
          - idque rursus in
            - quantit.
            - qualitate,
            - motu,
            - loco, &c.
          - Secundum rẽ ipsam, vt
            - Noua sydera nasci,
            - Vetera aboleri, &c.

Secun-

Secundæ tabulæ pars quarta, prodigiorum quæ circa res perfectè mistas apparent in vniuerso.

- Circa mistorum differẽtias prodigia fiunt
  - Naturalium rerũ
    - Animaliũ, quæ rursus apparẽt
      - In vno quoviã vel
        - toto, vt mõstra,
          - Figuræ peregrinæ.
          - Magnitudinis insolitæ
          - Numeri,
          - Actionis, vt
            - vnæ,
            - Motus.
        - aliqua parte
          - exteriore,
          - interiore.
      - In concursu plurium, vt in
        - Hominibus: bella, seditiones.
        - Animalibus: conflictus, collusiones variæ.
      - Nunc in vno solo, nunc in collectione multorum, vt
        - Fames.
        - Pestilentiæ raræ.
        - Morbi alij admodum peregrini.
    - Plãtarum
      - Circa speciem.
      - Circa magnit. qualit. &c.
      - Circa facultatem & actionem.
      - Circa passionem, quò spectat sterilitas.
    - Inanimatarum
      - Lapidum,
      - Metallorũ,
      - Effluuiorũ,
        - mõstrosa sunt hæc rursus ratione
          - speciei,
          - magnit.
          - qualit.
          - facult.
          - passionis
            - insolitæ.
  - Artificialium
    - Propter artificis ingenium propè inimitabile, vt quadrigæ solis sub ala muscæ, item Archimedis opera.
    - Propter materiem vix comparabilẽ, vt Mausoleum sepulchrum, & plura Aegypt. miracula.
    - Propter magnitudinem rarã, vt Colossus Solis, Turris Babylonica.
    - Propter formam, vt hortipensiles.
      - speciem,
      - quantitatem,
      - qualitatem,
      - motum.
        - Hæc propriè magis ad genus prodigij referuntur.
    - Propter subitam & accessoriam

Secundæ tabulæ pars quinta prodigiorum quæ fiunt circa Reipubl. corpus.

- *In vniuerso corpore ac sparsim incidentia, vt rariores*
  - *Cædes, bella, seditiones, conspirationes, &c.*
  - *Famem, ac penuriam, luxum, & abundantiam raram.*
  - *Morbos pestilentes vel internecionem admirabilem plurimorum.*

△ *Ad instar prodigiorum quæ in mundo maiore ac minore cõtingunt etiam in republica. Spectamus alia magis*

- *In parte quapiam reipubl. certa*
  - *In continentibus*
    - *Legum & institutorum.*
    - *Religionis.*
    - *Amoris aut odij vnius partis erga alteram.*

    → *prodigiosa mutatio.*
  - *In contentis potius*
    - *Regibus, Magistratu, Populo,*

      → *Virtutes aut vitia admiranda*

      - *partis principis,*
      - *partis animosæ,*
      - *partis cõcupiscibilis.*
  - *In operibus & monimentis cæteris.*

Tertia tabula prodigiorum ratione, forma atque materie inter se differentium.

- Variant prodigia ratione proximæ causæ
  - Materie careãt, vt rara
    - *Insomnia,*
    - *Ecstaseis,*
    - *Vaticinia & oracula,*
    - *Præsagia,*
    - *Omina pleraque,*
    - *Spectra, phantasmata.*
  - materiæ, quòd alia
    - Materia tamagis. quæ rursum vel propius spectant
      - Ad substantias rerum simpliciorũ.
        - *cæli,*
        - *ætheris,*
        - *elementorum.*
      - Ad naturam corporis mixti
        - Primæ cõpositiõis, vt meteora
          - *ignis,*
          - *aeris,*
          - *aquæ,*
          - *terræ.*
        - Posterioris,
          - *animalium,*
          - *plantarum,*
          - *lapidum, & metall. &c.*
      - Ad concursus variarum rerũ vel diuortia prodigiosa
        - vt
          - *animalium inter se,*
          - *rerum inanimatarũ.*
  - Formæ
    - Propriæ. *hæc inexplicabilis est, ac solis materialibus formis describi potest, nisi à modo generationis dicamus alia fieri, per*
      - *Confluxũ,*
      - *diuortium,*
      - *mixtã rationem.*
    - Impropriæ. quæ essentiales differẽtias per collectionẽ pluriũ accidentiũ circumscribit ratione
      - Quãtitatis,
        - Numeri.
        - Magnitudinis.
      - Qualitatis
        - Passibilis.
          - *primæ,*
          - *secũdæ,*
          - *tertiæ.*
        - Figuræ.
      - Motus et facultatis.
      - Passionis.
      - Situs vel loci,
      - Temporis,
      - Habitus.

      Tota enim syndrome in singulis essentialẽ differ. insinuat.

Quarta tabella distinguit prodigij species à principiis effectiuis.

- Omnino à natura naturaliter agẽte, sed raro et poëter,
  - In cælestibus, vt Eclipses magnæ Synodi.
  - In elementis, vti cataclysmi, terræmotus, &c.
- Prodigiorum alia fiunt
  - Omnino diuinitus, non intercedentibus physicis causis,
    - A deo proximè.
    - Per angelos,
      - Bonos,
      - Malos.
    - Per animam spiritumq;.
  - Concurrentibus vtriusq; generis causis præter cõmunem naturæ cursum
    - Per plures ordines causarum atque effectuum.
    - Per pauciores.

Quinta diuisio à fine siue effectu.

- Prodigiorum alia
  - Probant, sic veteres fidem fulminibus solent examinandam dare.
  - Quæ exornant, vt fulmen in Ascanio, in Seruio Tullo, in Cicerone: in Platone apum confluxus.
  - Quæ vindicant scelus. vt in Iuliano apostata, in Arrio hæretico.
  - Quæ monent atque castigant nunc amicè, nunc seuerius, vt in d. Paulo. & horum alia.
    - Verè critica, siue effectibus proxima, vt magni motus animorum.
    - Indicantia & criticis priora, tanquam criticorum præmuncia, vt ferè cometæ.

Sexta

Sexta partitionum classis vniuersim ex accidentium ratione desumpta.

Prima pars à nominum prima institutione deducta est.

- Vocantur prodigia
  - Propriè, quæ & portenta, vel ostenta non male nominantur, quòd non modò præter solitum fiunt, sed & cõmunem naturæ cursum,
    - In rebus immaterialibus Portẽta melius appellata
      - Insomnia rara,
      - Spectra siue phantasmata.
      - Vaticinia, furores subiti.
      - Quædam miracula in operibus hominum ac diuorum.
    - In rebus materialibus
      - In animalibus, Plantis, idq; vel
        - Solis & perse consyderatis, monstra propriè.
        - Animalium partibus, extispicia.
      - In elemẽtis & cælis ostenta
        - Concursu, motu, & consimilibus, per aruspicinã, atq; auguria.

        proprijssimè nominantur.
      - In operibus diuinis atque humanis, miracula propriè.
  - Impropriè, & secundum relationẽ duntaxat ad imperitiam vulgi vel imbecillitatẽ mentis humanæ
    - Ratione causæ, sic olim eclipses inter prodigia celebratæ.
    - Ratione solius magnitudinis & vehementiæ, vt tempestates : excessus caloris, frigoris, inundationes ignis aquæ.
    - Propter raritatem, sic & defectus ingẽtes luminum & locustarum agmina.
    - Propter ordinem solum & consensum admirabilem cum euentu. vnde etiam in leuiculis rerum mutationibus ominum malorum ac bonorum obseruata ratio est, vt cerui illius indicium anso obitum Ciceronis, &c.

Secunda pars sextæ tabulæ prodigiorum differentias à reliquis accidentibus ducit.

- Differunt prodigia
  - A modo quo exhibẽtur alia
    - Nudè offerũtur sine inuolucro. vt pestis, dira fames; idque
      - publicè
        - regnis.
        - castris.
        - ciuitatib.
        - familijs.
      - Priuatim
        - Regibus,
        - Sacris,
        - Prophanis.
    - Cum similitudine vel allegoria.
      - Rursus, aut pluribus aut paucioribus ostẽditur
        - frequẽtius.
        - rarius.
        - vel
          - Simpliciter. aliis prodigijs copulata cum
            - eiusdem generis,
            - diuersi.
  - A loco significationis alia significant
    - His quibus apparent,
      - Secundum genus certum.
      - Secundum speciem.
    - Alijs quàm quibus apparent,
      - Finitimis.
      - Longius dissitis.
  - A tẽpore. quòd alia
    - Appareant
      - Certis annis, vel post certas periodos.
      - Certis mensibus, vel septimanis, diebus, vel horis.
      - Certis diei partibus.
    - Significent
      - Res præsentes, vt Typi morũ, etc.
      - Res futuras, vt prænuncij.
      - Res præteritas, vt comites vel assectæ.
      - id que vel
        - Breui interuallo.
        - Lõgiore
          - annorũ,
          - mensiũ.

Sunt & alia ab alijs generibus tũ qualitatis, tũ quantitatis, motus, situs, ordinis, habitúsue, quæ quiuis ad normam diuisionis hactenus constitutæ, vel nullo deinceps negotio poterit exarare.

De

De prodigiorum cauſis & communiſſima notione.

CAPVT QVINTVM.

SED *quo cauſæ prodigiorum planius tanquam in tabula proponãtur; vniuerſa quæ fiunt, boni alicuius gratia fieri, ſaltem ab ipſo primo motore credendum eſt, quanquam doctiſſimus vir Baptiſta Montanus rerum malarum, vt morborum in humano corpore, non cenſeat aliquem finem. Secus res docet, ſi ſolùm agentis principij ſenſum, actiones, & ſtudia perſequaris, ſi facultates quatuor à Gal. conſtitutas in ſingulis locis, attractionem ſcilicet, retentionem, alterationẽ, expulſionem; & quo pacto non ſolùm ex imbecillitate vnius partis, ſed & alterius robore vel irritamento, humorum fluxus atque decubitus fiant. hos enim ceſſare minimè cenſet, donec ad omnium infirmiſſimam prouoluantur, in ea nimirum regione congeſti vnde repelli amplius minimè poſſint. Quin etſi plurimis malis ſua ſit tantùm extrinſeca cauſa, finis quidem ratio non in vnius corporis, aut materiæ reciprocis anguſtiis quæri debuit; ſed vel in agentibus rebus, vel principio primo cui nihil non patet, nihil nequicquam fieri certum eſt, ſed omnia vel tum ad vnius commodum ac verum bonũ, tum ad nominis ſui gloriã, ac ſalutem vniuerſi. vt etiam hoc nomine quæ apud nos noſtro iudicio planè fortuita cenſeantur, ſæpe & iniuſta, aut à diuinæ prouidentiæ legibus aliena, tandem ad exactam æqualitatem redigantur.*

1. De cauſa finali prodigiorum.

An morbi aut rei malæ ſit aliquis finis.

Vbi quærendus ſit finis rerum.

Eſt ergo finis vel prouidentia in eo, quod agit proximè ceu poteſtate ſuperius: eſt & finis primario in ipſo Deo, tũc conſpicuus maximè, cùm noua atque inſolita producuntur. Nam ideò primùm prodigia fiunt, vt mentem omni natura ſuperiorem cogitemus, quæ vt omnia ex nihilo condidit ab initio, ita & conſeruat eadem, mutatq; pro arbitrio, vires

Cur imprimis rara atque inſolita fiant.
1. Vtilitas.

intendit aut frangit, interdum & prorsus alias facit : ne qui morosophi opificem suis operibus de necessitate existimẽt alligari, quos festiuo dialogo vellicat Lucianus, Ioucm in tragœdiam ducens. Hinc enim omnes ferè idolatriæ species, omnisq; & magica, & mathematica superstitio dimanauit, vt in Mercurij Asclepio videre facile est. Præter hæc ipsis mortalibus apparere prodigia conducebat, vt circa res prosperas obiecta formidine, animorum insolentiam frangerẽt: inter ærumnas, & vitæ calamitosæ reciprocos æstus se quisque reseruans ad meliora, spem viam in illa (quæ se vel sensibus offert) æterna numinis prouidentia collocaret. Quin si eorum quæ mala vulgus appellat, apud Deum finis est optimus; vt sæpe scilicet vel castigentur improbi, vel probẽtur electi; magnum mehercule quiddam illorum signis prænunciis tribuendum est, quorum decreta vbi responderint, tanquam præuisa minus perturbant, animumq; è statu deiciunt suo, quippe quæ certo tunc numini accepta penitus referantur : imò priusquam id quod minantur expleuerint, occurrente metanoea, purificatione, precibus, aliisq; operibus bonis, molliri, obtundi, auerti penitus ruptæ causarum fatali necessitudine possint, vt sacræ historiæ exemplis pluribus manifestum est. nouerunt autem & gentiles philosophi duplicem Adrastiam : nouerunt & duplicem animæ potestatem: dum modò conscendens ad vnitatem per intellectum se fato liberat, modò præceps delapsa in multitudinem, et brutis cupiditatibus sese immergens, Parcarum legibus pariter obnoxiam facit. Verùm hæc breuiter habui quæ de finalibus causis dicerem, propter quas ὑπερφυεῖς insolitæ fiant.

Superstitionis magnea mathematicæ fons.

2. vtilitas.

3. vtilitas.

Duplices Adrastiæ leges

Materiem si quis poslulet definiri, dicam aliis vnum dũtaxat materiæ genus, locum videlicet in quo spectatur; aliis cum loco & certa quadam substantia, cuiusmodi mista perfectè vel imperfectè nominantur. Materie carẽt pura phantasmata,

De causa materiali prodigiorum.

Prodigia sine materie.

taſmæta, vbicunq3, & à quocunq3 cõtigerint, velut noctur-
ni lemures, incubi, & id genus alia: quanquã Pſellus dæmo-
nibus, Plotinus angelis, aliísq3 rebus intelligibilibus, ſuã ex a-
nalogia materiam eſſe voluerit. Sed quorum ſtabile corpus Materiatæ prodigia.
apparet, idem nunc animalis vnius aut plurium, nunc plan-
tæ, aut lapidis, aut metalli, vaporis alicuius aut exhalationis
ſpeciem præſe fert. Facillimum verò naturis liberioribus, vt Materies vnde & quàm varia.
ex ambientibus elementis quodcunque libuerit, cogant in
ſpeciem tempeſtatis aut animalis, quamquam ſine ſemini-
bus vix aliud quàm figuram ſuperficiariam præſtent, ſine
permiſſione, nutuq3 diuino nil poſſint efficere.

De cauſis effectricibus nõ eſt minor diſputatio, quam vt De cauſa effectrice prodigiorum.
conficiam paucis: conſtat Deum auctorem omnium primũ
naturæ vultus immutare, quandoque nulla intercedẽte phy-
ſica cauſa, ſæpiſſime verò vt inconcuſſo vinculo tum ordinis Deum auctorem primum dupliciter agere.
ſupramundani, tum cæleſtium corporum ætheris elemento-
rum, velut per ſcalam quãdam vniuerſitatis diſtributio fiat.
Atqui hoc genere poſteriore claſſes ſunt plurimæ, prout hæ
propiores, remotiores aliæ, reſpectu vel mentis opificis vel
materiæ numerãtur. Nec eſt quòd anxiè quiſquam quærat,
ſum iſtis poſitis aut conceſſis, ſequatur protinus Deum vel
præter ordinem quicquam agere, vel à bono præter boni na- Deum præter ordinem naturæ inferioris agere quãſæpiſſimè, cõtra philoſophos.
turam aliquid proficiſci. Conſtat priſcos philoſophos Epicu-
reo dogmate temulentos, ad ἀπαθείαν quandam mortalium
animos rediger voluiſſe. Ideoq3 cùm animaduerterent duos
eſſe præcipuos huius orbis tyrannos atque carnifices; ſpem ac
metum, ſcilicet; vt pacarent hominum mentes, iam omni
excuſſo numinis metu (cui dum alligantur, putant quietas
eſſe non poſſe) conati ſunt rerum omnium quæ quotidie ſpe-
ctarentur, naturales reddere rationes, atque ex vno cælo per
intermedias claſſes, fatorum neceſſitatem demõſtrare. Qui- In vanitatem Aſtrologicam
bus ne aſſentiamur temerè, purioris philoſophiæ antiſtites
monent,

moment, atque ipsa veritas seu Christi viua doctrina prænonstrat. Quanquam ex abundanti eiusdem bonitatis sinu illa etiam contestantur, quæ quidem sensibus obuia, præter tamen communem naturæ cursum quamrarissimè fiunt. his enim ostenditur Deum penes se alium habere ordinem prouidentiæ suæ nobis occultum, cui sæpe consentit ordinis characterismus mundanis rebus infusus, sæpe plurimum discrepat, propter hominum necessitatem, atque vt diuinæ gloriæ maiestas libera nullis naturæ vinculis alligata, nullis circumsepta carceribus demonstretur. Neque verò à bono summo, præter bonum aliquid fieri aut dimanare credibile est, cũ sit circulus bonus, à bono, in bonum perpetuo reuolutus, etsi ea quæ sæpe obtingant pro meritis nostris, mala & tristia vulgus existimet. Nõ inferunt dî nobis iniurias, (vt Iamblichus ait) sed iusta supplicia: quæ tamen finem optimum spectãt. & multa nos latent peccata, quæ deos minimè latent. Deus quoque quid iustum sit, aliter sæpe perpendit, ad vnam animam spectans: aliter, ad totam cognationem animarum, et bonum vniuersi. Quin etiam à totis mundi partibus (vt verbis illius vtar) descendit per membra singula quædam actio multiformis; descenditq; facillimè propter potentiarum similitudinem inter agens & patiens, vt corporis sola necessitate contingat; quæ quidem in totis bona fuerant & salutaria, atque harmoniæ vniuersi consona, sæpe tamen ex delapsu, in hac vel illa parte corrumpi: vel quia delegatricis facultatis impetum sustinere non possunt, vel propter commistionem inferius accedentem, imbecillitatemq; infimis naturalem; vel quia partes partibus, agentia principia passiuis proportionata non sunt. Ita quæ in intellectu diuino species sunt ac purissimæ rationes, in vniuersi natura materialem quandam induunt deformitatem & ἀταξίαν, & quæ in totis vnita fuerunt, in singulis dissident. Ex quibus constat bona deo-

Ordo alius immutabilis sa mente diuina.

A bono nil nisi bonum.

Cur multa præter ordinẽ heri videãtur.

Mali species à materie proficisci.

4. Impedimẽta circa materiem.

na deorum corrumpi aliàs materiæ vitio, aliàs per interme-
dios duces vel dæmones malos; quibus tamen nihil efficitur,
nisi diuinitus permittatur; nec ferè permittitur nisi sic me-
reamur. Habent ergo & cæli sæpe quod multis prodigiis con
ferant; atque vt prodigia res decernunt humanas, ita inter-
dum & concursus syderum, ceu prodigiosarum rerum & si-
gna, & causæ à physicis memorantur: vt in cometis, terræ-
motibus, & monstrosis partubus infinitis. Eademq; ratione
qua virtus diuina videtur falsò causa efficiens mali, de cæle-
stium corporum potestate dici similiter possit, etsi modo
quodam inferiore: nam si quid ab illis durum aut calamito-
sum videatur, omne id debetur materiæ receptrici.

Mala cælitus non immitti, nedum diuinitus.

Verùm quando nunc finem in diuinis spectaculis satis ex-
cussimus, vnà cum materie atque effectricibus causis, facile
est ex ijsdem (non dico formalem causam, quæ longè abdi-
tissima est) sed formæ interioris figuram quandam vmbra-
tilem in animo fabricare. Sed nunc, si libet, forma vocetur,
quæ in naturalibus rebus sæpe fortuita est, ex concursu va-
porum & exhalationum; quemadmodum in igne, aëre, a-
qua, & terra, & nubibus, aliquoties deprehensum est: sed
neque hæc portenta vero vocabulo dici possunt, sæpius tamen
à mente procedunt, cooperantibus angelis aut genio malo
vbi figura insignis aut ordo concurrerit. nam quia Deus v-
trisque vtitur manuum vice, sicut per illos bona dare aut
mala infligere solet, ita nunc hæc nunc illa portendere priu-
quam fiant: quod boni patris ac Domini misericordis officiũ
fuit. Suscipiunt hoc negotium libenter spiritus boni, qui co-
gnatione quadam generis nostri, nobis precantur nil nisi
bonum; & si quando à Dei monitis mortale genus exorbitat,
miserti protinus imagines haustas à mente superna, ideasq;
rerum futurarum (si verbis hîc vti Platonicis licet) pingunt
in rebus naturæ: vt his admoniti statim de antè actæ vitæ
criminibus

Formalis causæ indagatio circa prodigia

Contra geomantes & aeromantes & pyromantes.

Formalis ratio prodigiorum.

Quantus amor Dei & angelorum erga mortale genus.

criminibus cogitemus: periculi magnitudinem cogitatione prius, quàm sensu experiamur: admonitiones & consolationes in sacris obuias in memoriam rediganus: malorum denique tela prius quàm opprimant, conuersione ad preces, operibus charitatis, ac pœnitentiæ mitigemus: vel si fieri possit, auertamus penitus: sin minus, omnem necessitatem sortemq; humanam vna concẽtricitate animi cũ ipso Deo, vel patientia superemus. Cæterum illud imprimis ad formæ totius atque essentiæ pertinet notionem, quod antè retulimus paulo prolixius de mundi cõsensu & triplici medicina. Nam ex eodem fundamento videtur id maximè consentaneum, totius magni illius animalis, non minus quàm suarum partium esse conceptus quosdam, & partus esse, & tempora quibus gestatur in vtero fœtus, esse & causas atque indicia quæ modò conceptus tempore sese aperiant, modò sub ἐμψύχωσιν, vel introitum animæ in ipsum corpus; plurima verò non prius quàm maturior fœtus in auras vitales excludatur. Credo itaq; cælum & mundum omnem hunc ambientem, seu continentem, circumfusum, (quoquo modo appellare libuerit) velut patrem esse: mundum verò animalem (ex contentis scilicet ac viuentium generibus subsistentem) matri potius comparandum. Fit sæpe vt semen patris sit optimum, materno interim corruptelam quampiam ex natura corporis induente: quare & semen quantumuis fœcundo spiritu plenum, in vtero non bene constituto peruertitur sæpe, inq; speciem degenerat præter naturam. Igitur vt naturali partui sua sunt non insida præmuncia, quæ & modo, & qualitate respondeant: itidem sanè de monstrosis ac prodigiosis euentibus cogitandum est in orbe hoc circumfuso. sunt enim cuncta inter se analoga, ac tria vbique formationis tempora, signorum lege, numerorum & ordinum proportione consentiunt. Quemadmodum verò ex materni sanguinis

Primorum axiomatum applicatio ad institutum.

Conceptus empsychosis, fœtꝰ gestatio, & partꝰ ratio, in vtroque mundo analoga.

Ortus monstrorum in genere animalium.

Idem ordo monstrorum in vniuerso.

guinis vitio formator ſpiritus omnium compos, appetitus enormes pingit in ipſo fœtu, & ſæpe prius in oculis, vultu, ipſiſq; præcordiis matris: ita & conceptibus vitioſis in orbe hoc continente (quem vniuerſum nominant) humanæ libidinis nota tranſit in ſpiritum mundi; hic rurſus eiuſdem characteres refundit in elementa; & per hæc denique in ea corpora quæ illis primordiis oriunda ciuitatem atq; rempub. conſtituerunt.

Vis imaginationis in matre circa fœtum.

Quæ porrò de formatoris ſpiritus vi & præſtantia, deq; caloris ingeniti natura multiplici, ceu tota ſubſtantia circa hunc locum ambigi conſueuerunt, ea profectò ſe latius fundunt, quàm vt perſpicuè ſimul ac breuiter poſſint ante oculos collocari: ideoq; & maior huius conſyderationis pars à nobis in ampliorem operis alicuius ſpeciem differetur. Nunc tamen ſint hæc compendio dicta, quæ non ſolùm portentis atque præſagiis cognoſcendis viam faciant planiorem; ſed & cunctis proprietatibus vegetabilium rerum, (cuiuſmodi vulgo abſtruſæ atque imperuiæ recenſentur) imò & cauſis affectionum naturalium, ac præter naturam: quarum vel occulta ratio eſt, vel ſpecies admodum peregrina. nihil etenim apud medicos vnquam quæſitũ acutius, nihil inuẽtum infœlicius, nil traditum poſteritati ieiunius fuit. Repete cum animo tuo nunc illos 5. naturæ gradus ſecundo capite deſignatos: quorũ medius ille eſt qui ſpiritui dedicatur. Hic eſt ipſius animæ proxumum quoddam, ac præcipuum inſtrumentum: niſi fortè carpentum illud tenuis placet in animorum cõfinio collocare. Sed ſiue characteriſmos animæ ſtatuamus in ſpiritus portione cæleſti, ſiue paulò ſuperius, ac peculiari vehiculo inſidentes, parum intereſt: cùm iſta non ſecus atque cælorum orbes pro circuituũ lege, non tam ſenſus quàm animi indicio diſtinguantur. Nos in ſpiritu velut ſubiecto, voluimus eſſe ſubſtantiam caloris innati: ſic vt idẽ eſſe

De ſpiritus informantis, & caloris innati ſubſtantia accurata traditio.

Vtilitas eius conſyderationis ampliſſima.

Locus ſpiritus formatoris medius inter ordines vniuerſi.

Definitio caloris innati.

Variæ opiniones de subst. calidi innati, humorisque primogeniti, & illorum nominibus.

esse dicatur animæ cuiusque proximum instrumentum, perfectio spiritus, actionum causa et opifex, vt princeps quidem in semine, sed vt σωαίτιον in toto composito naturali. Sæpe verò philosophi hoc vocabulo caloris innati substantiam primogenitam, sæpe & actum illius propiorem vel qualitatem, sæpe complexum vtriusq; dixerunt: ac rursus in ipso fomite siue subiecto primo alij nudum spiritum contemplantur, alij humorem pinguem & oleosum; nonnulli deniq; hæc vniuersa coniungunt, velut vnum quid facientes ex vtrisque principiis, agente spiritu, & materie humida: quæ duo Hippoc. ignem & aquam satis obscurè, physici τὸ ἔμφυτον θερμὸν καὶ τὸ ὑγρὸν πρωτογενὲς appellarunt, Moyses fortasse in operis sui auspicio cæli ac terræ nominibus maluit insignire. Cæterum de ambobus hisce principiis obscura veterum; sed neotericorum manca & intricata traditio est: credo propter defectum methodi veræ, siue catholicæ, quærerum vniuersitatem amplissimam sola per analogicas classes, consensus partium atq; dissensus angusto systemate comprehendit.

Auctorũ placita de calore innato non hactenus intellecta. Hipp. obscura traditio.

Nam plerisq; decepti verbis Hipp. Epid. 6. Anima hominis ad mortem vsq; producitur, &c. hoc calidum idem cum animæ esse dixerunt: dum non percipiunt pleraq; ab illo acroamatice scripta, vt quasi offusis tenebris ex composito prophanũ vulgus à sacris mysteriis arceretur: cùm & lib. De diæta. 1. nunc animam hominis augeri atque imminui dicat, subaudiens vim caloris ingeniti qua sese agglutinat elementis: nunc verò solius hominis animam faciat immortalem. vbi profectò per animam actum supremum perfectionemq; in hominibus intellexit. Multi ex Galeno totum definiunt penè in sanguine & pituita vel aquæ & aëris elementis iusta proportione inuicem temperatis, vt lib. 8. De plac. Hipp. & Platonis insinuat. Imò & inter celebriores plurimi hũc statuunt prorsus elementarem: nonnulli potius conditione cælestem.

Gal. sententia.

leſtem. Sunt qui cum anima ſimul, & ſpiritu confuderunt. Horum omnium ratio quàm conſtet lubrico fundamento, demonſtrare facillimum eſt. Nos argumenta, & rationes dictatas nuper in publicis ſcholis, maiore cũ ocio, ac ſuo tempore in formam peculiaris opuſculi redigemus. Sit iſtuc modò breuiter comprehenſum: rei veritatem firmiſſimè comprobari partim ab illis ordinibus mundi & conſenſione mirabili; partim verò ab actionum generibus infinitis, quæ vel abſente anima (vt in ſeminibus rerum) omnem exuperant vim corruptibilis elementi. Proinde vt 3. ſunt animæ facultates, ità tres mundi præcipuæ partes, vt aliàs dictum eſt, & in cometarum explicatione docebitur. Hæc quidem diſcretæ in ſedibus ſuis ſunt; inter ſe tamen perpetuo nexu, cognationiſq; ſiue amoris vinculo continentur, ſic vt è ſingulis mundi partibus ſingulæ rationes & poteſtates in vnum ſpiritum conferantur; ſitq; illius apex ſiue faſtigium planè diuinum: ſit media quædam ſubſtantia, ceu tepor æthereus: ſit poſtremò tertia ſubſtrata cæteris, atque ignobilior eo quo magis à lucis præſtantia, & concretionis firmitate deflexit. nam huius nomine calor inſitus augeri, minui atque extingui dicitur, ideoq; & ſuccum ſibi familiarem poſcere in locum materiæ defluentis. Reſpondent igitur & calores triplices, cæleſtis, æthereus, ſublunaris: quibus & opera certa pari diſtincta proportione conueniunt. Hoc modo,

Auctoris ſententia, & argumentorum ſumma.

Totius innati caloris anatomæ.

Calores triplices in vnius ſpeciem comparati.

SCHEMA TOTIVS SVBST.

spiritus & caloris innati.

SUPREMA.

6	*Supra hæc omnia* INTELLECTVS COMMVNIS.
5 Gradus animæ.	*Hoc loco consistit totius compositi summa perfectio* ἐντελέχεια.
4 Gradus animæ vestigio datus	*Hîc Academici lucidum quoddam, & cæleste idolum animæ fabricarunt, quod tamen reuera idem est cum spiritus portione cælesti.*

MEDIA.

3 Tertius gradus spiritui facer, cuius principia tria ex vniuerso, ac rationum differentiæ tres.

- 1 E cælo, cælestis & immortalis. — Respõdent singulis sui calores velut actus proprij. — Cælestis — Respõdent operũ dignitates — Diuini characteristmi, — Similitudines omniũ ac dissimilitudines nosse vel in ipso semine. Proportiones rerũ mistilium inuenire in similaribus. Partes organicas figurare. Motũ ciere æquabilẽ, qui ab Hippoc. solis motui comparatur.
- 2 Ex æthere, spiritus æthereus mediæ conditionis. — Aethereus — Mediæ conditionis, — Conseruare: Durationem præstare: Cogere & homogenea: & heterogenea: Mouere à circumferẽtia ad centrum.
- 3 E sublunaribus locis, elemẽtaris et corruptibilis. — 3 Elemẽtaris — Infimæ notæ, — Vrere: Siccare: Separare heterog. & homog. congregare: Incitare ad circumfer.

INFIMA.

2 Gradus carpento spiritus propiori	*Rorulenta seminis, vel spumosa substãtia: cui præter quantitatis proportionem accedit & symmetria qualitatum, siue syndrome.*
1 Gradus materiæ	*Seminis corpus, in quo exuperant aquæ & aëris elementa, iustis proportionum legibus temperata.*

Ergo

Ergo vti cælestium corporum vires partim à motu illorum, partim à lucis substantia proficiscuntur: sic & in isto calore natiuo alia ipsarum facultatum ἐνέργειαι vel conseruatio est, à subiecto fomite, quem seminis spumam aut rorem primogenitum dixi; alia verò à motione, siue circuitu tripli ci nunc intrò, nunc foràs, nunc in vtramuis partem æquabiliter incitato. Videmus enim hos omnes ex decreto Hipp. ad vniuersi conseruationem pulchra vicissitudine cõspirare: sic tamen vt alteri magis ad somnum, concoctionem, attractionemq; necessariorũ data sit præfectura; alter expulsionẽ magis, distributionemq; gubernet; tertius verò potẽtior cæteris ad fermentationem mistilium rerum, nutritionisq; singulas partes, appositionem, agglutinationem, assimilationẽ in illis particulis minimis, sine strepitu cuncta perficiat, imò velut totius caloris regulam, ac tonum quempiam moderetur, ne vel diffusior motu ad circumferentiam exoluatur, vel flexu contrario compressus nimium suffocetur. Nõ hîc chimæram pingimus aut tragelaphum, sed vnius spiritus trinã substantiam ita componimus, vt quamuis ad sensum minimè discretis partibus elucescat; potentiarum tamẽ tectis seminibus, operumq; diuisis auspicijs explicetur, vnus nimirũ, & multiplex, mutabilis idem, & immutabilis: prout hic spiritus naturam aliam, & facultatem ab aliis mundi partibus sumptam in hæc vel illa officiorum genera promolis necessitate traducit. Est autem per omnes potentiarum, atque substantiæ gradus coaptatio talis: vt non permista prorsus priè sed inclusa potius alteri altera, ignobiliori nobilior, interna extimæ censeatur: quemadmodũ in oculo visionis instrumento, princeps naturæ portio est lux cælestis inclusa humori crystallino, quem propter idolum pellículæ tenuissimæ fabricatũ est, deinde & geminus humor est circumfusus ὑδατοειδὴς καὶ ὑαλοειδὴς: aquosum & vitreum Latinis

Duplex principium in caloris substantia & duplex illius conseruatio.

Très circuitus animæ, & caloris innati, & singulorũ opera.

Quo pacto plures in vno consentiant.

Coaptationis totius monogrammata in naturalibus rebus expressa

In oculo.

appellitant: quos ambit iterum vuea tunica, siue χοροειδὴς. exterior cunctis incumbit cornea, Græcè κερατοειδὴς dicta.

In Sole.

Eodem pacto pendent ab vnico Sole colores corporum singulorum: sed tamen proxumè colores à lumine; lumen à luce; lux à Solis corpore propagatur, fœta ideis atque virtutibus infinitis, quæ pro subiecti conditione se particulatius manifestant: vt planè syntaxis hæc vniuersa sit quædam machina, qualem depingit Max. Tyrius sermone 3. ex orbibus variis, & figuris orbium mutuò subseruiẽtibus conformatam: sit quædam acies militaris instructa suis decurionibus, centurionibus, primipilis: vt lib. De mũdo Aristot. à Xerxis exercitu ducta similitudine demonstrauit.

In artis operibus.

Aristotelis diuina sententia de subst. spiritus & caloris innati.

Patet itaq; ab eodem auctore verissimè dictum lib. 2. De animalium ortu, cap. 3. Igneus calor purus nullum animal gignit, sed frigore temperatus. calor autem in semine diuinus existit, proportione respondens elemento stellarum. atq; deinde seipsum explicans ita subiũgit, Etenim omnis animæ vis, siue potentia corpus aliud participare videtur: idq; magis diuinum, quã ea quæ elementa vocantur: verùm prout nobilitate, obscuritateq; animæ differunt inter se, ita & natura illius corporis differt. Postremò & illa subiecit nostris consentanea: Inest seminibus omnium, quod facit vt fœcunda sint semina: videlicet quod calor appellatur: idq; non ignis, non talis facultas aliqua, sed spiritus, qui in semine, spumoso q; corpore continetur, & natura quæ in eo spiritu est, proportione respondens elemento stellarum. Vides quo pacto spumam in semine, in spuma spiritum dicat, in spiritu calorem innatum, in hoc postremo naturam, atque animæ facultatem: cuius solius respectu aiebat Hipp. lib. De carnibus, etiam in seminis massa calidum quoddam existere notis characteristicis insignitum, atq; (vt verbis illius vtar) animatum, diuinum & immortale, cuncta videns, audiens, atque intelligens.

Ordo substantiarum illi cõsentaneus quẽ secundo. & se primo capite pleniusexaraui. Hipp. diuina sententia.

ntelligens. quapropter cùm ſemen deſcendere à ſingulis animalium partibus vellet, eo potiſſimum vſus eſt argumẽto; quòd non ſemper à claudis claudi, vel mutili procreentur. non enim vtcunq; corpus in genitore truncum fuerit, idcirco & ſpiritus ex neceſſitate claudicabit: nam ſecundum nobiliorem ſui partem nihil patitur, neque corrumpitur. operationis etenim ſuæ veſtigium concipit non ex ipſa materie tantùm, ſed à parentũ anima, quæ prius illorũ corpore toto tota ſemina propagata, & in aeram diuiniorem ſpiritus informatis ſic rerum agendarum characteriſmos impreſſerat, vt idem ſpiritus etſi non protinus genituram faciat eſſe vitalem; vitæ tamen inſtantis, aut conſimilis formæ ſyndromen phyſicam, aptamq; in corpore ſeminis præparationem facit, non aliter quàm ſi ſenſu quopiam, aut intellectu præditus foret. Vnde hinc actum perfectiorem ſeminis, ſed imperfectum compoſiti naturalis, ſæpe ipſius animæ vocabulo Hipp. eſt dignatus. Enimuerò pulchrè hinc omnis illa eruitur ſimilitudinum ratio, quæ inter parentes & liberos efflorescit. Eſt prior ſecundum ſpeciem interiorem, totamq; ſubſtantiam, qua homo ex homine naſcitur, ex equo & aſina mulus: altera ſecundum ſexum, qua mares potiſſimum, aut fœminæ procreantur: tertia ſecundum figuram corporis, qua ſingulatim his vel illis ſimiles ſiunt in oculis, vultu, partiſue alterius habitu, compoſitione, temperamento. At ſpeciei rudimentum vel ſtatim in prima conceptus adumbratione deſigitur motu æquabili intrò. pariter ac foràs terminante, per ipſius animæ demerſum ſemine ſimulachrum: iuxta illud Hipp. li. De dicta 1. Anima ſuas ipſas partes obambulat, &c. At ſexuum nota in fœtus ſecunda elaboratione magis imprimitur, quando & iam media ſpiritus ſiue æthera pars maiorem regnandi vim conſequitur, motu vigẽte ad centrum magis quàm ad circumferentiam. Nam &

Quo pacto ſemen à toto corpore deriuetur.

Cur non ſemper claudi à claudis geniti

Spiritus in ſemine à toto corpore rerũ agendarum ratione fœcundus.

Cauſæ ſimilitudinum.

Similitudinũ genera tria.

1 Similitudo ſecundum ſpeciem quo pacto imprimatur.

2 Similitudo ſexus quomodo aduenias.

Hipp. libr. De genitura sexus discrimen elicit ex proportione certa seminis masculi & fœminini: masculum tamẽ appellans non quod à mare deciditur, sed à dextris partibus alterutrius excretum in totam conceptus molem illabitur, plus in se continens motus & energiæ. id enim quoties & quantitate sua exuperat genituram, totam efficit masculinam.

Quid semen masculinum propriè.

Neque tam craſsè dextras partes intelligit vt vulgo creditur: sed quæ cuiq; agendi robore sint vel à natura, vel consuetudine promptiores. Quin & Gal. lib. De vsu part. ad sexus rationem potius motum seminis refert, quàm eiusdem temperamentum. Mouetur fortius quod intrò coactum validius permiscetur. Hoc autem ex viarum anfractu & longitudine partim, quæ in vnam præparandi seminis officinam confluunt, aliquando plus ab hepate per venas, interdũ plus per neruos atq; arterias à corde, & cerebro deferentes: partim verò à quodam occultiore impetu animæ secretricis: dũ illa à supernis corporibus stimulatur: quò maximè spectat analogia syderum, prout non solùm respectu Solis, ac Lunæ luce dicuntur aucta vel diminuta: sed & concitatiora motu, magisq; directa propter positionem in orbibus eccentricis & epicyclis. Quare hæc semel infixa seminibus energia licet introrsum magis viguerit primò, rursus tamen impellit foràs eo validius, quo compressior primùm atque intrò fortius est agitata: vnde nec aliàs differunt virorum & fœminarum characterica notæ, quàm defectus cuiusdam in illo motu versus externa, atque maioris exuperantiæ monimento. quo sanè mutuum ardens, atque perenne complexus desyderium in vtrisq; pronascitur; quod cuncti amoris seu potius cupidinis nomine signauerunt. Figurarum similitudo, quam tertiam dixi, etsi omnibus momentis ab eodem spiritu omnia fiant, magis tamen infernam sequitur facultatẽ, siue vim figuratricem materiæ mancipatam: ideoq; absol-

Quæ Hippocrati dextræ partes dicantur.

Vir calidior fœmina non tam temperamento quàm motus efficacia.

Seminis partes etiam pleræque per occultas vias à corde & cerebro mole minores, maiores efficacia. Sexus ratio à planetarum motu potissimum.

Characterismi amborum sexuum, in sola instrumẽtorum protrusione differentes.

Cupidinis ortus inter marem & fœminam.

3 Effigiei similitudo quo pacto introducatur.

situr magis postremo, vel tertio totius formationis tempore, quo iam non amplius genitura vel fœtus Hippocrati, sed & nomen pueri promeretur. Vergente nunc motu imprimis ad totam circunferentiam, supra quàm dudum potuit explicari. Nam & istorum trium vicissitudines etiam in ætatum decursu, in temporibus anni, ventorumqúe circuitu, in perturbationibus animorum, cõstrictione ac dilatatione viscerum internorum, etiam in maris fluxu atque refluxu, augmentis & decremẽtis, ad analogiam motus Lunæ: aliarumqúe rerum maximarum (si paulum aduigiles) ratione pulcherrima deprehendes. Hipp. *lib. De genit. figuræ causam refert ad seminis molem simul & potestatem: sed intelligit materialem vel extensiuam, vt logici vocant. mouetur enim hæc ipsa sæpe non tam suopte caloris impetu ac præcipua vi, quàm propter extrinsecas causas, quæ sunt innumeræ, vt phantasia matris, perturbatio, vel appetitus; item impulsus fortuitus ac violentia casus: effigies vteri, vel ipsius corporis continẽtis: de quibus mox paulò vberius differetur. Illud adijcimus, quòd in effigie fœtus quantitas ferè ad quantitatem seminis amplius extendatur; habitus ac dispositio, ad vim materiæ quam habet ab animæ charactere; naturalis potentia & impotentia, ad vim quam habet à spiritu; crasis, ad crasim seminis; figura siue delineatio, ad motum in circunferentiam. Cùm igitur ex duobus principiis antea separatis (quæ tamen potestate omnem rationem patris ac matris in se continebant) per conceptum fiat principiũ vnum, velut materiæ vnius in materiem alterius seminis, spiritu actiuo in spiritum passiuum, charactere in characterem animæ fatescente: omnino efficitur vnam quoque vim formatricem ex ea temperatura protinus resultare: in qua tamen diuersæ appareant velut ministræ facultates, iuxta varietatem partium quæ in vtriusq; principiis delitescunt, sic tamen*

Ad motus normam in calore natiuo mille abditissimarum rerũ rationes esse cælatas.

Locus Hipp. de figuræ similitudine.

Causæ immutantes extrinsecę.

Figurarum species quæ quibus principiis debeãtur imprimis.

Totius conceptus mirabilis ratio.

Facultatum illapsus discrimen atque connexio.

connexæ denuò vt statim ab empsychosi, ab vna idea anima vis continua transeat per spiritum in materiem: licet (tanquam in triangulis angulum siquis cum area & basi comparet) alibi tamen vires ideæ magis vel characterisini, alibi spiritus, alibi materiæ amplius eluceſcant.

Quopacto cælestis vis elementari porriunculæ misceatur.

Multi non capiunt modum quo calor cælestis influat, ac misceatur calori elementari: multo minus quopacto idē cùm sit cælestis tandem pereat, atque (vt ait Hipp.) corpus exedat. Certè (vt paucis expediam) forma quæ cælitus influit calor insitus appellatur. Illesic aduenit, vt si minerua crassiore intelligas admotam igniibiss naphtham protinus flammam in se concipere. Est enim respectus perpetuus spiritus communis, & circumfusi ad spiritus singulos in seminibus à mundi origine constitutos: principiorum agentium ad materiei passibilis vultum siue aptitudinem infinitam: inferiorum ordinum quorumcunq; ad medios, & superiores, propter occulta semina litis & amicitiæ vtrobique celata. Nam horum contactu amor erumpit in vniuersum; ex amore confluxus atq; diffluxus nascitur; (alij syntbesin & analysin, cōcretionem dissolutionemq; dicere maluerunt) ex confluxu fit adhæsio; ex adhæsione vnitio: ac rursus ex philautia partiū, harmoniæ diuortium sequitur: diuortij comes interitus. Postremò per applicationem principiorum, communia fiūt propria, viresq; generales in species sensim, ac naturas insectiles distrahuntur: rursusq; per discessum in communem naturam propria reuertuntur, & lumen cuique vitale siue cælestis radius à corpore separatur, non extinctus propriè, sed pedetentim habenas deferens, propter dissolutam inferioris ordinis harmoniam, cui sustinendæ perpetim, ob materiæ infolentiam sufficere minimè potest.

Amoris nexus in vniuerso.

Amoris gradus.

Vitæ atque interitus ratio.

Quopacto per ire dicatur calor cælestis.

Non in sua natura extingui sed singularium comparatione.

Vti in his prolixior, quòd sciam medicos plures, propter Astronomiæ imperitiam, etiam in rebus ad se maximè pertinentibus

Contra medicos a geometros, abortiuos

mentibus ne cali quidem vocabulum tolerare, solo contentos refugio proprietatis occultæ. quod licet tutissimum illis & expeditum, turpe tamen ac ruditatis maximum est argumentum: ideoq; merito hunc asinorum pontem aliquotics nuncupaui. Putant attamen sese vel Galeni patrocinio à calumnia tutos, locisq; pluribus demonstrare cõtendũt, quòd ipse vim vniuersam vel admissionis formam visus sit retulisse, vel qualitates elementorum. Sed librum De crisibus tertium esse Galeni pernegant: similiter & illud opusculum De spermate scriptum, sed translatum infelicius, inter apocryphos ducunt: quòd in iis præter consuetudinem suam, summa industria lationes, & qualitates corporum superiorum cum inferiorum aptitudine comparauit, vti & hũc libellum (an animal sit quod in vtero continetur) propter dictionis insolitum genus, vel potius quia nõ intelligerent, Iatrosophistæ prius quàm Galeno tribuerunt. Bellè quidem hæc omnia vt hæretici solent, dum eos in sacris sibi suspectos faciunt quorum auctoritate fauces obstringi timent. Quid verò de libris Galeni dicent quos de vsu partium exarauit? Vbi cùm singulis organis externorum sensuum suũ peculiare tribuat elementum, vt terram tactui, aquam gustatui, auditui aërem, ignem olfactui; an aliud visui restat, quàm illud lucidũ cæli, aut oculoris elementum? Velim hi sanè respondeant nobis non circa solius æstus maritimi causas, medullarum in ossibus incrementa, mensiruas mulierum hæmorrhagias, morborum iudicia per criticos dies, menses, & annos, functionis occationisq; tempora, & id genus alia numero infinita: sed rationem aperiant in foro suo cur simul hiocamelus fermum concoquat: salius humana serpentes interimas: Catoblepa solo spiritu sæua dissipat: cur item mentagra Plinij, elephantiasis veterum aliquando vigerint vsq; adeò symptomatibus admirandis; nunc verò vix horum vestigia sint re-

An Galenus cælestem vim in calore non intellexerit.

singulis sensibus externis tum proprium elemẽtum ex Gal. decernitur.

Cælestis lucis ac motus opera manifesta.

Morborum genus atque occasus necessariò ad causas diuinas aut astronomicas referendus.

lecta: nos contrà ephemeram Britannicam, stomacacen, & morbum Gallicum videamus hac ætate grassantes, quorum tamen à vetusto sæculo nulla extat descriptio adamussim congruẽs, nisi morbos fortè fuisse consimiles, mutata duntaxat nomina cogitemus. Sed detur hoc in plerisq;. Saltem id cõstat, post diuturnos congressus supernorum syderum, plærosq; delitescentes hactenus maiore cum impetu, siue ferocia terras inuisere rursum, atq; ex orco in lucem ceu postliminio reuocari. mox iterum languescente prioris influxus radio, perit & morbi vigor. vt etiam nunc morbus ille Hispanicus, siue Gallicus, (nam cui debeas minimè refert) sibi dissimilis videatur, multoq; mitior præ vt quondam fuit, quippe qui propè nil grauius nunc virulentiore scabie repræsentet. Possem & alia in medium ferre, velut de præparandis antidotis sub certo syderum statu atque confluxu: de contagionum differentiis, quarum plæræq; (vt doctissimè Fracostorius refert) è solo contactu solent afficere; alias autem vi-

Morbi Gallici origo, & permutatio.

Antidotorũ præparatio certa.

Morborũ cõtagiones plærăque in spiritus portione materiali, plærèque magis cælesti.

demus in fomite transportari: nonnullas denique ad longius spatium sine aperto fomite peragrare. vt in tabe maligna, & lippitudine, & summè pestilẽtibus malis. nihil enim in omnibus quod causentur inueniunt imperiti, quã quod mulierculis semper in ore est; subesse reconditum virus, vel plagam diuinitus aduenisse.

Conclusio totius demõstr. de innato calido, spirituq;.

Sed redeamus ad ea quæ magis proposito nostro sunt opportuna, quoniam de portentorum effectricibus causis præcipua controuersia est, maior illorum pars ab informantis spiritus vi dependet. Vt enim apta consensio partiũ & qualitatum in materie, rationum in spiritu, & cunctorum mutua symphonia, vt plurimum pro aduentantis animæ dignitate præcedit: sic vice versa spiritus apta constitutio concentum, & delineationes aptissimas in materie facit; idem verò dissentiens variis partibus sibimetipsi, inepta quoque proportio-

Spiritus per calorem opifex delineationis absurdæ aut conuenientis pro ratione speciei.

portione figuram producit absurdam, sæpe & formæ principi minimè consentaneam facit, sed toto genere præter naturam. vt ex Hipp. satis colligitur, quando vim spiritus formatoris ex solidarum partium figuratione metitur, imò ex dentium forma reliqui capitis constitutionem coniectatur, ex capite verò naturam corporis vniuersi. Quò sanè imprimis totius Physiognomicæ artis, Metoposcopiæ, Chiromantiæ, & aliarum consimilium referenda est constitutio, quæ per similitudinum typos sub eodem genere, aut specie interdum non infideliter exarata est.

Physiognomicæ & chiromanticæ fundamenta.

Hæc si demum ab homine ad mundi totius canonẽ trãsferamus, nihil profectò miremur amplius, si vbi peruersa Respubl. est, & loco diuinæ iustitiæ ac pietatis dominentur ambitio, auaritia, odium, crudelitas, & aliæ pestes eiusmodi, vel monstra monstris omnibus atrociora, multa quoque diuinitus innouari iræ, aut cælestis gratiæ testimonia: quæ pariter vel præsentem statum in nube depingant, vel effectus nostrorum scelerum, ac longè ventura demonstrent.

Monstrorum ortus in tota republica.

De singulis prodigiorum causis in specie, ac prius in homine, deinde & in cæteris partibus vniuersi.

CAPVT SEXTVM.

HÆc quidem hactenus de causis in genere dicta sufficiunt: sient eadem exemplis pluribus per species, & partes singulas planiora. Primùm vt ab hominibus ordiamur: Quemadmodum licet ab orbe condito, mẽtis humanæ à Deo facta est separatio per peccatum, ita se scidit omnis illius potestas atque fœlicitas, diuisæ sunt artes ac disciplinæ, diuisæ hominum linguæ, & humana species vna ac simplex, tam in corpore quàm in anima ad brutorum speciem innumera varietate deflexit. Mox enim à cataclysmo vniuer-

1 deductio in homine.

Rerum dissectio propter peccatum.

Varia monstrorum genera post confusi Babyl.

vniuersali, & confusione Babylonica (qualem hæc ætas ceu postliminio reuocauit) nati sunt homines & forma & viuendi genere planè syluestres, Fauni, Satyri, Androgyni, Ichthiophagi, Hippopodes, Sciopodes, Hymantipodes, Cyclopes, Centauri, Amphisbænæ, Pygmæi, Gygantes, Acephali, Cynocephali, Atomi, Funesti, Anthropophagi: cuiusmodi non quærenda sunt in solis Fusilis nouis, cùm apud nos passim & horum plurima, & longè atrociora iustitiæ legibus conculcatis, omniq; tum humanitate profligata, tum discerpta religione scaturiant. Sed vt corporeis tantùm spectaculis insistamus, adsint his aër & volatilia monstra, & natatilia pōrus. partim in speciem abeuntia, partim in vno tantùm singulari ad certum curriculum temporis permansura. Medicorum filij, qui nihil sibi ἄλογον vel inaccessum putãt, bellè

Monstrorum physicæ causæ.

1 ratiocinantur, dum modò in congressus syderum analogos
2 causam referunt, modò in concubitus illegitimos: sæpe in
3 qualitate seminis, aut formatoris spiritus vim collocant vni-
4 uersam: sæpe in proportione turbata, principiorum in con-
cursu, vel distractione fortuita, pro quantitate loci, situs ac
5 temporis modo: sæpissimè verò imaginationem matris incu-
sant. quæ cuncta plurimum posse non dubitamus, & passim quotidiana exempla confirmant: nam & Empedocles monstra fieri dixit per exuberantiam defectúmue seminis, aut illius agitationem turbulentã. Aristoteles verò quambreuissimè, dum naturam materiæ naturæ formæ non superat. Atqui naturam formæ hoc loco virtutem informatricem medici rectè intelligunt. Sed potiores causas omittunt: peccatorum merita scilicet, consensúsq; naturalium cum cælestibus ac planè diuinis. Hac itaq; rectè partus biformes, triformes, polymorphos: qui sæpè vel sola mole, aut numero partium, sæpe figura aut specie cacodæmonis, lupi, tygridis, sæpe aut voce horrenda, aut actionis alicuius alterius mirabili vi mortalium corda percellunt.

6

Monstrorũ modi paucis exarantur.

Sed nil adeò mirum tantam esse vim spiritus per cuncta Plura de formatoris spiritus energia circa monstrorum ortus.
meabilis: sive communem quempiam duntaxat extrinsecus assistentem, sive insitum seminibus contemplemur. Illum noster Hipp. extendi voluit (libro De flatibus) à cali vertice, per omnes intermedias classes, vsque ad centrum terræ, accedente suffragio poëtæ opt. maximi, Principio cælum & terras, camposq; liquentes Spiritus intus alit, &c. Aen. 6. Non est quòd longius argumenta trahantur: spectemus quæ tantùm in viuis, quæq; in defunctis corporibus agat. nam præter portenta innumera, quæ parentum vitio, atq; è seminis vnius corpore proficiscuntur, quoties vidimus imaginatricis facultatis vehementia, maternos affectus, amorem vel immodicum appetitum, odium, iram, spem metumq;, vel propè maturis fœtubus inolescere, vt & brutorum animantiũ, & rerum inanimatarum notas ad vnum exprimant? Ipsis etiam brutis animalibus, eiusdem phantasiæ incredibili vi, Opera spiritus admiranda in fœtubus.
Phantasiæ vis in brutis.
variæ tum colorum, tum figurarum species adhæserunt. Sic nostra ætate canem vidimus cui caput accipitris esset, spectandum populo circumferri: ita natum ex terrore dicebant. Mulier prægrandi vtero tumens, cùm partus tempora non Historia.
procul ab Epiphaniæ festo, seu Trium regum, vulgari calculo coniecisset, aliis alludentibus ac si reges tres vtero ferret, quod fœlix faustumq; sit illa respondit: neque fefellit euentus rei; nam regum profesto enixa est proles masculas tres, quarũ vna colore bituminis regẽ Aethiopem præ se ferebat, etsi eadem non superuixerit diu. Hæc quia conspecta Louanij, patris ac aliorum plurium testimonio confirmata, protulimus. Alteri in eadem hac ciuitate, cùm partus non procul abesset, hostili vultu & supra modum terribili maritus imminens, cùm præ iracundia strinxisset gladium velut in cranium impacturus: hoc effecit, vt quanquam fuga salutẽ mulier reperisset, infanti tamen eadem caluariæ parte cui Altera.
acies

acies minitabatur, magnum continuitatis diuortium appareret, statim ab enixu sic effluente sanguine vt nullo conatu vel arte tempestiuè reprimi posset, atque infans protinus expiraret. quo sanè exemplo nihil vnquam mirabilius visum est, cùm iam grandior fœtus vix vllam impressionem à spiritu tam potentem potuisse recipere putaretur. E multis pauca sufficerint. non enim omnia memorare fert animus, sed certiora ac ferè domestica, non tam historiæ, quàm demonstrationis contexendæ scopo. Constat porrò eiusdem spiritus facultate, & alia nobis innumera supra fidem in hominibus exerceri. Contigit viuis, vt narrat Cœlius Rhod. tantam huius potentiam cælitus dari, vt quoties vellent intentione animi summa, omnem propemodum doloris sensum à corpore sequestrarent. vt quanquam pungerentur, secarentur q3 profundius, tanquam vita defuncti ad tempus aliquod, ac planè immobiles permanerent. quãquam id etiam in magnis perturbationibus, non aliter fortassis eueniat, & populo cuidam id familiare penitus esse, ac velut natura insitum Petrus Pomponatius scribat. Videmus extincto quoque cadauere vsq3 ad tertium diem, intersectoris imaginem velut in concreto sanguine latuisse, quum eodem semel præsente, residuus ille spiritus, propter ideas inhærentes, in percussorẽ obuium concitetur: nec prius profluuium sanguinis è vulnere supprimatur, quàm qui occiderit longius à funere sit semotus. quod studiosè semper ad probandum facinus, à prætoribus atque consulibus in plærisque ciuitatibus obseruatur. Refer huc omnia quæcunque de fascino, & ligaturis physicis (vt vocant) virtute imaginatrice fieri posse dicũtur. Multi hosce effectus in verba, & characteres referunt; alij ad influxus syderum incantamentis & notulis congruentes. Sed sanè in omnibus pura ac puta est vanitas à christiana puritate longius explodenda. Multum in plærisq3 innatam vim spiritus

Ecstasis per imagin.

Spiritus vis quid etiam in cadaueribus possit.

Fascini vel incantamenti multiplex ratio.

ſpiritus poſſe non dubito: plus tamen fidem, & phantaſiæ vires per radium ab anima dimanantem: multo plus dæmonum pacta, qui ſuis diſcipulis formam præſcribit agendarum rerum atque materiem, ac vel falſa illudit ſpecie rerum, vel pro momento apparentis boni, vulnus infligit immedicabile.

Aſtus diaboli.

Eſt aliud magnopere medicis expendendum, quòd in morbis grauiſſimis ſæpe euadunt vel imbelles plurimi, etiam omnibus reclamantibus notis quæ iuxta Hipp. ſacroſancta oracula mortem in limine eſſe deſignent. Sic in vulneribus cerebri, fragmento caluæ ad mollem vſque meningem per duram prorſus adacto, nonnulloq; ipſius ſubſtantiæ apparẽte effluuio, nuper è populo quidam nobis manum admouentibus eſt reſtitutus. Hiſpano iuueni magna hepatis portiuncula, per ilij dextri vulnus exudans, certum ex dicto Hippocratis exitium portendebat. præter tamen ſpem omnem, poſt aliquot menſes, decoctis vulnerariis, ac manuali induſtria ſaluus euaſit. Vidi quibus pulmonum fibræ, inteſtinorumq; tenuium, & renum, & vteri portiones ſatis effatu dignæ tum per abſceſſus, tum per vulnera ſint ablatæ; & tamẽ viuunt, vnamq; in rebus deſperatiſſimis diuinæ bonitatis & fortitudinis gloriam profitentur.

Spiritus energia in ferendis morbis.

Caſus admirandi in morbis & vulneribus.

Contrà inuenies alios toto genere vitalis ſpiritus differentes, qui vix vlla vrgente occaſione ſenſibili, etſi omnes opes artesq; in vnum conuoces, à morbis tamen leuibus celeriter eneruati vitam morte commutant, ac licet robuſtiore corpore videantur, ſtatim à principio ita percuſſi iacent, vt ex ſolo decubitu ægrotantis, non accedente lethali altera nota, moriturum ægrum aliquando prædixerim, quòd pro totius corporis mole non reſpondere ſpiritus videretur. Horum facilis eſt experientia in popularibus morbis, præſertim ſi cæteris paribus (vt morbi ſpecie, ortu, progreſſu, magnitudine, naturaq; temperamento) duo tréſue laborantes animorum ſola efficacia, & ſpiritus alacritate

Cur multi à paruis quandoque morbis intereant, aut euadant à maximis, præter ſpem medici.

critate dissideant. Huc refer historias admirandas quæ in extirpandis aculeis, rumpendis abscessibus, vulneribus glutinandis, eliminandis calculis, corruptis fœtubus ac membris, singularem naturæ providentiam mille modorum artificem vel supra humanum consilium profitentur. Talia sunt plurima, quæ A. Benevenius scribit, quæ I. Lembergius, Achilles P. Gasparus, præsertim de fœtu per annos plurimos in vtero suppurato. Hæc sanè tum Gal. tum Hippocrates ipsius multis locis insinuant, tanquam ad prognoses, & curationes medicas plurimum conducturæ. Nam & seipsum castigans Hipp. libro Prorrhet. 2. ταῦτα πάντα ὀλέθρια ἰσχυρῶς, id est valde perniciosa, vocat, ἐκ τινος ἄδυτα ὡς δοκεῖ, id est non tamen nulla, vt apparet, euadendi relicta spe; quo dicto monet non nimium signis etiam euidentibus tribuendum, quòd maior naturæ vis in abdito collocetur.

Obseruandus locus Hipp.

Contra ambitiosam prædictionis in medicis plærisq; licentiam.

Qualis verò materni spiritus in ipsum fœtum, aut proprij cuiusque caloris in suammet corporis officinam: eadem vis & ratio communis intelligentiæ in partes singulas vniuersi, in cælos & meteora, metalla, plantas & animalia, vt antè demonstratum est. Nunc autem & monstrorum varietas maior vel vno hoc fonte dependet. Nam quamuis Arist. τὰ τέρατα vocet ἁμαρτήματα τῆς φύσεως, de plærisq; duntaxat dictum id accipi debet. Sunt enim monstrorum plurima quæ vim materiæ propius comitantur, & hæc inordinata magis, à criticorum exulant dignitate, fiuntq; sæpius aut propter concursus pœnè fortuitos amborum seminum, aut constitutione quapiam præter naturam naturæ ordinem perurente, aut ex cõceptis imaginibus matris communem characterismum spiritus, siue specificam notam ab animæ parentis nuper impressam commutante plurimum affectus alicuius tum diuturnitate, tum vehementia. In istiusmodi monstris naturæ passibilis vi concedit illa nobilior actiua magis, &c.

Demõstratur eadem vis spiritus formatoris in vniuersæ. Monstrorum aliud discrimen.

Vbi monstrũ naturæ peccatum cẽseatur.

gis, & cælitus orinda: ideoq; ab instituto aberrasse non immeritò iudicatur. Nam quòd à prima mente, dum conderet vniuersum, inuta rationis speciem formatori spiritui inoleuit, (vt orbis interitusq; successu, ad eius exemplar naturas sub eadem specie indiuiduas insigniret) idem sanè ad speciei, vel formæ conceptæ expressionem perfectissimam non pertingit: sed excurrentis materiæ ineptitudine præpeditur, vel occasionum contrà obsistentium facultate peruertitur: quanquam (vt alibi demonstratum est) si magis cum Christo sit philosophandum quàm cum gentilibus hisce philosophis, nihil penitus fortuitum Deo, nullum etiam naturæ formatricis erratum apto sermone dicemus. Vtrumq; enim nostri comparatione quid tale videtur, ipsa tamen diuina mēs & certo fine, & instrumentis, ceu mediis, in illū conuenientibus, agit, maximeq; ordinata incedit via, secundum intelligibiles mundi abditissimas rationes. natura autem mutabilis illi obtemperans, etsi iuxta inferioris mundi seriem à solita lege deflectat, rapitur tamen diuini spiritus vi, iā seipsa propè diuinior facta: quippe quæ legi antiquiori porrigens manum, toti se subijciat totam, fatoq; conspicuo, diuinæ illius prouidentiæ fatum augustius multò, atq; sublimius esse demonstret. Illa etenim χρυσεὴ σειρὰ si per delicta mortalium non antè conuulsa tanquam abruptis ansulis dissiluisset, suum quoq; seruarent conuenientem locum in vniuerso, & præter ἀταξίαν omnem, postrema prioribus tam in effectuum, quàm causarum genere consentirent. Sed ex naturæ angelicæ superbia scelus, ceu coniuratione in Deum facta, tandem ad homines dimanauit: vnde solutus ilicet ordo ille pulcherrimus inter Deum, Angelos, stellas, & orbem sublunarem, vniuersi faciem ornamenti parte præcipua spoliauit. Quo fit, vt multò aliter cælestis regio naturam afficiat elementarem, hominesq; concutiat labe turpissima à prima perfe-

Verior sententia naturam non errare.

Cathena aurea cur non ita perpetua & inconcussa.

perfectione degeneres, dicente scriptura, stellas etiam vix mundas esse in conspectu opificis sui: quod enim in illas nostri vitio, & contagione dissensum est, vicissim hac reflectitur, vagarum ac decrrantium motionum, deformium quoq; conceptuum & fœdissimarum generationum præcipua causa. Ergo præter τὴν ὕλην, siue materiem, propria quadã insolentia deprauatã, recessu videlicet ab vno in multitudinẽ, contaminata primũ est diuina in nobis particula mentis, accessitq; imaginationis absurditas, appetitionum, & aliorum affectuum ametria: vnde & morbi paulatim in generationis vitia pullularunt: accessit influxus syderum, quæ qualicunq; systemate vires cõtulerint suas, boni studio fœcundos radios huc transmittunt, vt causis inferioribus suffragẽtur. verùm non secus quàm per infecta variis coloribus perspicilla aliam certè quàm in natura sua possident ac pollicentur, speciem, figuram, magnitudinem ex corruptela materiæ præsentant. Et hactenus quidem ceu physicæ causæ & propiores suis effectibus recensentur, quas alij diducunt accuratius in certas constitutiones, motus, proportionesq; aliorum principiorum maris & fœminæ, seu species homines totos, seu generationis instrumenta duntaxat, vterum ac pudenda, seu deniq; excretam à parentibus genituram.

Quo pacto hominis vitio cætera contaminata, & pertuibatus ordo fit vniuersi.

Aliæ causæ physicæ & propiores.

Nam quanta potestas vnius ferè materiæ, non solùm partus maturi docent, sed & conceptionis primæ, formationisq; admiranda diuersitas. Monstra enim, abortus, effluxionesq; inutiles ac deprauatæ multum inter se differunt. Monstri appellatio vix aliàs rectè quàm gestationis expleto curriculo, perfectiori fœtui tribuenda est. Reliqua verò in vteri cæcis latibulis antè contingunt, vel saltem rationem nominis consequuntur, quàm ille gestationum communis terminus expirarit. Abortus fieri constat, vnoquo q; in sua specie permanente: etsi & monstrorum abortus aliquos velut composita

Abortus atque effluuij differentia.


Abortuum causæ triplices vniuersim.

compositâ quadam ratione existere non dubitemus. Causæ illorum sæpius in retentrice vteri facultate, interdum in ipso corpore genituræ: postremò & in proportione tum vteri ad conceptū, tum amborum seminū inter se. Retentrix sæpe minuitur, aut penitus aboletur, attractrice tamen integra persistente: idq; nunc propter insignem intemperiem, calorem, siccitatem; præcipuè tamen humiditatem, aut frigus exuperans. hinc enim exaucta vel aquæ copia, vel pituitæ fœtus ligamenta dissoluit: vt etiam teste Hipp. muccilagineus humor hic acetabulis adhærescens, mulierem vixdum expleto tertio mense abortire compellat: nunc propter figuram vteri, constitutionem q; vasorū vel membranarū non ita fœtubus retinēdis idoneā: præsertim si partu multiplici relaxatæ venæ at q; arteriæ (sicut plurimum fieri solet) in varicosam speciem (Græci κιρσοειδῆ vocant) instar capreoli contorquentur: nunc denique propter extrinsecas causas, intempestiuos scilicet motus corporum, animorum, vigilias, inediam, casus, percussiones, & id genus alia infinita: licet autem sub primo genere cacochymiam insignem, atq; plethoram, id est humorum corruptelam, & sanguinis redundantiam comprehendas: etsi sæpius ad causæ antecedentis catalogum referantur. Verùm abortus ab ipso totius genituræ corpore proficisci nihil est mirum: quando vel quantitate nimis exiguum est, vel facultate attrahendi sanguinis imbecille, vel ab initio vasis vteri non pertinaciter satis adhæsit, propter imperfectam formationem in propriis involucris. Iniqua proportio fœtus ad vterum, vel amborum seminum inter se, iudicanda est vel quātitatis nomine, vel qualitatis, vel ordinis ac loci, vel temporis in agendo, vel denique totius substantiæ: quorum omnium exempla reddere singulatim, non tam difficile, quàm properantibus permolestum.

Vasa vteri varicosa fieri post multiplices partus.

Conceptus prima delineatio.


I



A. Vteri fundus.
B. Ceruix resecta.
C. Os vteri conceptionis instrumentum.
D. Venæ & arteriæ quæ cotyledonas formant in vteri cõcaua superficie.
E. Membrana allãtoeides.
F. Parenchyma fœtus.
G. Vasa varicosa & constituta præter naturam.


ABORTVS FORMA

Z



A. Chorion cũ parenchymate affixo.
B. Allãtoeides membrana vel farciminalis secũdum involucrum.
C. Amnion membrana interior tertia ac tenuissima, inter quam & fœtum sudor pueri continetur, inter quam & chorion & allantoidem urina pueri secernitur.

3




Abortus figura cum membranis.

Vmbilici vasa.

Galea infantum siue membraneum inuoluctum præter communem cursum.

Infans galeatus.

5




4





EFFLVXIONVM VITALIVM


* & non vitalium ſpecies 3.

1. Generis. Secundi generis varia.










Tertij generis.



*Nunc autem effluxiones ab vtero vitiosæ solius propè materiæ vitium, absurditatemq; consequi solent. Sunt harum genera duo, nam plæraq; licet informes, attamen animantur; aliæ vitam nõ concipiunt. * Inter non vitales prima species est concreti sanguinis velut in carneã massam : in qua tamen neruosi ductus, ac venarum, arteriarúmue lineamenta appareant : sæpe verò & ancipullæ tenues, quarum aliæ candidæ et piscium oculis non absimiles, aliæ vitellos ouorum aptissimè præ se ferunt, vt sæpissimè à nobis est obseruatum. Hoc genus non ita absimile parenchymati fœtus, quod in inuoluẽtium membranarum vasis affigitur, ad elaborationem sanguinis meliorem, prius quàm per vmbilicum in corpus infantis distribuatur. Fallopius placẽtam vocat, pulmonis substãtiæ figuraq; proximam, vt nobis videre hactenus licuit. Est alius modus vbi crassum duntaxat, atq; membraneum corpus excernitur instar vesicæ densioris : quod serè ex amplo ventriculo in angustum verticem surgit, non malè rostro suillo vel animalis alterius comparandum : hoc enim solo agglutinatur cotyledonibus vteri, viuens duntaxat vt fungus aut planta terrarum visceri radicitus adhærescẽs. Eadẽ species non semper vniformis existit : sed sæpe & polypi more in ramos ac rostra compluria, vel brachia prorogatur : sæpe*

Effluuiorum causæ & modi. Genera 2.

1. Nõ vitalium species.

2 De hoc plæraque Lemnius lib. De nat. miraculis: quę tamen nõ tam ex autopsia quàm sola relatione deseribit.


interiore sinu (si adaperias) solam inuenies concreti sanguinis massam: sæpe & textum neruosum, implicitum instar labyrinthi: sæpe res maximè peregrinas, cuiusmodi in abscessibus solent. Nam tales infinitæ species, etiã pro imaginationis varietate à matribus inducuntur, præsertim accedente seminis qualitate, & rerum consensibus externarum. Tertium genus effluxionis non vitalis, ad molæ appellationem non immerito eligamus: quando formationis quoddam exactius est rudimentum in carnis confusæ speciem nunc penitus nudam, nunc inuolucro densiusculo circumtectam. tale etenim ferè ob masculi seminis penuriam concipi solet, si vicem istius fœmineum semen aggreditur: postquam non ineptè & masculum semen atque fœmineum scribat Hipp. ab vtrisque secerni, & secundum exuperantiam facultatis agentis atque passibilis, mares aut fœminas nasci, nulla tantopere in quantitate seminis posita ratione. Molæ interdum sunt carneæ magis, interdum nerueæ. Figura quoque cunctis non est eadem, sed omnes vtero pertinacius hærent: sæpe & annis pluribus, non sine gestantiũ summo discrimine, tumore, morsu & atrophia. Etsi verò non eiusdem generis sint infantum galeæ, vnius tamen considerationis carceres ingredi consueuerunt. De illis multa fabulantur antiquitus, ac virtutem tribuunt admirãdam. Nam & M. Antonium hoc insigni celebrem prodidere. Sed reuera nihil est aliud, quàm membrana alterius rudimentum, amnio multo tenuius, sed tamen solidius, limbo purpureo velut fimbria cinctum, atque sic capiti toti vsque ad vmbilicum penitus obuolutum, non sine ingenti periculo pueri, nisi quamcelerrimè detrahatur: vt ipsius in primogenito filio qui galeatus in orbem venerat obseruaui. Nascuntur dubio procul ex superabundanti seminis recremento, virtute formatrice in omnem circumferentiam validius fusa.

3. Molæ ratio.

Vnde nascantur mares aut fœminæ.

nam

Variæ commiſſuræ ſpecies.




Talium frequentiſſima cõſtitutio eſt, vt ex Lycoſthene atque aliis patet.

nam & fœminæ dum tales pariũt, vix vllam ſeri aut mucci copiam ſub idem tempus euacuant. Iam verò ſi non vitalium effluxionum ſpecies animo perluſtraris, totidẽ prorſus inuenies, quibus cum vita motus ſed incompoſitus aſpiratur, propter præſtantiam ſpiritus in rudi mole demerſi. Tales ſæpe cũ fœtibus edi ſolent, tales mirandã eroſionis acerbitatẽ embryoni ac matribus ferunt, excluſi in lucẽ inflãtur variè, diſcurrũt, iniectiſq; per obſtetricẽ molibus ſuffocãtur.

IDEM *verò materiæ vigor atque varietas in monſtris apparet. hinc enim aliàs trunci & mutili fiunt; aliàs parti pars quædam adnata producitur; aliàs turpi hiatu quæ committi debebant naturaliter, diſtrahuntur; quæ diſ-* Monſtrorum ſpecies vnde tam diuerſæ.

Z



Roma 1493.
Item in agro Veronensi 1475.

cerni, committuntur; aliàs toti fœtus totis variè glutinantur, nunc commissis inter se capitibus, nunc dorso, ventre, pectoribus, nunc pedibus manibúsue, aliísue modis infandis & infinitis. Miserandasuit duarum virginum copula ex vnius

Historia. *frontis adhæsu, quæ cũ aliquous q3 adoleuisset, morte vnius factum diuortium est, vnaq3 à fronte resecta non multo pòst & mors alterius subsecuta est, has se vidisse refert Munsterus Moguncię Anno 1501. ætate circiter annorum sex. Vnam mulierem vnico partu dierum anni numerũ expleuisse certa historia est. Anno etenim 1322. (vt Massæus meminit) quo leprosi per Italiam fontes infecerãt, Margarita comes Hollandiæ eas pro adulteris fœminis arbitrata quæ gemellos parerent.*




3

Prope Wormaciam 4. Idus Sept. anni 1495. Huic propemodū ſimile Louanij natum 1547. ſeptimo Idus Aprilis, ſed ita vt vnum caput duobus affixum corporibus ſpectaretur.

verent, imprecatione cuiuſdam pauperculæ, quam fortè eandem ob cauſam acerbius increpaſſet, vno peperit partu liberos 365. omnes vitates, pollicis magnitudine, quos ſacro fonte candidatos continuò mors excepit. Vidit parens Alia Hiſt. *hîc Louanij gemellos ita commiſſos, vt capite diſtincti, brachiis manibusq; quatuor, ventre & ſterno pectoris copularentur. Inuentum illo præſente per anatomen cor commune, cerebrum ſuum cuique ſecretum. Neque vulgaris quæſtio an pro vno homine, an pro duobus foret genus hoc monſtri philoſophis appellandum. Orta eſt contentio varia, aliis ſedem τῆς ἐντελεχείας in corde, aliis in cerebro collocantibus. Mihi quidem (ſaluo ſemper meliore iudicio) formæ humanæ dignitas ex rationis domicilio potius æſtimanda cenſebitur:*

An in monſtris duæ animæ an vna tantum.

quam-



Louanij anno 1536.

Item Werdenbergæ anno 1489.

quanquam in corde ſit fons caloris vitalis, ac facultatum animalium & naturalium præcipuus nodus. hoc enim ad vitam & totam animalis compoſitionem potius quàm ad differentiam ſpectat. Adde his quòd & formatrix vis, quæ primùm cuncta delineat atque diſcernit, in cerebro habere primam ſedem certiſſimò demonſtretur, ſi quis noſtræ conceptionis monogrammata ſeu embryonis primũ formati rudimenta per ſectionem anatomicam quamaccuratiſſimè contempletur. ſemper enim particulis cæteris grãdius caput inuenimus, quin & perpetua proportione minora ſingula mẽbra quanto longius à capitis regione diſtiterint, donec plenæ formationis typum ſunt conſecuta. Idem in ranis aliiſque animan-

Vis formatrix in cerebro collocata.

Exorbitantis quantitatis paradigmata.

Androgyni.

5




6



animantibus facile est animaduertas. Quòd verò & Gemini, & Polymorphi & Androgyni nascantur viri pariter atque mulieres, causam astronomi similiter exquisitius astrorum certa conspiratione deducunt, vt ex mistura Veneris atque Mercurij, præsertim in bicorporeis signis reperiantur. sed de his consule Ptolomæum opere τετραβιβλίῳ. *quanquam hisce principiis in eo genere sit, vti diximus, quamminimum tribuendum: cùm inordina-*

Monstrorum astronomica ratio.

tum



tum omne, rebus ordinatissimis ab exordio mundi imprimis sit alienum: sed vbi materies præstò est, figurarum cælestiũ analogias plurimum posse, non inficior. Quæ autem nimis rara, varia ac insolenti specie à nota rerum forma discrepant, hæc certè omnino diuinitus edi consentaneum est: vt vel depravatæ religionis imaginem, vel tyrannorum pestilẽtes mores, vel seditiosi populi inconsultam temeritatem sub obtutus mortalium ponant. vt monstrum in Tyberi inuentum Anno 1496. squamosis humeris, manibusq; adũcis, gryphium vnguibus, capite & ceruice asinina, aliis partibus nũc virum referentibus, nunc mulierem, nunc bouem, draconem & ele-

Diuina ratio.

Monstrum in Tyberi inuentum.

Diminutæ quantitatis monstra.



9

1556 hæc passim circumiës visa est, vsa pedibus quamdexterrimè semper manuũ loco.



10

In agro Piceno.



Augustæ Vindelicorũ, anno 1531

& elephãtem. Sed plura eiusmodi apud Lycosthenem, Laubanum, Fritschium, Casp. Peucerum, Val. max. Fulgosium, qui prodigia ex professo qualia locis quibusq3, & temporibus contigerint, elegantissimè descripserunt: nos horum plaraque excerpsimus reseruatis aliis in alium locum.

Famulantur primò conditori supranaturam res maximas digerenti dæmones & boni, & mali: hi quidem vt carnifices

Causæ monstrorum secundariæ.

Pro-



Monſtrum Rauēnæ natum 1512.



Tale refert Romana hiſtoria.



Hæc scelerum vindices, inuidiæ stimulo in genus humanum alterius incitati; illi verò tanquam magni regis satellites, aures atq; oculi, (vt Philo inquit) qui per naturæ stadam ascendentes iugiter, descendentesq; & mandata Dei ad genus mortale perferunt, nostrasq; vicissim preces ad vniuersi præsidem Deum: cùm minus conuenerit, propter iniquam proportionem inter eos primum & ignobilem hanc materiem, etiam summa beneficia nobis diuinitus sine mediatoribus elargiri, nec scio an vllum maius existat erga mortales tum diuini amoris tum prouidentiæ argumentum.


Epilogus causarum ordine cohærentium.

Ita quidem se habent monstra in vniuerso, cuncta propriè (vt concludam epilogisticè) ad vnum formatorem spiritum referenda, ceu proximam causam inter effectrices vel effectricium instrumentum. Reliquæ sunt imprimis velut antesignanæ Deus & Angeli; & Cacodæmones: secundò cælestia corpora: ac postremò ipsa materies, spiritumq; in singulis, & animarum conditio miseranda, peccati turpitudine à priore fœlicitate delapsa. Neque iam difficile est in aliis similiter ratiocinari quæ intra minoris mundi circuitus noua, & insolita ratione contingunt. nam & humoribus nostrorũ corporum, rebusq; contentis multa obueniunt, in prodigiorum catalogum referẽda. Nullum ferè vasorum genus existit, nulla cauitas, aut recessus cui non lapides admirandi, sæpe & res metallicæ, vermes, & animalcula omnis generis, quandoque & humani artificij imitamenta nascantur. cur enim consimilibus causis quæ terræ viscera ferunt quotidie non etiam in animalibus procreentur? sunt enim vbique meatus varij sensiles atque insensiles proprio quodam sensu & facultate præditi: inest his ipsis opifex calor ideis innumeris procreandarum rerum longè plenissimus: accedit materies multiformis, quæ pro sui diuersitate ab eodem calore interdum discutitur, interdum putrescens leuiter ani-

Secunda dictio prodigiosarum rerum quæ in humanis corporibus solent occurrere. 1. Affectuũ & symptomaton.


Caloris opificis vis admiranda.

Calculi veſicæ quales à nobis ſpectati ſæpius.



Cortices lapidum veſicæ ac velut exteriora putamina.

Varij renum lapides.



matur; ſæpiſſimè verò in lapidis ſpeciẽ, aut corporis alterius indura-

induratur. Cõsule quæ cũ Galeno veterũ plures de mirandis generibus abscessuum tradiderunt, vbi nunc acus, nunc cultri, atque nouacule, nunc insecta quædam animantia sunt reperta: Naturam habent qui passim nascuntur lapides; cuiusmodi nunc sub lingua genitos, nunc in pulmonibus, atque per os excretos vidimus, paruos, albicantes, duros supra modum: nunc in folliculo fellis per inflammationes proximorũ viscerum, aut obstructiones diuturnas coaluisse deprehendimus: erant hi ferè anguloſi, exterius nigri, intus subflaui, fusci, ac sæpe coloris varij. Exemi ab vno hydoprico secto solius fellis calculos 32. quorum minimus pisi communis magnitudini respondebat, maximus nuci auellanæ. Est & in

Abscessus mirabiles. Videexemplũ memorabile apud Lycosth. anno 1539. Lapides in humane corp. & varia eorundẽ historia.

Rarus casus.

Lapides è pulmone secreti.




Lapides in fellis folliculo nati.




Lapis in humano cerebro repertus.



Saxeum crassamentum circa membranas sigmoeides arteriæ aortæ.



Ossiculum repertum in corde humano.



Os cordis cerui-

cerebro apud nos paruus inuentus lapis illi non abſimilis quẽ Dreſdenſis Medicus quidam Iohannes Centmannus inter Geſneri monumenta deſcripſit. Semel cuidam ſeni à nobis diſſecto præſentibus ſtudioſis plurimi lapilli viſi ſunt accreuiſſe circa baſim arteriæ magnæ. Huic & oſſiculum aderat inſtar malleoli inter cartilagineos circulos cordis, arteriæ aortæ & venæ arterialis, ipſa ſpecie prorſus cum cordis ceruini oſſibus comparandum. credidi hunc ex inflammatione arterioſi ſanguinis occubuiſſe: hic enim toto ferè arteriarum procurſu velut ſanioſus, purulentus, liuidus, ac ſparſim quoque concretus apparuit. Mulier quædam poſt diuturnos ſtomachi dolores, lapidem excreuit per inteſtina triangularẽ, caſtaneæ nucis quantitate: credo in pyloro per annum integrum latuiſſe, vt antecedentium ſymptomatum ſeries ac natura monſtrauit. Mirabilius multò, quòd per ſedem ſimiliter exciderit fœminæ vetulæ, ſed prægrandior, lapis omnino rotundus, ſaltem ouali ſpecie, foris partim fuſcus, partim ater, ac velut ambuſtus: quem cùm perforare paululum attentaſſem, diſſiliens in duas partes, intus ſubſtantiam inſtar vitri purioris aut cryſtalli pellucidam, multis ſtriis atque radiis in vnum centrum confluentibus, oſtendebat. Hoc in cæco inteſtino per aliquot menſes concretum latuiſſe non dubitabam, ex doloris loco quem antè perceperat, partiſq; laborantis tenſione & grauitate in dextro ilio, ſub coſtis ſpuriis, vbi cæcum illud inteſtinum fibris membraneis tum peritoneo & hepati, tum meſenterio alligatur. Vermes excreti pluribus non tantùm tæniæ ſimilitudine, qualem & nos ſtudioſis oſtendimus ad duodecim aut 13. pedum lõgitudinem, ſed & peregrina forma ſtupendi, nunc ranæ, nunc lacertæ, aut ſalamandræ, aut alterius animalis, cimices, pediculos ex aliqua parte, vel totius corporis habitu ſcaturire, ipſa nimirum carne vel adipe in tabum, & fœdam ſaniem reſoluta, mirabile

Alius.


Alius.

Alius.

Vermium & animalculorũ varietas admiranda.

Phthiriaſis.

1 Lapis in pyloro genitus. 2 Lapis in cæco intestino natus. 3 Vermis latus.




4 Lumbrici teretes. 5 Acarides. 6 Vermes polymorphi.

mirabile quiddam & infrequens : certè putredinis formæ plurimum debet; sæpissimè tamen ac multo apertius vindictam numinis repræsentat, vt & furores, & sanguinis vomitus in plerisq; lacertas 3. aut 4. à medicamento purgante deiectos semel atque iterum vidi: semel & oliuaria quædam corpora plura 60. numero ex aluo pueri prodeuntia per dysenteriam. Semel consimili morbo velut vitellos ouorum induratos: semel vt fœturas piscium. Non parum me attonitum reddidit ingens copia rerum memorabilium excreta per sedem, in muliere florentis ætatis, quæ per nouem annos variè infandis intestinorum doloribus conflictata, mẽbranæ


Excretiones per ventrem mirabiles.

Rara historia arboris in visceribus nata.

Corpuſcula varia per dyſenteriam excreta.



Fragmenta arboris per abſceſſum ſecreta.



primùm aut tunicæ craſſioris rudimenta deiecit, ſecuta ſunt arbo-

arboris frusta ingentia, plæraq; pollicis crassitudine ac paulò etiam longiora, pariterq; omnia ferè quæ ad arboream speciem pertinerent, folia scilicet laurinis foliis non absimilia, radices, cortices, etiam quæ tomento alicui inclusos nucleos, nullo tamen vestitos putamine, præ se ferrent. Habebat hæc fragmentorum eiusmodi ingentem pyxidem plenam, nobisq; in memoriam rei è singulis data portio est, quam thesauro chariorem hactenus seruo, eandem historiam plenius traditurus inter historias medicas, ac παρατηρήσεις morborũ, quibus nil hodie scribi vtilius potest. Omnem fidem superat anguillæ viuæ per inferiora secessus in puella annorum 14. cui & ab initio affectus præsens affui anno 1572. Nam & huius ratio, vti & præcedentis casus vniuersa in artem magicam, dæmonumq; præstigias est relata. Verùm de hac copiosius sequenti libro, atque inter huius ætatis prodigia referemus. Nescio an rectè in eodẽ nauigio collocarim, quæ ad vnius hominis occultam pertinent ἰδιοτροπίαν, ipso etiam à semine succrescentem: saltem affectus prodigiosi genus, aut monstri simile est homines nasci, qui vel annorum plurium, aut mensium spatio ab omni penitus tum cibo, tum potu visi sunt abstinuisse: quanquam id contigerit sæpius fœminis quàm viris: credo ob insitam prædominantis frigidi temperaturam, cui exiguo, ad sustentandum calorem insitum, opus est alimento: cùm & minimum discuti possit; accedente insuper tenacis humoris copia, quæ in hoc sexu sæpius per totum habitum sparsa luxuriat: cui alludens Hipp. in epist. ad Dionysium, Semper (inquit) opus habet mulier moderatore: habẽt enim à natura in se lasciuiam, quæ nisi quotidie resecetur, velut arbores in materiæ multæ effusionem exuberat.



Alius casus insignis.

Monstrosæ naturarum proprietates in pluribus inuentæ.

Prodigiosa abstinentia cibi & potus.

Cur fœminis id sæpius accidat.

quanquam ille fortaſsis in mulierum genus iniquior, ac iuſto ſuſpicacior fuit. Certè & noſtra ætate grãdeuam fœminam vidit parens, quæ ne ad momentum quidem abſque ingeſtione ciborum & potuum viuere potuit, quin ilicet anxia ſupra modum exiliret, & tanquam iniecto laqueo ſtrangulanda quamprimùm videretur. Hoc illi vitium ferè à pueris, cum ætate habuit incremẽtum. Creditum eſt multis aut ſanguem, aut ſimile quidquam in corpore naſci. Tentatis variis nihil omnes medici profecere. Sed vna duntaxat ratio fuit referenda in hepatis molem, vel, vt verbo dicam, (quod prius natura fuit) monſtroſam ἰδιοσυγκρασίαν. nam auctà pinguedine ſupra modum, & calore ſuffocato, apertus eſt venter, detractáq; adipis libræ propemodum viginti: inuentum hepar integrius, turgidum ſanguine ſpirituq;, ſed impenſius rubens ac mole ineffabili, vt ſola ſcilicet magnitudine membra ſpiritalia, & conterminas partes oppreſſerit. Fit enim hoc ſæpius, cũ ille formator ſpiritus in ſeminis diſtribuenda materie rhythmum non obſeruat: vnde & maior attractionis vis, & calor innatus non æqua membrorũ proportione in animantibus adoleſcens, quandam tyrannidis ſpeciem in republica facit: ac illud ſequi neceſſe, dum vna pars amplius rapit quàm ſuum eſt, altera, quæ debilior eſt, vim fortioris minimè ſuſtinente: paulatim opprimi paruas, & magnas, donec & ipſum caput, diſſoluta œconomia totius, minorumq; partium ſubſidio deſtitutum, contabeſcat. Sed fortaſsis & hæc hiſtoria inter ventura ætatis præludia, ſiue imagines reponenda eſt. Poſſent ſub eodem genere recẽſeri; quæ diſſectis hominibus aliarum quoque partium, vt vaſorum, aut viſcerum, raram & mirabilem ſpeciem, vel numerum, vel ſitum, vel magnitudinem oſtenderunt: quæ cùm in alios incidunt à genere chriſtiano, inter aruſpicia vel extiſpicia memorantur: de quibus abundè Liuius, & Valerius

Prodigioſa in gluuies fœminæ.

Ratio.

Tyrannis inter humani corporis partes.

Prodigioſæ conſtitutiones viſcerum per anatomen inuentæ.

rius Maximus. Certè quæ referam, non naturaliter fiunt, si speciem spectes, certam q3 amussim formatoris spiritus optimè constituti: sed si concursus varios principiorum, & ex proportionum inæquabilitate naturas mistorum proprias, aut indiuiduas conjectere, nihil mirum est etiam ab opifice ludos fieri: nam & illa exorbitatio mentes exercet, atque ad pulchritudinem vniuersi præcipuè confert. Cur itaq3 stupeãt homines, si (quemadmodum à nobis inter anatomes plurimas annotatum est) in aliis quandoq3 occurrat situs partium planè peruersus, vt hepar in sinistro hypochondrio, lien in dextro collocetur; in alius nunc lienes gemini, nunc velut quatuor renes reperiantur; vterus in fœminis instar spongiæ raræ & mollis, aliquando & purè ossea ceruix: hepar, vt in suibus, & canibus, diuisum in plures fibras vsq3 ad radicem: spinarum vertebras vidi continua ossis substantia copulatas. Sunt autem & plantis, & animalibus cæteris, & metallis sua miracula, futurarum rerum non infida prænuncia, ac sæpe in illis descripta reperies velut diuina manu quæ non temerè esse vel sera posteritas deprehendat. nam & loqui videas saxa cum brutis, quando homines tacent. nonnunquam apertis penetralibus vel mortis, vel crucis, vel rei alterius insculpta effigie: sæpe & dissectas pecudes subsilire subitò, ac sine corde, aut cerebro reperiri.

Rari casus.

Monstra lapidum, metallorum.

Prodigia in visceribus animantum.

Sed si tanta humorum, spirituumq3 in humano corpore vis, atque varietas: quid de animæ potestate cẽsendum, quæ supra omnem corporis molem, nulla instrumentorum ope, fortassis & sine subsidio spiritus, multa perficit vigilantibus, aut dormientibus nobis? qua vel sola efficacia immortalem se substantiam esse confirmat, dum in corpus progressa hinc in seipsam voluitur, iterumq3 ad superos scandens illorũ portenta resundit in corpus. Iámne hoc in spontaneis animorum impulsibus est manifestum? quando præsaga mens futuri

Tertia diductio prodigiosarum rerum quæ vi solius animæ fiunt aut formæ alterius à corpore separatæ.

Præsagia mentis humanæ.

turi mali triſtatur, prius quàm certis indiciis idem ſenſus corporei deprehendant?

Inſtat nautis fera tempeſtas,
Cùm ſine vento tranquilla tument.

Vt Seneca cecinit, ac ſcitè depingit in vno Thyeſte, ante feralem Atrei cœnam. nam & lachrymæ ſæpe ſundũtur inuitis, & ſaliunt præcordia, interno tantùm, atq; occulto ſtimulante principio.

Somniorum ratio.

Nonne & ſomniorum ratio imprimis eſt admiranda, vt Hippoc. libello De inſomniis, aperta oratione teſtatur? cùm anima ſuis corporeis negotiis expedita ſeſe recolligit, deorumq; commercio fruitur, & quæ à naturis ſibi cognatis acceperit, coniugi communicat ſuæ, nunc expreſſis monitis, vbi grauius vrget; nunc vbi longius diſtant futura, in imagine ludens, vt circa interpretationem occupatior, vbi fuerit experrectus, poſſit & meminiſſe altius, & contra fortunæ tela muniri. Sed hîc opus eſſe diſtinctione philoſophi monent.

Somniorum differentiæ.

à quibus ſcilicet, quo loco & tempore, modo, & ordine, & cui vnumquodq; mittatur. Caſſa, & inania ſunt à ſola materie, niſi quantum ad humorum exuperantiam vel qualitatis, vt ab Hipp. dictũ eſt, quẽ Gal. imitatur libello De præſagiis ex inſomnio. etſi diuinius multo Hipp. ad triplicẽ illum motum, ſiue circuitum ignis præcipuè ſpectans, pulcherrimã conſenſionis legem, eadem opera in virusq; mundi partibus demonſtrarit. Vaniſſima verò ſomnia iudicamus quæ ex antè actis curis ſiue negotiis quæ ex victus & vitæ perturbata ratione profluit. At quæ purioribus animis puriſq; corporibus accidunt, multa pro veris nunciis diuinitus dantur: vt in Ioſepho, Nabunaſſario, Daniele, & aliis abundè teſtatũ eſt: quanquam ſe ſæpe immiſceant genij nequam multa perturbantes, vt (quæ ſua perfidia eſt) diuinum in rebus omnibus lumẽ eripiant, cũ aliàs ſe quoq; transformẽt in angelos lucis.

Morborum præſagia ex inſomniis.

Somniorum fontes.
a Somnia à ſola materie.
b Somnia à forma diuiniore.
g Somnia per genios malos.

Etſi

Etsi verò istius considerationis multa sint præcipitia, quando nimirum vel somniis, vel ominibus observandis mẽtem sic alligamus, vt inde concepta certiore fiducia ad res gerendas eorundem velut auspicio dirigamur: multis tamen hoc vsuenit etiam nostri sæculi christianissimis viris, vt sic admoniti vel futura præuiderint, vel se se diuinis immeritis conformarint. Apertiore quidem oraculo, ac velut per insomnium monitus, Mariæ virginis sanctissimæ custos & sponsus Aegyptum petit. Moniti & Reges 3. vt ab Herode deflecterent. Gennadio Carthaginensi medico, cùm de animorum immortalitate dubitaret, visus est bis per quietem iuuenis qui prius vrbem illi florentissimam commonstraret: idem reuersus altera nocte somniantem interrogat, num se se agnosceret: respondit & nosse se illum, & præcedentis somnij meminisse. tum ille Gennadio rursus, & tuum (inquit) corpus vbi nunc restitit? aut quidnam agit? Gennadius autem, dormire, atque in lecto se reliquisse. Sic argumẽto inexplicabili, mentis potestatem supra corpoream molem coactus est profiteri, vt D. August. ad Eradium scribens affirmat. Etiam de Polycarpo Iohã. Euangelistæ discipulo scriptum est, martyrij speciem ipsi per allegoriam fuisse in somnio designatam. Cùm enim dormienti paluinar amburi penitus videretur, corpus suum pro Christi nomine tradendum ignibus ipse prædixit. Martianus imperator post diuturnam afflictionem Italæ gentis, Attilæ regis Hunnorum (qui se flagellum Dei aptissimè nominarat) arcum & tela confractæ somnians vidit: viso quamprimùm rei respondit euentus. Scribunt admonitum & Mauritium imperatorem absque figura vel imolucro, sibi à Phoca exitium, toriq; generi suo (nisi caueat) imminere. Quæsitũ sedulò si quis hoc nomine vocaretur: vnus tantùm repertus in toto exercitu, quem tamẽ, propter sortunæ tenuitatem, velut minus verendum pro

Insomniorũ & nocturnarũ visionum exempla plurima.

1.
2.
3.

Ex somniis animorum immortalitas designata.

4.
5.
6.

somnij

somnij tanta acerbitate contempsit, cùm paulò pòst Phocas creatus à militibus imperator Mauritium fœdè cũ vniuersa

7. *stirpe interimit. Quin medicinæ Therapeuticæ, & Pathologiæ multa mortalibus experimenta hoc modo diuinitus com-*

Medicaminũ inuentiones per somnum.

monstrata certissimè liquet. Sic medicorum principi D. Hippocrati opinionis & veritatis per nocturnam quietem concertatio visa morbum Democriti longè alium demonstrauit, quàm decepti ciues Abderitæ propter illius risus incomptos, & solitudinem suspicabantur. Sic Galeno (vt ipse de

8. *se prodidit) cùm morbus perquam difficilis inuasisset, per sectionem venæ inter pollicem atque indicem manus insinuata curatio est. Simile narrat B. Fulgosius de Ildrico Leodiẽsi*

9. *Episcopo, de Iohanne Monacho, deq; Romana fœmina quæ admonita per insomnium opportunè radicem cynorrhodi de-*

morso silio, & aquas iam metuenti misit in Hispaniam, vn-

10. *de quamcelerrimè sit restitutus. Arnoldus Neocomensis cùm somniasset à nigricante cane pedem sibi mordicus apprehẽdi, eandem pedis particulam postera die teterrimus cancer*

11. *inuasit. Oculi quoque iam inflammati remedium tempestiuum sibi se reperisse per somnium testatur Auenzoar. At quis si magna in illis est superstitio propter inuentionem causæ siue principij à quo dimanant: magis profectò, magis multo circa vel omina, vel huius generis leuiora miracula cogitandum est, ne propter inanem similitudinem à iustis præsagiorum finibus aberretur. Nam in ominibus sola propemodum*

Ominum exempla selectiora.

ordinis ratio, vel vocum, vel characterum, vel motionũ congruitas facit, vt exhiberi eadem diuinitus videantur: vnde non facilè diuinum illud apparet, quàm vbi euentus signo

1. *suo iam consentaneus sub aspectum venit. Exemplum habes in Ionatha Sauli Iudæorum Regis filio, cùm aduersus Philistæos in aciem descensurus, victoriæ spem ab illa hostilis ex-*

2. *ercitus prouocatione concepit. Mirum quod de Clodoueo Gallorum*

Gallorum rege commemorant, contra regem Gothorum Alaricum pugnaturo. nã prius ad fanũ D. Martini muneribus missis, cũ studiosè obseruari singula præcepisset; illud auditum ex Dauidico Psalmo, tu Domine ad prælium virtute me accinxisti. Quin & B. Augustino antequam Christo initiaretur, admodum fluctuãti, primùm audita vox, accipe et 3.
lege: mox autem liber apertus primum hunc B. Pauli versiculum offert, Non in ebrietatibus neq; impudicitiis aut cõtentionibus, sed induimini IESVM CHRISTVM: *qua hora omine motus, sacri fontis lauacrum nihil vltrà differre decreuit. Festiuum imprimis quoq; libro historiæ suo vndecimo citat Paulus Iouius, in quadam pugna Gallorum contra Heluetios accidisse, vt Gallorum canes relictis castris versus Heluetios (qui tum in statione erant) magno continentiq; exercitu properarent, eorum crura lamberent, caudas adulabundi quaterent, auribusq; demissis blãdè applauderent, tanquam Heluetij iam ipsorum domini per immi-* 4.
nentem victoriam signarentur, vt mox apparuit. Quid igitur? num apertæ veritatis testimonio repugnãdum est? quãdo sic ait Deut. 13. Etiam si dixerint vobis, & ita euenerit, ne credatis eis. ac rursus per Apostolũ Paulum, Dies, & mẽses, & tempora obseruatis, timeo ne sine causa laborauerim in vobis. Gal. 4. Equidem qualisquunque tandem sit horũ ratio, non illam adeò ad definitionem certam, prædictionísue perpetuam legem institui velim; quàm ad intelligendas similitudines rerum, mentisq; præsagium anceps, ab omni superstitione, spe vana, metúue secretum; ad vnam sententiam in sola Dei prouidẽtia. ac benignitate suspẽsam. Nam, vt sæpe ac sæpius dixi, in distinguẽdis spiritubus veri aut falsi prima est difficultas, atque, vt D. August. 24. De doctrina christiana, omnia tantum valent quantum præsumptione animorum cum dæmonibus sunt fœderata. Quæ tamen om-

Quatenus illorum conspiratio Christianis hominibus permittatur.

nia plena

Gallorum rege commemorant, contra regem Gothorum Alaricum pugnaturo. nã prius ad fanũ D. Martini muneribus missis, cũ studiosè obseruari singula præcepisset; illud auditum ex Dauidico Psalmo, tu Domine ad prælium virtute me accinxisti. Quin & B. Augustino antequam Christo initiaretur, admodum fluctuãti, primùm audita vox, accipe et lege: mox autem liber apertus primum hunc B. Pauli versiculum offert, Non in ebrietatibus neq; impudicitiis aut cõtentionibus, sed induimini IESVM CHRISTVM: *qua hora omine motus, sacri fontis lauacrum nihil vltrà differre decreuit. Festiuum imprimis quod libro historiæ suo vndecimo citat Paulus Iouius, in quadam pugna Gallorum contra Heluetios accidisse, vt Gallorum canes relictis castris versus Heluetios (qui tum in statione erant) magno continentiq; exercitu properarent, eorum crura lamberent, caudas adulabundi quaterent, auribusq; demissis blãdè applauderent, tanquam Heluetij iam ipsorum domini per imminentem victoriam signarentur, vt mox apparuit. Quid igitur? num apertæ veritatis testimonio repugnãdum est? quãdo sic ait Deut. 13. Etiam si dixerint vobis, & ita euenerit, ne credatis eis. ac rursus per Apostolũ Paulum, Dies, & mẽses, & tempora obseruatis, timeo ne sine causa laborauerim in vobis. Gal. 4. Equidem qualiscunque tandem sit horũ ratio, non illam adeò ad definitionem certam, prædictionísue perpetuam legem institui velim; quàm ad intelligendas similitudines rerum, mentisq; præsagium anceps, ab omni superstitione, spe vana, metúue secretum; ad vnam sententiam in sola Dei prouidẽtia, ac benignitate suspẽsam. Nam, vt sæpe ac sæpius dixi, in distinguẽdis spiritibus veri aut falsi prima est difficultas, atque, vt D. August. 24. De doctrina christiana, omnia tantum valent quantum præsumptione animorum cum dæmonibus sunt fœderata. Quæ tamen omnia plena*

3.

4.

Quatenus istorum confyderatio Christianis hominibus permiscetur.

nia plèna ſunt curioſitatis peſtiferæ, cruciantis ſollicitudinis, mortiferæ ſeruitutis. non enim quia valebant, animaduerſa ſunt: ſed quia animaduertendo atque ſignando factum eſt vt valerent. Et ideò diuerſis diuerſa proueniunt, ſecundum cogitationes & præſumptiones ſuas. Illi enim ſpiritus qui decipere volunt, talia procurant cuique, qualibus eum irretitum per ſuſpiciones eius, conſenſionesq; cognouerint. Hactenus D. Auguſtini ſententiam longè veriſſimam verbotenus recitaui contra præſtigias velut ἀλεξίφαρμακον medicamẽtum.

Miracula vnde fiant.

Animarum in ſomniis ἐνέργειαν ſuperat illa qua ſæpe & tempeſtatibus imperat, vimq; elementorum omnium ſola tranſcendit, etiam & animalium rabiem quandoque coërcet, & genios malos: quæ ſola in viris ſanctis, ad fidei opera, vitæq; integritatem maximè referenda eſt. In cæteris, ſiue per artem magicam fiant, ſeu mathematicam, omnia (vt nuper diximus) vanitate pleniſſima vt plurimum ſunt inſtabilia, fœda, pernicioſa atq; fallacia, quippe quæ auctorẽ diabolum diuinorum ſimium ſortiantur, ſæpe inania tantùm ſimulacra pro veritate humanis ſenſibus obijcere conſueuerunt.

Genius malus diuinorum æmulus.

Quarta deductio prodigiorum, quæ ſpectra potiſſimũ appellantur.

Eatur autem ab homine, ad illa quæ foris occurſant, ac vel ſine commercio ſeminis alicuius numen certiſſimum repræſentant. Ex phantaſmaton genere ſunt ſpectra multiplicia in ædibus, in templis, in cœmeteriis, in aëre ſæpe conſpicua, nunc imaginationis poteſtate, nunc dæmonum machinamento, quibus informandi materiem vis non parua ab opifice contributa eſt: vt in illa imagine quæ ſe obtulit Bruto, ante congreſſum in acie Pharſalica. Eôdem refero & varia veterum delyramenta, auguria, ſortilegia, aruſpicia è Tripode vel Sibyllinis antris profecta oracula, & vaticinia, quibus ante natam Euangelij lucem kacodæmon gentilibus illudebat. Nam quò foueret horum inſaniam, ſæpe reſponſa

Imaginationũ delyramenta ac dæmonum ludibria.

dabat

dabat nunc prolatis carminibus, quæ sensum tamen ancipitem continerent, nunc insomniis & spectris prodigiosis, nũc volatu auium, nunc animalium mactatorum fibris, & visceribus: denique & elementorum in certas species seu simulachra concurrentibus atomis admonebat. quemadmodum ante mortem contigit Ciceroni, ac Iulio Cæsari, priusquam confossus Bruti & Cassij manubus expiraret.

Phantasmata planè diuina ex loco iudicantur & ordine, diuturnitate & magnitudine.

Quæcunq; tamen idola in cæli aut ætheris regione spectantur, non absq; veneratione summa accipi debent, cùm ferè in diuinorum genere sint omnium prima, præsertim si et ordo accesserit rebus, aut diuturnitas, aut vehemẽtia: quam enim vim habent in microcosmo missa diuinitus somnia, hãc in cælis ostenta comparatione ad vniuersum. vt patuit ante expugnationem Rhodi, Byzantij, Romæ, ante excidium vrbis Hierosolymitanæ, aliarumq; rerũ insignes metamorphoses: quîs cùm plena sint historica monumenta, hîc immorari supervacaneum duxi.

Quinta prodigiorum diductio in meteoris.

In meteoris omnibus sua est prodigiorum classis, numero propè inexplicabilis, quæ tamen sæpe nituntur physicis causis: sæpe solùm diuinitus pendent: aliquando & mistam indolem sortiuntur, vel ex naturali facie in metaphysicam transferuntur.

Pluuiæ prodigiosa.

Cum pluuiis vellera, ranas, vermiculos, lapillos, ligna, frumentacea varij generis, itẽ & lac, & sanguinem, & id genus alia terrarum permista effluuiis sursum ferri, iterumq; deorsum præcipitari, non semper mirum aut insolẽs esse debet, vti nec ros sanguineus; neque subiti terræmotus, tempestates arduæ ventorum, fulgurum, tonitruorum. hæc enim causas habent legitimas à cælestibus syzygiis; sed tamen eousque progredi solent tum specie sua tum magnitudine, vt etiam in portentis vel principem inueniant locum. Multum

Tempestates & terræmotus.

Causæ astronomicæ ingentium tempestatum.

his conferunt magni congressus planetarum præcipuè superiorum

riorum Saturni, Iouis & Martis, vbi circa ſtationes fuerint copulati.

Cometarum aſtronomica ratio.

Cometæ ſiue crinita ſydera fiunt potiſſimum illis concurrentibus circa viam lacteam, vt obſeruatione multiplici deprehendo, vel etiam in calidioribus cæli locis, Arietis, Leonis, Sagittarij, præſertim ſub defectus ſolis lunæue tempora, ſub tropos aut æquinoctia.

Terræmotuũ ratio.

Ita & terræmotus ſubiti fiunt: ſi quando concilium cogũt in iis partibus ſigniferi quæ cum terra frigiditatis ſiccitatisq; nomine maiorem obtinent analogiam: ſicut & diluuia cùm in aquei trigoni dodecatemoriis committuntur, præſertim accedente Veneris ſuffragio.

Magicę lucrationes in aere.

Reliquæ tempeſtates ſuos ſequuntur duces: vt vehementes ac diuturnæ pluuiæ imprimis connexus Veneris, Martis, Saturni: tonitrua, fulgura, venti, Iouis, Martis, Mercurij: aëris obſcuritatem atque caliginem ciet Sol, cum Saturno: Saturnus cum Marte aut Mercurio, ſerenitatem præſtant: ac temperiem blandam, Iupiter, Sol, Venus: calores ingentes & ſiccitates æſtate, Sol cum Marte & Mercurio: gelu intenſiſſimũ & frigora, Saturni ſydus Marti diutius aut Mercurio copulatum. Et hæc quidem omnia efficacius multò, vbi fixorum ſyderum vires vnà conſenſerint, ortusq; ſtellarum, directiones horoſcopi à ſingulis interluniis & pleniluniis ſumptæ, ac denique præcedentes magnarum coniunctionum, ingreſſuum Solis, atque eclipſium vires; cùm certum ſit parere cauſis vniuerſalibus quaſcunq; particulares, & illas quidem fundamenta magnæ mutationis prima proïcere, has verò ſuper extruere, & conſepulta ſemina paulatim in actum prouocare. Sed de his plura in Meteorographia noſtra, ſiue Iatromathematica parte, ſi quando induciæ datæ nos paululum à ſeuerioribus muſis atque negotiis reſpirare permiſerint.

Quæ in iudiciis meteorographicis potiſſimum obſeruanda.

De crimi-

De crinitis tamen ſyderibus, vt oſcitanter plerag3 præ-
teream, non patitur operis ſuſcepti occaſio, quam, vt ſuprà
diximus, nouum hoc aſtrum præbuit anni 1572. non quòd
Cometam eſſe dicamus, ſed naturam toto genere differen-
tem, imo humanis diſcurſibus longè ſuperiorem. Dubitant
plurimi an ſtellas nouas ſoleat inducere Deus, aut cæleſtem
ordinem penitus perturbare, an ita nobis dũtaxat appareat
occurſantibũs angelis in ſpecie nubis ardentis, ignis, pyrami-
dis, Solis aut Lunæ: vt temporibus Moyſis, Ioſuæ, Zedechiæ
regis, Dominicæ natiuitatis, ac paſſionis: quaſi qui lẽgẽ po-
ſuit, cũ velit, immutare nõ poſſit: qui mũdum ex nihilo cõ-
didit vniuerſum, creandis non ſufficiat nouis, ſed aut formæ
aut materiæ laborans inopia, pro rebus veris apparentes
tantùm ceu quædam figmenta obtrudat, quod ſanè à veri
fonte quammaximè alienum eſt. Diſputent preſsius hac de
re ſacri antiſtites. omne hoc etenim intellectu potius & va-
ticinij felicitate quàm ratione conſequimur: cùm & come-
tarum natura ſublimior videatur, quàm vt à quoquam ha-
ctenus ſit deprehenſa. Nam & de generationis loco atque
materie, de motu & ſignificatione nihil non meritò contro-
uerſum eſt. Iohannes Damaſcenus vult natos eſſe come-
tas cum cæteris ſtellis, nimirum in ipſis primordiis mundi,
ſed latere, (fortaſsis ſub radiis ſolis) deinde impelli ſubitò ad
certam quampiam regionem. Hoc credo à Pythagoricis
ſumptum, exemplo ſtellarum Veneris & Mercurij. Maior
hac de re philoſophantium turba meteoris annumerat, ge-
nerationem illius prodens ex materie corruptibili, glutino-
ſa & pingui, cui nimirum ĩnſit plurimum aërij & ignei ele-
menti, facilè inflammabilis, nonnihil & terrei, & aquei,
vnde & lentor ductilis, & conſtans ſoliditas adſit, eamq3
videntur omnium proportionem animo concepiſſe, vt iuxta
ſeriem ſitúmue quæ elementa obtinent in vniuerſo, plures

Ampliordiſtio circa naturam cometarum.

An nouæ ſtellæ oriri poſſint.

Recentiorum pariterac veterum ſentẽt. de cometarũ cauſis.

Materies cometarum.

Quid planetæ quique conferant ad naturam syderis criniti.

gradatim partes à superioribus conferantur, feruorem & caliditatem inspirante sydere Martis: pinguem substantiam & oleaceam Ioue potissimum & Venere: Saturno lentorem ac stabilitatem quibus diutius perseueret: his accedit Mercurius, animam præcipuè, vires ac motionis impetum submi-

Forma generationis cometæ.

nistrans. Quãdo igitur vaporibus crassis, exhalationes tum pingues & inflammabiles; tum fumidas siccas, vel pariter in terrarum visceribus antè permistas, vel etiam dum attrahuntur inuicem complicatas, superiorum syderum virtus in sublime coëgerit: accedente phlegmone, vel propter motus celeritatem, vel potius naturam loci, & vicinam corporum

Simile.

calidorum, fiunt crinita sydera, quemadmodum ferè inflammationes, tumoresq; calidi in animantibus consueuerunt.

Motus ratio in cometis.

Motum quoque illis analogum esse ad planetas volũt, ideóque videri nunc directos, nunc retrogrados, nunc propè stationarios, vt potissimum ex obseruationibus Pontani, Apiani, Regiomontani, ac patris Gemmæ. quorum in consimilibus annotandis vtinam æui prioris homines exercuissent industria: non enim hactenus tantæ de rebus reconditis tenebræ mortalium animos obsedissent. cùm vti in medicina anatome, sic in Mathematicis syderum obseruatio, & in reliquis scientiis sua cuique materies sensibus vsque ad scrupulum comprehensa, totius disputationis atque scientiæ primum principium habeatur: vel Arist. teste, qui omnem vo-

Disputatio de loco varia.

luit cognitionem à sensibus auspicari. Fecit hæc veterum obseruatorum incuria, vt nunc de locis vbi cometæ subsistant potissimum ambigatur, aliis eosdem collocantibus in suprema aëris regione, aliis statim sub orbe Lunæ, quam & partem ætheream vocant, ignis elemento purissimo dedicatam. Multi omnino ad sphæras vsq; cælestes & Lunæ circulũ promouerunt, eóque spectasse videntur vt ex materie generabili & corruptibili satum, quiddam æternis proximum fiat.

Si quis

Si quis verò diligentius rem examinet, quanquam in vniuerſo Deus naturam primis duobus generibus diſcretam eſſe voluerit, conditione ſcilicet mortalis & immortalis ſubſtantiæ, item lucidæ & opacæ, concretæ materiæ firmiter ac diſſolutæ, proportionis æqualis & inæqualis (vt latius in Cyclognomica noſtra demonſtratum eſt) : in vtriusq; tamen confinio, tertium quiddam amborum particeps, atque inter extrema medium ſtatuiſſe nihil repugnat, neque à naturæ ſymphonia præſtantiſſima eſt alienum. Id ſanè (ſi meo more mihi, quod ſentio, loqui liberũ eſt) vero vocabulo regionem ætheris nuncupabo: non quidem Vulcani illius officinam aut ignis regionem, quæ (ſi vſpiam ſit) inter hanc potius & conuexum aëris ſtatuatur. Dicam mehercule huic parti nõ penitus naturam ineſſe elementarem, neque omnino cæleſtem, ſed quiddam cui (etſi ſenſus corporis nondum huc vſq; pertigerit) per cauſas tamen atque effectus edocta ratio, naturam facilè tribuat ex contrariorum genere temperatam. Primùm etenim non rectè tuliſſet vniuerſitas rerum diſparia membra, ſemper agentia ac patientia mutuò, tanta naturarum antipathia prædita inter ſe, abſq; medio comparari: vti nec anima in corpus agit, niſi per ſpiritum: atq; in cæteris ſimili modo. Deinde cùm omnes obſeruatores hactenus in vnum confero, colligitur certo, crinita ſydera multo ſublimius ferri quàm cætera meteora: & quamuis materiem ex elementis inferis duci velint, lucem tamen diuinitatis q; ſpeciem admirantur, & motum ex parte ſtabilem, cæleſtibus conſonantem, ex parte lubricum, quæ materiæ fluxæ, inordinatæq; reſpondeat. Motum igitur circularem cur igni tribuam, cuius partes diſcretæ diuulſæq; ſunt, vt in aliis elementis? quare neque ex ſeſe tam conſtantis motionis principium habet, neque per conſenſum accipere poteſt, vt demonſtrare facillimũ eſt. Videmus autẽ cometas moueri circulariter ad

Noua & paradoxa prorſus auctoris opinio de generatione cometæ.

Aethereus orbis qualis ſit.

Aetheris natura nec penitus cæleſtis nec elementaris.

Cometæ locus in orbe æthereo ſub Lunæ concauo.

Cometarum natura nec cælum penitus refert nec materiem elementi.

Motus cometæ duplex ferè.

raptum primi mobilis; alterũ verò progreſſum modò vi propria, ſed extra ordinis legem; modò planetarum dominantium conſenſione perficere: in quo tamen & ordo aliquis & melioris indolis veſtigia deprehendantur, vt non immeritò Ptolomæus hæc vocet τὰ φθαρτικὰ ἄστρα, i. corruptibiles ſtellas, vel elementares, dum eas inter coniunctiones 119. cõſyderandas eſſe imprimis docet. Fatentur itaque trahi cometas ad inſtar planetarij motus, vt ferrum à magnete, ab electro paleæ ſolent, quod Aegyptiorum quoque obſeruationibus confirmatum eſt. Alij alia ſimilitudine rem penitus exprimunt, ita copulari cæleſtia corporibus noſtris per elementa, cometas, & id genus potentiſſima ſigna, vti ab auriga reguntur equi, ab equis trahitur currus, vel vt in corpore ab animæ volũtate ſpiritus, à ſpiritu nerui, à neruis muſculi & oſſa flectuntur: quam comparationem etiam Galenus inſtituit, reſpirationis officium, inſtrumentorumq; neceſſitudinem in humana fabrica pulchrè demonſtrans. Cæterùm ſi me audacius paulò proferre coëgerint qui fundamentis manibus ſe ξυσσοδομεῖν crediderunt, puto hactenus præcipuum, ceu diſputationis caput, quiddam in eadem controuerſia deſyderari. Quis enim ſcit, aut certò ſe ſcire demonſtrat qualis ſit materies cometarum: aut potius qualis forma: num verè ex terrarum aporrhois fomitem, formam ex inflammatione concipiat; an potius quid aliud illius eſſentiam præſtet longè à communi opinione ſemotum. nam ſi flagrat atque incenditur, cur non manifeſtè ad oculi ſenſum aliquando delabitur? aut in lapidem coit? quod viſcoſæ materiæ proprium eſſe videtur. Quòd ſi iam eo poſito, atq; conceſſo, quod de natura ætheris dixi dudum, galaxiæ circulum (de quo ſimiliter concertantium varietas infinita eſt) ſub Lunæ concauo collocantes, ceu proprium orbis ætherei ſydus atque ſplendorem arbitremur: cùm alia ſenſibili careat nota, qua

Cometas aſtra corruptibilia rectè vocari.

Quomodo trahantur à dominantibus ſtellis.

De forma & materie cometarum nil hactenus demonſtratum.

Lacteus circulus in orbe æthereo ſub Luna non in firmamento collocandus.

ta, qua donatos reliquos orbes eſſe videmus, vt ſit illuſtrius ſignum ex lucis præcipua portione, in partem vnicam vel certam ſpeciem condenſata. Cur enim potius in octauo cælo circulus lacteus collocetur, quem videmus & lucis ſubſtantia, & inordinatæ figuræ cuiuſdam ſpecie multum ab aſtris purioribus diſſidere? vt plærique partem hanc torridam cæli ſiue ambuſtam plærique & refractionis locum, aut nutricẽ ſyderùm ſedem, vaporum exhalationumq; euacuatricẽ eſſe crediderint. Quid ſi nos potius typum lacteæ viæ in æthere depicturi, certum ſemper tenorem habuiſſe cũ reliquis ſtellis aſſeramus, nobilitate formæ, cuius vi paululum cõcreta materies, locorum analogiam potis eſt hactenus obſeruaſſe, propter tamen naturam proximam corruptibilibus elementis, quiddam aliud inſit generationi & corruptioni proximum, diuiniore quidem modo quàm in caducis & fluxis penitus, ignobilius paulò quàm in purè cæleſtibus locis. ſic enim & illud efficitur, partes circuli lactei (quæ ſyderum refractiones apparent, & quædam minutiſſimæ ſtellæ) ſæpe inter ſe cogi poſſe vi ſyderum ſuperiorum, iterumq; coactas diſſolui abſque vel inflammationis, vel phlegmaſiæ nota in vllo fomite prorſus elementari. Multum nos huc impellit vna proprietas indiuidua, & multorũ (patris præſertim atq; Apiani) teſtimoniis confirmata, cometarum caudas ſemper in aduerſam proijci ſolis partem: quod minimè fieret ſi velut ignis in fomite deflagraret. cùm huius naturam fateamur omnes, vt in pyramidem ſurgat, baſi verſus materiem, cono verò ad accenſionis principium conſtituto. Quin rectius illud, quia congeſta in vnum orbis ætherei portio, & in globoſam faciem condenſata radiis ſolaribus amplius illuſtratur, vti & Luna ab eodem coniuge ſuo (quam propterea multa mediam inter elementa & ſydera eſſe dixerunt) idcirco qua ſoli propior exiſtit coacta firmius in ſpeciem ſydexis ex-

Galaxia nihil aliud quàm lucidior pars orbis ætherei.


Natura orbis lactei materie quidem diſſolubili ſed tamen cõnexa firmius conſtat.

Corollarium ex antedictis de criniti ſyderis legitima cauſa.

Probatur idẽ ab analogia ad ſolis centrum.

Formalis ratio cometæ, & cur in partem ſoli oppoſitam eneꝝ uentur.

ris excandeſcit, qua longius remouetur, magis quoq; diſſoluta in radios eneruatur: niſi forſitan vndecunq; ſpargantur ab omnibus comæ, ſed verſus ſolem non videantur, maioris luminis cauſa, verſus latera quoque non appareãt, quòd extra lineas quæ à lateribus ſolis ad ſtellæ crinitæ latera ſecundum diametri amplitudinem, vſque in conum continuum proferuntur. Quòd autem pars ſoli propior concreſcat



Cur caput cometæ cùm ſit denſius, ſoli tamen ſemper propinquius.

Vis ſolis pantomorpha Mercurio dicta tanquam actus in vniuerſo.

Sol communis & princeps cauſa cometarum.

Planetæ ſuperiores Mercurio velut ſcabini & ſyncritici.

firmius, non obſtat principio phyſico, dum rareſcere cuncta vi caloris, condenſari potius à frigore volunt. Verùm id quidem in materie generabili & corruptibili penitus: nos illic alia certè caloris opera contemplamur. Eſt enim in ſole poteſtas altera nobilior, imo & actus ſyderum aliorum quem Hipp. lib. De diæta ignem fortiſſimum vocat: equidem vim vitalem aut potius genitalẽ voco, & rerum omniũ procreatricem, temperatricem, in qua ſunt omnes ſoluendi, cogendiq; rationes, molliendi, indurandi, trahendi, propellendi tanquam in ampliſſimo ſeminario: cuius tamen diuerſæ appareant vires certis temporum ſpaciis, pro receptricium cauſarum diſcrimine, & reliquorum ſyderum incitamẽtis: dum hæc partim aſpectu mutuo, partim locorum proprietate in ideas agẽdarum rerum diuerſiſſimas excitata ſenſum ſuum communicat ſoli, qui tanquam rex decreta confirmãs trãſmittit


mittit ad Lunam, & Mercurium deorum nuncium, inque ætheream plagam, cuius indicio velut edicta publica mortalibus promulgentur. Meminit alicubi & Aristoteles de cometis differens, fuisse Hippocratẽ Chium eius opinionis, quòd cometa nihil sit aliud, quàm radiorum solis certa quædam refractio: sed illum propterea cum Aeschylo filio reprehendit, quo iure non video. Quanquam refractionis causam non explicuerit, constat tamen ex eo veterum plerosq; non admodum hac in re à nostris sensibus abfuisse. Sed hæc liberè & philosophico prorsus animo dixi: non quòd omnino eiusmodi stet rata sententia, sed quia sic obiter in mentem hæc indagatio venerit, plurima secum trahens, quæ & disputãdi latius, & cognoscendi auspicium veritatis inquisitoribus facilè subministrent.

Mercurius & Luna velut nuncij. Cometa edicti regij velut signaculum quoddam. Hipp. opinio de cometis non multum discrepans.

Præter cometas plurima restant in eandem classem à meteorographis relegata. Sunt enim & hiatus, chasmata Græcis, iam quater à nobis obseruata: semper quidem Boream versus, aut Circium, aut Hellespontum, eadem specie, ijsdem comitantibus malis: Cuncta hæc plenius inter nostræ ætatis prodigia describentur, quemadmodum & aræ ardentes, & hastæ, & faculæ, & capræ saltantes, aliaq; de quibus satis feliciter à physicis disputatum est. ✳ *Multum in illis materiæ species facit, plurimum aspectus ex ipsa positione diuersitas, quod & in iride demonstrat Aristoteles. In Halonum circulis similiter, nec non pariliis, seu geminatis solibus, & paraselinis, per radiorum refractionem multiplicem, ex obuiis illis vaporibus est manifestum, & si hanc habitudinem obiecti ad corpus luminosum, vel etiam ad aspectantium oculos à mente interdum dirigi ad futurorum præsagia non dubitemus, vt antè planius definitum est.* †

De meteoris ignitis cæteris.


Figurarum, atque colorũ varietas ex diuersitate aspectus in pluribus meteoris.


Exhalationes perrumpentes.
CHASMA cæli.
EXHALATIO LVCIDA
Exhalationis vincens exterius.
Horizon.
Locus sub horizonte.


Aræ.
Capræ.
Trabes.
Hastæ ardentes.

Halo.

Paralion.



Sexta prodigiorum diductio in humana Republica

Sed vti quæ hactenus retuli in animalibus in cælo, atque aëre diuersa phænomena magnos rerum publicarum motus sæpissimè præsignificant, ita & in ipsius corpore ciuitatis sese offerunt infinita, ex quibus certius multo venturas clades aut calamitates liceat præsagire. Eiusmodi sunt terrores subiti, siue tumultus panici, quibus interdum (vbi mentem eripuit Deus) & castra, & regiones integræ pessum eunt. Subitæ consternationes & alij motus animorum. *Sunt & monstrosa ingenia, quæ quoque attigimus nuper, quæ cunctis se rebus ingerunt nouandi studio, ac sibi se solos natos existimant, imò sua gratia mundum hunc cõditum vniuersum: dum luxu, libidine, petulantia, nouis opinionibus, regni religionisq; statum ita perturbant, atque exagitant, vt omnia portentorum genera dicas sæpissimè in vnius caput esse transfusa. Dum rursus odio, crudelitate, auaritia, sub iustitiæ vindicandæ titulo, sic obuios quosque spoliant, lacerant, trucidant, vt meritò vel Deus illorum factis obdormiscere, vel ipsi Deum nullo pacto agnoscere videantur:* Monstrosa ingenia.

tur: quod sanè & prudentes tandem crederent, nisi diuorum lanei pedes, tandem in plumbeos verterentur. Scitum enim est quod Val. Max. ait, Tarda quidem ad vindictam est ira Deûm, sed tarditatem supplicij grauitate compensat.

De prædictionis cosmocritices artificio generali.

CAPVT SEPTIMVM.

Propositio.

DIXI quàm fieri potest breuissimè de natura prodigiorum, differentiis, causis: nunc sequitur περάτωσις, & artificij methodus, quam, hisce conspectis, tutò ad futurorum prouidentiam non inanem, ac futilem, sed puram, & solidam liceat applicare. Huic methodo pauca sufficiunt axiomata, quorum vis, & interpretatio ex illis bene perceptis prioribus eluceſcet.

Prima lex intercas quæ artificem præparant.

Imprimis etenim discendus est ordo Mundanæ fabricæ, partiumq; consensus antè descriptus, quem tamen expressit latius ars cyclognomica, vniuersitatem rerum vna passim ternarij sacriſicatione distribuens, ad normam animæ rationalis: nam in hoc theatro omnes naturæ leges, earumq; cõspiratio cum diuinis maximè patet.

Naturarum omnium conspiratio vnde discenda. Secunda lex præparatrix.

Deinde priusquàm ad opus theoriam accommodes, purificandus est animus, omnes propemodum cupiditates & inanium affectionum spectra sunt exuenda, tanquam onerosæ atque inutiles vestes, nam imprimis odium, amor, spes, metus perturbant, implicant, peruertuntq; iudicia mentis humanæ: vt ferè quæcumq; accipiant, pro suæ affectionis modo verſent, immutent, interpretentur: quod pulchrè Ptolomæus in astronomicis apotelesmatibus indicauit. Euidenter autem patuit in crucis signo corona vincto, tempore Iuliani quod repertum in sacrificiis refert Historia tripartita libro 6. cap. 2. idem spectaculum Christianis pariter ac ethnicis in

Affectus peruertere iudicia.

Prodigium crucis in visceribus repertum.

partes

partes ſuas trahentibus: dum hi quidem æternitatem noſtræ eccleſiæ dicerent præſagiri; illi verò anguſtiam atque repagula, ceu certos carceres, quos vltra non amplius proferretur. Magna igitur iudicij pars ab intellectu & diuini ſpiritus eruditione pependit: cùm ratio præceps, atq; ambigua, ſæpe hîc in ſententias contrarias diſtrahatur. Idq; cùm in aliis facultatibus, ob cauſas pridem adductas in medium, ſæpe contingat, animaduertens Gal. in nobis etiam cognitionis lubricum genus, niſi diuinitus fulciretur: voluit medicũ præter alias dotes, eſſe imprimis virum bonum. Certè & pleroſque natura non ſolùm vates exiſtere, ſed & artifices rerum incredibilium, omnes & ſacræ pariter ac prophanæ hiſtoriæ docent, neque repugnant conſortij leges in partibus vniuerſi. Nam ex cæleſti peripheria ſiue circuitu, ad certam ſpeciem raræ quædam accedunt ſub genitura rum tempora ſymphoniæ, quæ præter communes vires, influant proprias, quas & indiuiduas proprietates non malè definiunt, etſi illarum nomine nonnulli immeritò in necromantices ſuſpicionem venerint, & pactum cum dæmonibus inijſſe credantur. Quid verò abſurdi eſt tales influxus dari tum cælitus tum planè diuinitus, quorum præpotenti vi prægnans anima, etiam ipſius mundi imperet elemẽtis: præſertim ſi per ecſtaſim quãdam aſcenſumq; mentis in Deum quiſquam ſe rebus corporeis abſtrahat, luſtratoq; pectore purum & integrum diuino ſpiritui ſubſterniculum paret. Quòd ſi enim lapidibus, herbis, rebus metallicis, aliorumq; animantium paruis perſæpe particulis, tanta abditarum facultatum varietas inſit; eandem in anima rationali, & per hanc in ſpiritu, corpore ac toto homine, propter quem creata ſunt cætera, dominari poſſe negabimus? Certè vt à magnete inſenſiles radij ferrum ad ſe attrahunt, ab echineide paruo piſciculo ſiſtuntur plena nauigia, à catoblepa ſpiritu non homines ſolùm, ſed &

alia

Ratio in interpretãdis rebus ambigua.

Intellectus præſtantior circa vaticinia

Vates plærosque naſcitum cælitus tum planè diuinitus.

Aſcenſus mẽtis in Deum poteſtatem ſæpe in mundi elementa contribuit.

Magnetis vis. Remoræ vis. Catoblepæ.

alia ſerpentum genera interimuntur, & ſaxa dehiſcunt: ſic animorum talium aptitudine, & poteſtate per occultas ἐπορροίας ſiue effluuia, recipiuntur ex alto plurima, quæ ſuperant fidem: eademq; vicißim in obuias res naturæ ineffabili cognationis lege vibrantur. Albertus cap. 3. De motubus animalium, duos in Germania natos pueros refert, quorum vni prætereunti ſecundum latus dextrum paſſim, alteri verò ſecundum ſiniſtrum recluſæ ianuæ aperirentur. Sunt qui quæcunque deglutierint, varia licet ac plurima, paululum tamen contractis hypochondriis tanquam è marſupio quodam ordine cuncta proferrent, vtcunque voluerint. Nos ingentes lini faſciculos, & vitri partes innoxiè vidimus deuorari. Notum eſt ex Plutarcho in vita Pyrrhi, Pſyllos exiſtere, qui ſerpentes demulceant cantu, & venenum exugentes eorundem morſibus medeantur. Notum eſt & de digito Pyrrhi, cui febris fugãdæ facultatem quàm diu viueret adfuiſſe, cùm extinctus eſſet, vnà comburi non potuiſſe, plurimi prodiderunt. Ita & hodie Gallorum Anglorumq; reges hoc cæleſti munere dotauit Deus, vt diſcutiant ſtrumas, quæ alio qui vel nulla medicaminum vi molliri aut erui poſſunt. Vidi quendam qui noctu legeret externo lumine non adhibito: alium qui ex vtero materno adducta galea ſiue membraneo inuolucro ab omni telorum iactu ſecurus etiam inter ſidenſiſſimos hoſtium cuneos verſabatur, qua ratione aliorum eſto iudicium. Vidi cui canes perpetuò adlatrarent: qui ſe videre dæmones & ſpectra palantia, præſertim graſſantis peſtilentiæ tempore, quam ſæpiſſimè faterentur, vt & domos deſcriberent atq; familias, quibus poſtridie Charõtis cymba cum toto apparatu funeris immineret. Inuenti ſunt alij, vt ex hiſtoria Apollonij liquet, qui quæ in locis maximè diſſitis euenirent, tanquam oculis obiecta deſcriberent: vnde illud, percute peccatorem Stephane, &c. Quibus exemplis

Hiſtoria.

Mira proprietas naturarũ.

Aliæ hiſtoriæ eiuſdẽ argu.

Pſylli.

Pyrrhus.

Gallorum reges.

Qui noctu legerint.

Infantum galea.

Qui dæmones & laruas videãt noctu.

Qui è locis lõgè diſſitis res tanquam præſentes videãt.

exemplis constat non modò naturæ membra inter se conspirare singula, & quemadmodum compositis aptè speculis, radij reflexionum multiplices, sonorum quoque per positiones laterum, (vt in Heptaphono portu) admirandi circuli in continuum proferuntur: sic & in vniuerso, per semel infusam animam mundo siue iustissimam harmoniam, vires innumeræ nunc à cœlis in hominem, nunc ab homine in hominem, in cœlos, & elementa, nunc ab vno loco terrestri in aëris speculum, & ex hoc vicissim in alia loca, quamuis procul dissita, reflectantur. Verùm & illud elicitur, vaticinandi prõptitudinem nunc purè diuinitus dari, Græci ἐνθουσιασμὸν vocant, nunc per intermedios gradus, ceu nãtalitij thematis εὐφυΐαν: quarum posterior accedente denique artus ratione, per vsum exercitationemq; multiplicem eousq; ceu sparsis scintillulis in ignem maximum adolescit, vt tandem & homines iam sibi dissimiles, iam deorum vitam in terris adipisci non immeritò censeantur. Plura de his ex opere quadrip. Ptolomæi, vbi de somniorum interpretandorum aptitudine, de dæmoniorum propensione ad certas constitutiones, &c. quibus tamen plus tribuere nefas, quàm sacrosancta Ecclesiæ permittit auctoritas: ne naturæ vinculis iusto amplius tribuentes, in impietatis notam prolabamur.

Similitudo qua & dictorum ratio satis innuitur.

Vaticinandi dexteritas vnde potissimum.

Scire deinceps conuenit, quòd signorum alia σημαντικὰ, alia verò ἀσήμαντα vocitentur: quodq; alia significent vt effectus præcedentem causam, alia vt causæ effectus suos, alia denique effectum vt soboles eiusdem causæ. Illa verò præcipuam vim habere videntur, quæ figuram insignem, aut magnitudinem sunt sortita: magis verò quæ cum iisdem ordinem gerunt. ordo enim imprimis intelligentiæ signum est, vt inquit Hipp. quadam epistola, vbi suum describit somnium de veritate & opinione. Confirmat præstantiam rei idolum vel diu persistens, vel sæpius repetitum, vel cum aliis visum

Tertia lex inter præparatrices in signorum distinctione fundata.

Quæ signa potissimum significatiua.

visum quæ eôdem pertinere videãtur. Refert plurimum cui, quando, & vbi appareant, sacris hominibus an profanis, regi an seruo, an se cuipiam è mediocri sorte obtulerint. Semper obscuritatis arduæ duxi certè discernere, an à natura an à Deo proximè fiant, an arte diaboli: sed hæc lustratione subinde adhibita vestigantur.

Quarta lex inter præparatrices posita in artificis scopo & iudicandi forma.

Curandum denq; est vt cautè & castè præsagium instituamus, vno tantùm respectu, quò bono publico & diuinæ gloriæ consulatur. Hoc enim sublato fundamento, ruũt protinus omnia, ac proinde subrepens in præcordia fastus siue præsumptio supra mortales vires, (vt communiter assolet) vatem infelicem destituit, in risum aut calumniam sæpe præcipitans. cùm scilicet aut artis siue decretũm immutabile ponit, aut pressius quàm par sit ad particularia defluit, tempus modumq; exactè nimis, & personarum differentias præsignificans, quæ in solius numinis prouidentia delitescũt.

Definiẽdum farè vniuersaliter ac sub conditione.

Oportet itaq; nos nunc vniuersali tantùm, nunc hypothetica quadam prædictione contentos esse. Quæ confirmat imprimis Platonicorum ratio, ac diuinus Iamblichus libro De mysteriis, cap. de somniis diuinis atq; humanis, vbi prænotionis & vaticinij facultates propria circumscriptione distinguit. Certum igitur est nihil absolutè cõstitui posse, cùm quæ

Nihil absolutè in hoc orbe bonum vel malum, sed cuncta in relatione ad aliud.

nobis bona sint maximè aliis mala videri sit necessariũ, cùm et generatio vnius alterius sit corruptio: quemadmodum sub cunabula Saluatoris stella apparens diu, etsi summum bonum mortalibus aperuerit in animæ felicitate repositũ, quantas tamen (vel à pueris facto exordio) Christianorum strages dedit? vt si quis carneis oculis metiatur, sydus infelicissimum fuerit iudicandum. Cedo & illa quæ nunc eueniunt, post apparitionem syderis noui, quorsum spectãt? verè mundum hunc vniuersum, vt ait sapiens, disputationi concessit humanæ: neque prius scientiam arcanorum suorum assequi dabit,

Exemplum in stella nat. Dominicæ.

dabit, quàm nosmet nos diuina dignos consuetudine facianus.

Postremò vt artem verbo penè complectar, omnem prædictionem debemus instituere, vel adiuti experientia, vel intellectus vi, vel subsidio rationis. vsum præstabit diligẽs obseruatio, historiarum lectio, quæ tamen & mentis, & rationis lumine roborẽtur, quò minus impingat in eos distinctionum scopulos, à Galeno in libris De facultate simpliciũ prædemonstratos, quibus aberrat maxima mortalium pars, dum velut causis euentus alligant qui minimè sunt tribuẽdi, neque discernũt quæ actu vel potestate talia, quæ absolutè vel cum respectu, quæ deniq; per se, & propria vi se mutuò consequuntur, quæq; ex accidenti. Habes inter historicos præter Lycosthenem, Lanbanum, Fritschium, Mizaldi cometographiam, Nicephorum, Sabellicum, & alios tum oratores, tum poëtas atque philosophos numero infinitos. Intellectus cognitio virtute & purificatione perficitur: quam rursus suppeditat lectio historiæ sacræ. Ratio verò quæ in vaticiniis puris locum non habet, sed prænotionis solius artem profitetur, habet suæ discursionis carceres 4. vel enim ex natura signorum minitantium diducitur tota, vt substantia, quantitate, qualitate, habitu, situ, tempore: vel ex comparatione causarum passibilium ad effectiua principia: vel ex concursu aliorum effectuum, causarumq;, vt cælestium radiorum, vicissitudinis temporum, &c. quæ sæpius correspondent: vel denique ex similitudine, quam per catbenam vniuersitatis potissimum aucupamur.

Artis totius tria principia vel instrumenta.
Ratio.
Experientia.
3. Errorum species in iudicandis effectubus.
Intellectus.
Rationalis discursus in iudicandis prodigiis carceres 4.
1. Natura signorum.
2. Analogia causæ agentis ad passibilẽ.
3. Concursus.
4. Similitudo.

Substantiæ ratio, id est forma, materies, signis sese externis manifestam facit, atque hîc impensius obseruãdum, quæ cuiq; species lucis, quæq; colorum varietas, quæ tandem positionis, habitus ratio, & figurarum omnium symmetria. vt enim in partibus humani corporis singularum vsus, & facultates

Primus methodi colmocritices canõ à natura prodigij.
Ratio explorandæ substantiæ.

cultates ex compoſitione cognoſcimus, atque ſubſtantia: nec non ſimplicium medicaminũ vires ex qualitatibus primis, ſecundis, tertiis; has denig; viſu, olfactu, guſtu, quorum examine inſtructa ratio formam non aſpectibilem comprehẽdit: ita profectò circa prodigiorum ſacroſancta myſteria certis quibuſdam gradibus itur, ex figura & paſſibilibus qualitatibus ſigni, rei ſignificandæ qualitatem auguramur, atque ex conſequente deliteſcentis in abdito ipſius eſſentiæ rationem. Ita & quantitas quantitatem; ſitus partium loca quibus decernuntur, iuſta ſegmentorum diſtributione diſtinguunt. Tempus tempore ſignificatur, quando incipient, conſiſtent, deſinent, vel quousq; ſint duratura: quemadmodum in cometis, eclipſibus, aliiſque phænomenis expendendis, pulcherrima methodo operis quadripartiti à Ptolomæo eſt demonſtratum.

Figura & paſſib. qualitas.

Quantitas.

Situs.

Tempus.

Dici non poteſt quantum ad explicandas rerum abditas rationes, ipſamq; interiorum eſſentiam pertractandã vnius loci natura & proprietas explorata conducat. Meritò enim Galenus morborum cauſas ad viuum, & genera deſcripturus, de locis affectis volumen integrum cõcinnauit, diuinum imitatus Hipp. lib. περὶ τόπων τῶν κατ' ἄνθρωπον, quòd abſque illorum notitia, langueſcat quæcunq; reliqua eſt diſputatio, ceu demonſtrationum robore ac præſidiis deſtituta. Habet id locus imprimis, vt non ſolùm quid ex quoque poſſit fieri videamus, & cuius impreſſionis obiectum ſit aliquod capax: ſed & agentium rerum vires, & paſſibilium ſuis diſcretæ ſedibus atque temporibus, ſuis numeris, ordinibus, inſtrumentis, ſpectatæ velut in tabulis cognoſcantur. Sic enim loci conditio diuerſitatem præſtat in conſtituendis, ac renouandis legibus iuris naturalis, diuini atque humani. Sic alias atq; alias vices ijdem errones in cæli diuerſa parte concipiunt: vt ſi in abſide aut perigæo excentrici ſui, vel epicycli: aut

Amplanarratio de locorũ viribus atque decretis.

Loci cognitio in re medica quantum valeat.

In meteoris.

In condendis legibus.

In ſtellis.

aut circa longitudines medias, ac stationes: rursum si in parte versentur Australina, vel Borea, si Occidentales à sole, vel ante ipsum exoriantur: si in trigonis aëriis, igneis, aqueis, terreis: si in Tropicis, aut æquinoctij signis: si circa figuras humanas, aut brutas, aut cuiuscũq; rei inanimatæ: cuiusmodi forma fixorũ syderũ cælo iuxta significationis ideã à mũdi cunabulis inarata est. Quin manifestius multò locorũ facultates, atq; momẽta videre est in mundi sublunaris partibus, seu generationi & corruptioni proximus elemẽtis. Nonne omnes ex vna propemodũ locorum vi, id est positione ad primum calidum, ac primum frigidum, ceu respectu centri in vniuerso, & cælestium corporum suas formas, & propria qualitatum discrimina sortiuntur? Ignis calidissimus nonne quia propinquior soli? Terra frigidissima quòd ab eodem maximè sit semota? In terris, in aquis & aëre circumfuso, nonne diuersi tractus, Zonæ, climata, paralleli, & propter hos diuersa locorum seu regionum natura, ac proprietas efflorescit? Certè & illa terrarum, fontium, fluminum, maris infanda miracula, quæ tanta varietate nobis insuetis sæpe vel in monstri, vel prodigij speciem adferuntur, non aliunde & cãusæ effectricis, & propriæ materiæ seminarium ducunt, quàm à loco: accinente poëta optimo maximo Georg. 2.

Diuisæ arboribus patriæ, sola India nigrum
Fert Hebenum, solis est thurea virga Sabeis:

Rationem aperit paucis,

Quippe solo natura subest.

Atq; Georg. 1. paulò expressius,

Continuò has leges, æternaq; fœdera certis
Imposuit natura locis, &c.

In elementis.

Elemẽtorum qualitates à loco.

In partibus terræ.

In mistis variis.

Celebratur fons in Gothia, quo demersa quælibet in substantiam lapidis commutentur, sic vt Fredericus Imperator teste

Fons mirabilis.

tor teste P. *Pomponatio, cùm chiroticam sigillo proprio obsignatam eò misisset explorandi gratia, eãdem recepit media parte qua fons suspensam attigisset saxeam penitus, media verò coreaceam. Fluit idem vt fertur impetu magno, neque concrescit: si tamen extra ripam dissilientes guttulæ à loci natiui gremio paululum differantur, easdem mox videas in lapillorum tenuium speciem obdurescere. Idem & in locis Pyrrenæis, & Romæ contingit in lauacro quopiam. At qui inuentum sæpius tum animalium corpora tum plantarum, seminum, conchylium, & cuiuscumq; generis formas in saxi rigidioris substantiam transmutari: cùm frustrà eiusmodi collecta ab ineunte ætate non pauca numero seruauerim domi: quòd non exiguam veræ voluptatis partem semper in hisce memorabilium spectaculis collocarem. Scribit & Põponatius, in mari Danico iuxta ciuitatem Lubecẽsem, inuẽtum esse magnum arboris ramum, cui & nidus adhæresceb at, vnaq; & aues plurimæ: cuncta cõuersa in lapidem, qui etiam colorum nonnulla vestigia retinebat quod à coralli exortu & corallinæ non adeò est alienum. Iosephus oppidum scribit in Iudæa Macheri nomine, altissimo vertice supereminens, in quo ruta extremæ magnitudinis, & radix altera cui Bargas inditum nomen, flammæ colore similis, circa vesperam corusco iubare instar fulguris resplendescens, quæq; eam euellere cupientibus reluctetur, atque refugiat. Fugari hac ipsa dæmones, aliaq; incredibilia fieri, quæ rectius ex ipso auctore cognosces. Postremò refer te denuò ad corpus humanum, vbi si cuncta quæ locis propriis fiant, & quam vbique natura vel præter insitas leges, ludos in suis operibus faciat, non est quòd aliunde locorum insitas formas atq; hinc profecta miracula celebremus. Hinc enim dependet & animalium, quæ in nobis ex vna putredine gigni solent, antiquior ratio: hinc lapides admirandi, membranæ, & alia superius*

Aquæ in lapidem concrescentes.

Alia miracula ratione loci.

Corallum. Corallina.

In humano corpore quid loci proprietas præstet.

Vermium & lapidum generatio.

perius memorata: natura informatrice, quæ certis partibus certas rationes coniunctas obtinet, faciente semper de possibilibus quod est melius: cui & ad varietatem impressionis materiei illa diuersitas infinita, pro sua virili semper obtemperat, vt hinc monstrorum species numero sint infinitæ. Sed ex multis, imo innumeris, pauca sufficiat: ego me ad pensum meum reuocabo, concludens cum Philosophis cæteris, maximam naturæ partem in loci ratione positam esse, atque ex eodem peti cognitionis nostræ præcipuum fundamentum, ob intellectus humani statum, qui ex delapsu (quamdiu hîc terimur) magna ex parte loco ac temporibus alligatur.

Axiomaphysicum.

Conclusio.

Quid causarum agentium & receptricis materiæ præparatio præstet, antè diximus. Ita enim amplius multò ad terræ concussiones adferent Saturnus, Iupiter: si antea multis nuibus fermentata vel gelu constricta tellus vaporum atque spirituum vim in visceribus acceruarit. Ita & Mars Mercurio iunctus in aqueis locis pluuias plurimum ciet, in siccis & montosis ventos aridos, cum serenitate aëris diuturna: æstate idem tonitrua, fulgura: sæpe hyberno tempore gelu asperrimum, & frigus penetrabile flantibus Etesiis, præsertim quoties circa stationes inuicem connectuntur, vt anno à Christo nato 1564. & deinceps, atq; hoc Nouembri 1572. Ita tempus tempori materiem præparat, locus loco, vna efficiens causa, vel aspectus planetarius alteri, vt non solùm aut fortius agant, aut imbecillius, prius aut serius, sed & sæpe contrarium quàm prima fronte promittant: quod vniuersim ab imperitis simiis atque Empyricis, qui se astrologos profitentur, vix vnquam in edendis prognosticis observatur. Fiunt hæc igitur pari ratione, vt in officina corporis nostri, aliud ab eo medicamento quod foris apponitur, aliud cùm sumitur intrò: aliud in cacochymico corpore, aliud in probè purgato: quod & de cæteris naturarum differentiis æ-

Secundus canon analogiã proponens causarum agentium & passibilium interse. Notanda sedulò ab his qui ephemerides meteorologicas scribũt

Simile in arte medica.

ſtimetur. Nam quæ huic veneno ſunt, illum nutriunt atque corroborant: quæ ventrem in vno laxant, in alio prorſus aſtringunt. Imò & eundem hominem, eadem affectus ſpecie laborantem ſecus exercet, quum ante meridiem ſumitur, ſecus quod aſſumpto prandio, aut alia occaſione præmiſſa: aliter ſi purganda materies parua, aut bene concocta, qualitate benignior: aliter ſi cruda, ſi mole, aut peſtilente malitia turgens: quæ cuncta diſtinguere, non cuiuſuis erit, ſed prudentem artificem ab idiota ſeparat, medicum doctum à ſeplagiario. Sed horum campus latiſſimè patet, præſertim ſi quis denuo ad res politicas vel œconomicas trahat, vbi propemodum cuncta ſuccedunt pro diſpoſitione materiæ. vt enim aliud promittit arcus cæleſtis ante pluuiam, aliud paulò pòſt: cometæ ſimiliter poſt afflictiones publicas diuerſum ac ſi ante quàm veniant, apparuerint. Sic & in cæteris ſeſe res habet. nam & ea quæ terribilia nobis diuinitus oſtenduntur, poſſunt effuſis lachrimis non ſolùm miteſcere, ſed etiam in aduerſarios verti atque in finem iucundiſſimum terminari. tunc enim duntaxat quid noſtræ debeatur petulantiæ, & quanta ſit erga nos Dei benignitas deſignatur: non quòd ineuitabili neceſſitate immineat. Verùm hanc vaticinij legem norunt & imperiti, obſeruant vani prognoſtici, dum ex conſtitutione præſenti quamſæpiſſimè de futuris hariolantur: vt nunc Hollandiæ, Zelandiæ, Friſiæ, Brabantiæ horrẽda quæq; & maxima minitentur: quum totus hic orbis Belgicus penè conuulſus, nihil expectet hactenus quàm extrema omnia, ac vel ruinam certam, vel ſalutem cælitus inſperatam. Licet enim hîc altius cum animo nunc reuoluere quod olim ad Chriſtianos dicebat Philo, oportere conſidere nunc potiſſimum, quòd Deum proximum eſſe conſtet quibus humanum deſit auxilium: virtus enim Domini in infirmitate perficitur.

Quid præclarum medicũ imprimis ab empyrico ſeiungat.

Calliditas aſtrologorum dum ſæpe vaticinantur ex ſola diſpoſitione materiæ

Multa

Multa promouent cauſæ concurrentes, vt planetarum radij atq; concurſus, præcipuè ex cardinibus mundi, & potentioribus vel orbium ſuorum, vel ſigniferi locis. Multa & planetarum antiſcia, reditus, directiones, de quibus præcedente capite plura percurrimus. Sed hæc duntaxat ceu inſtrumenta diuinæ prouidentiæ, quæ ſæpe (vt monuimus aliàs) vel abſq; illorum decretis agit, vel ſignificationis obſcuriſſimæ cauſam nobis abſcõdit, vel ſi ſcire permiſerit, id tantùm aut adiuncta hypotheſi, aut ſub notione penitus generali. Verùm cæleſtis influxus in meteoris, ſignificationes ſecundum naturæ leges, ſæpe certiſſimas habet; etſi ex multiplicitate ſyſtematis, propterq; diſtantiam naturarum agentium à ſenſibus noſtris, intellectusq; infirmitatem, particularium locorum, & temporum, & magnitudinum præcognitio propè ſit impoſſibilis. Scinduntur enim vires, & ſpeciem mutant quanto magis per plures ordines proferũtur: vt in oculorum radiis per corpus diaphanõ patet. ac proinde cùm plura concurrãt in animalibus, quã imperfectè mixtis, plura in homine quã animantibus brutis, plura denicq; in ciuitate aut regno, quàm in vnius hominis genituræ: patet iuxta principiorum & partium minores maioréſiue complexus, ſuperiorum corporum tela & radios poteſtatẽ quoque reſpectu paſſibilium rerum minus aut definitã aut validam habituros. Quare cùm ſint in homine alia quædam à corporis mole, alia magis à ſpiritus atque animi vi, quæ cùm velit fatorum leges longo ſuperat interuallo, alia denique à totα περιϲάϲῃ, & rebus extrinſecis conferãtur: quid quæſo de tota ciuitate aut regno ſtatui poteſt? vbi laborant plurimi, nõ proprio tantùm ſydere, (ſi quod infaustum eſſe putetur) verùm & genio loci propter occultam antipathiã, quandoque aut regis vnius, aut principis, aut etiam cerdonis è populo: ſæpiſſimè & nullo apparente iræ diuinæ veſtigio, ſuiſmet viribus

Tertius canon ex concurſu cauſarum atq; effectuum.

Comparantur ſecundum certitudinis dignitatem partes aſtrologiæ iudiciariæ.

Simile.

Concluſio.

Iudicia de hominis natura difficillima, de regnis & ciuitatibus omnium maximè intricata.

Rerum viciſſitudo & circuitus naturalis.

viribus cuncta in exitium prolabuntur, quòd ad fastigium venerint, vbi neque consistere possint (vt Aphorismo 3. libri 1. inquit Hipp.) neq; vlterius promoueri. Hic sanè vel ad bilancis examen, concursus causarum infinitos, effectusq; sub eodem causæ genere militantes colligere sapientem decet, delectumq; facere: collectis omnibus suas classes, & ordines designare, quos eò forsitan ducet, vt facilè vel in circulum coaptentur. Ergo quod ad effectus pertinet ab eadem systemate dependentes, sicut influxus ille qui cometam parit, terrarúmue motus atq; voragines, idem sæpenumero mortales ad bella eodem ardore cælestis radij potis est concitare, potis & morbos insolitos, pestilẽtes gignere, sterilitatem, famem, & consimilia, accedente permissione diuina certaq; dispositione materiæ: sic & insolentia ciuium, quæ rebelles animos facit, eadem & ciuitates integras potest concutere, potest tranquillitate animorum, corporum, & libertate iucundissima, ac vniuersis demum melioris fortunæ muneribus spoliare. Opinionum diuersitas quæ ad deditiones impulit ciuitates, vno id fonte ac tenore in pluribus fecit, vt fluctuatione consimili, se contra alterius partes non ita commodè tuerentur. Sic verò ratiocinari nobis etiam de cæteris licet.

Causarum circuli.

Effectus militantes sub eadem causa.

Quartus canõ de vestigandæ similitudinis instrumento.

Postremum erat similitudinis instrumentum: cui Gal. 9. De plac. Hipp. & Plat. tantum tribuit in eruenda rerum veritate, vt vnum hoc ferè constituat ceu rationalis methodi caput. Ideoq; libro De somno, vaticinij vim Aristoteles præcipuè positam in humore melãcholico sit arbitratus, quòd eo præditi, ob splendorem spiritus animalis, tanquam venatici canes odoris sagacissimi, quamcelerrimè rerum cognationes deprehendant, longeq; ventura prospiciant. Trahuntur illæ discursu vario per vniuersitatis gradum, imprimis analogica via vel ordine, & secundum apparentem communionem rerum, quæ omnia in omnibus maioris tantùm minorísue

Natura melancholica similitudines optimè deprehẽdit.

§. Discurrendi viæ vel ordines.

I.

Ab intell.

norísue ratione distincta proponit, rudis quidem illa καὶ διὰ τὰς κοινὰς ἐννοίας potissimum intellectus auspicio strata, sed primos tamen carceres cognitionis humanæ confusa quadam adumbratione designans: sitq; ideò vt illa inuentionis, atque iudicij ratio ad Metaphysicen propius referatur.

Accedit huic alius ordo discursionis physicæ potius, vel ad castiganda crassioris sensus indicia (quæ circa analogias falli facillimè possint) pressius definitæ, dum res per cõpositionem, resolutionem, variè adhibitis instrumẽtis dialecticis, in classes categoricas, id est certissima rerum genera, species, & differentias tribuuntur: quæ cuncta ex professo in doctrinæ ordinum à nobis sunt explicata, hîc autem quò magis cõstet illius vsus & amplitudo, obiter in memoriam reuocamus. 2. A sensibus externis.

Quòd si perscrutandarum similitudinum ducem methodicum voles, consule imprimis Artemidorum libris De somniorum interpretatione conscriptis: quanquam illo prior Hippocrates philosophis cunctis hoc stadio decertantibus lõgè præstantiori face præluxit: quãdo ex insomnio occursantes imagines, sic ad humani corporis prouidentiam comparauit, vt triplex circuitus ignis nostri, siue caloris natiui, per ambiẽtis mundi circuitus totidem præmonstrentur. sitq; astrorum quidem exterior in corpore motus, quo scilicet ánima vergit à centro ad circumferentiam, vt maximè consueuit vigilantibus nobis: Lunæ autem ad cauitates, vel penetrale interius priori oppositus, ceu per quietem & somnum præcipuè solet: Solis verò decreta ad motum medium vitalis spiritus spectẽt, qui conseruandæ imprimis totius harmoniæ gratia, sese circumagens, vtrumq; pariter extremorum mira æquabilitate componit: vnde quæ Soli quæ Lunæ obueniunt, aut cæteris stellis, ceu videre fulgidas, obscuratas, auctas specie, magnitudine, numero, vel diminutas; ad certam caloris motionem aptissimè refert: atque hinc sumpta medendi occasione, præ- 3. A ratione. Insomnia quo pacto per similitudines futura decernant. 3 Circuitus caloris innati. 1. 2. 3. Quopacto insomnia interpretetur Hippocr.

Indicatio rerum agendarum à somno

pediti circuitus speciem per cognata seruare docet, contrariam similiter contraria demoliri. Postea rationem analogicam prosecutus, terram carnibus comparat: fontes & puteos vesicæ, vel aqualiculo: arborum fructus humano semini: fluminum cursui sanguinis motum: tempestati maritimæ, ventris morbos: diluuia ignis, aquarum, febribus, hydropi, fluxionibus & catarrhis: ac cætera cæteris simili modo. Vt autem medicis promptum est vniuersi partes humanæ fabricæ partibus applicare, ad perscrutandas similitudines: sic.

Vsus similit. ad omnes facultates.

& rerum publicarum curatoribus, mundi vtriusq; tonos, siue concentus ad ciuitatem; theologo, & morali Philosopho, ad animi naturam, effectus cultumq; transferre, conueniẽtissimum arbitramur. Porrò inuestigandæ similitudinis nullus nec purior nec vberior fons est quã historia sacra. Quis

Similit. historiæ sacræ.

enim nescit totius noui testamenti IESV CHRISTI *vnam esse allegoriam perpetuam, vnamq; figuram in veteri designatam. Faciem quoq; & hierarchiam huius ecclesiæ humanis oculis aspectabilem, (vt ex diuinis operibus B. Dionysij liquet) illam præ se ferre quæ supra sensus humanos, omnemq; rationis indaginem in mundo architypo siue intelligibili constituta est? ac si ex toto aceruo quid particulatius adferendum est, spectemus duntaxat imaginem Prophetæ Isaiæ, quem iubet Dominus nudum, reiectis etiam calceis, vocem diuini spiritus propagare: vna nimirum imagine fortasis nudæ vim veritatis insinuans, de qua Euripides* Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ, *quippe in quam nullæ τῶν λόγων περιπλοκαὶ cadant, vna verò & calamitosam rempublicam in limine præsignificans: nimirum gẽtis Iudaicæ inopiam, solitudinem, vastitatem. postremò statum, ac miseriam Christi saluatoris, quam in humana specie, hominis*

Imago Isaiæ prophetæ.

infando captus amore susciperet. Huc refer quæcunq; de arca Noach, de arca fœderis, de serpente æneo, de signo Ionæ

Aliæ similitudines in sacris

prophetæ,

prophetæ, de tot ſpectaculis veterum patrum ac prophetarũ, vt Iſaac, Ioſephi, Danielis, proferri in aciem poſſent. Sed hæc vt nota relinquimus, duntaxat ad fontem (quod aiunt) digitum intendentes; ne in infinitum ſerpat oratio. Scio tamen deſyderari à pluribus, quale ſit iſtuc ſimilitudinis inſtrumẽtum, quod non in vaticiniis tantùm, ſed & in omni perſuaſione rhetorica primas obtinet: ab ipſis tamen illius artificij profeſſoribus vel omiſſum penitus, vel rudius exaratum, vel in poſterorum indagationem ſuſpenſum eſt. Vt paucis omnium nomine ſatisfiat: Tota hæc ratio tranſcurſu celeri, & quadam animorum migratione ex vno mundorum genere in aliud, aſcenſu rurſus, deſcenſuq; in ſingulis per ſingulos gradus, atq; ſegmẽta perficitur vt dictũ eſt ſuprà. Verũ (inquies) quos tu nobis vel puteos Heracliti, vel Democriti mũdos obtrudis? Loquar preſſius, ad populi captum. 1. *diſcernes an puræ ſint, ac nudæ ſpecies quæ diuinitus offerũtur. Vt ſiquis ab inimico ſe iugulari ſomniet, idemq; è veſtigio conſequatur: an ænigmaticè proponantur, vt in illo qui ſibi viſus videre ſummum faſtigium tecti igne conſumi, ac paulò pòſt idem alterius amore deflagret. In iſto genere ſic tu te exerceas, vt primùm concipias pugnantem quandam ſimilitudinem, faciemq; conformem in rebus natura differentibus numero, ſpecie, aut genere. Deinſingulis exemplaris partibus ſuam comparabis imaginis partem, ſeu loco, ſeu tempore dirimantur. Si enim illa diuerſa talia ſint vt inter ſe cõire vel ſub eadem notione componi poſſint, quam ad exprimendas actionis affectionisque alicuius ſpecies, viresq; conceperis: tum conſtare firmiter hoc tibi præſidium arbitrator. Vt ſi aquila viſa pileum auferre Romano conſuli: quem rurſus è plebe cuipiam alteri ſuperimponat. Pileus faſtigij ſimilitudinẽ refert, vel dignitatis: illa autem tranſlatio poteſtatis, ſimiliter tranſitũ ex vno in aliũ præſignabit. Rurſus apparent in aëre*

Ars veſtigandæ interpretandæque ſimilitudinis ad omnem facultatem vtiliſſima. Fundamentum 1.

Regula 1.

Regula 2.

Regula 3.

Exemplaſynthetica ad interpretat. allegoriæ. 1.

cataphracti, alter qui orientalior alteri versus occasum stanti caput abscindit: fortasse non id tam ad reges ipsos, aut principes, quàm ad ciuitates integras referetur, si quãdo ad anarchiam propius spectent, ceu formam illæ propediem sint habituræ, quæ truncis corporibus hominum designatur. In contexendis apologis eadem ratio constat, sed oppositus ordo ac resolutorius: quippe qui ad inueniendi potius, quàm interpretandi artificium proponatur. Exempli gratia, velim ostendere tyrannis & sanguinariis non magnopere esse sidendum. Tria sunt quorum similia in diuerso genere debeam inuenire, sic tamen vt sub eadem dissidentiæ securitate componi queant. Pro tyranno leonem, pro astuto homine vulpẽ, pro exemplis statuam vestigia stupidorum animalium, omnia in antrorsum spectantia, nulla retrorsum. Quòd si ad parendum regibus vel inuitos libeat cohortari, quantumq; periculi positum in effreni licentia linguæ: cùm ferè audaciores maximè periclitentur; euadant alij astutam vapido retinentes pectore vulpem: aptè istic non importunè talis fabula contexetur: Vt ad venatum prodierunt vulpes & lupus: mox prædam quam venatione ceperant, inter se ex pacti iure distribuant. superueniens leo regalis potentiæ titulo partem sibi tertiam vendicat: obloquitur lupus: tum leo indignabundus iectis vnguibus corium à ceruice totũ in priora reuellit: fugitante lupo cũ vlulatu horribili, quærit leo quid vulpes sentiat. ille mox totum leonis ex iure asserit. Quis inquit leo sic linguam erudiit tuam? Illud sanè purpureum caputij genus (respondet vulpes) quo tibi commilitonẽ nostrum placuit insignire. Curandum postremò in vestigandis, interpretandi sue similitudinibus non nimis remota captemus; sed proximis insistamus, adhibita semper cõsyderatione materiæ: quæ pro suæ dispositionis modo, etiam te significandarũ rerum particularibus differentiis extricabit.

Exempla resolutoria vel analytica ad inuen iendas similitud.

2.

1.

Regula 4.

Regula 5.

Praxis

Praxis cosmocritica: per doctrinam præcipuè capitis secundi, ac tertij.

Progressio ad artis cosmocriticę exercitamenta duplicia.

HÆc quidem hactenus paucis præceptis inclusa ratio tum plana cuiuis & obuia, tum facilis ac generalis: cuius tamen vsus, nisi aliud adsit, tantùm suffecerit, vbi de puris prodigiis disputatur, quæ cuilibet homini rara, insolita, & præter communem cursum naturæ vel speciem æstimantur. Nunc verò exercitationis totius duplex formula subnectenda est: vna quidem augustior, & latius patens, medicinæ seu physicarum rerum indagatoribus maximè necessaria: quæ quidem exactius multò, & penetrantius inquirat in singula. huius iam datæ methodi canones 4. ad mundi illud theatrum amplissimum, atque ad axiomata cap. secũdi & tertij doceat applicare. Sic enim perfecta quædam doctrinæ species, & ad philosophandum seriò, multarum præceptionum carmen efficitur: atque hinc verè sciemus in omni natura hominis affectus, remediorum, causarumq; alterantium corpus humanum, quid sit verè diuinum: quo pacto ab apparentibus discernatur. quænam rursus actiones occultæ proprietatis, à forma magis an à materie, aut spiritu, aut ex compositione rei, per ipsius tamen speciem aut simulacrum sublimiore principio proficiscatur, supra quã hactenus à peruulgatis medicis aut arcanarum rerum inquisitoribus obseruatum est. qui sæpe magno multorum risu, nũc in purè naturalibus ad deos, aut orcum solent confugere: plagas nimirum, venena, aut veneficia, & præstigias incusantes, vbi non vltrà consilio locus: nunc etiam in diuinis ac metaphysicis rationem vulgo ridiculam comminiscuntur: quam tamen non citra infamiam paulò pòst aliò spectans euentus eludit. vt interim sileam quæ propter artis istius ignorantiam in morbis popularibus, contagiosis, venenatis, aliisqúe quorum symptomata imprimis sunt admiranda, vel

Primum genus sublimo per constitutos antea & vniuersales maximè naturæ gradus.

Vsus prioris modi.

Errores fœdi vulgarium medicorum.

circa

circa curationem turpiter vel veri antidoti exhibitionẽ ſieri conſueuerunt. Sequetur hanc exercitandi induſtriam alia via, quam ſequenti capite latius explanabo: ea prorſus hiſtorica, popularis, per ſingula genera vires prodigiorum, ſiue decreta certis confirmat exemplis. & ſiqua particulatius incidunt, vt inferioris claſſis axiomata ſingulis intertexit. Sic enim paulatim conciſa glacie, à confuſa mole maximarum rerum ad ſcrupula penetramus.

Alterum genus exercitamenti planius ac popularius per ſpecies prodigiorum, de quo caput octauum tractat.

Praxis ad inſtar normæ antiquioris.

Age nunc igitur vt praxis totius ſchema ad illas partitionum claſſes ſuperius enumeratas liquidò efflореſcat, Sit quiſpiam vel morbus inſolens, rarus, vel conſtitutio corporis admiranda, vel vis agendi, patiendiq; ſecreta, & ſupra hominis captum: ſit vel tempeſtas conſimilis in ambitu mundi, vel ſimulacrum in aëre, vel mutatio memorabilis in repubi. cupio hiſce oblatis diuinũ characteriſmum velut quintam eſſentiam quandam elicere: non vt vulgares chymici ſolent, ſed excellentiore modo, magisq; à fœce & ſordibus à-mandato. Ne verò in rerum numeris, atq; ordinibus aberretur: repeto paucis quod ſuprà latius explicatum eſt. Quinq; nimirum gradus eſſe præcipuos in vniuerſo, qui tamen pro cuiuſuis arbitrio ad 6. aut 7. plures, aut pauciores facilè redigantur.

Quinta eſſentia.

Sequuntur tabulæ breues totius theatri naturalis, cũ epilogiſmo capitis ſecundi & tertij.

IN TOTA NATVRA GRADVS V.

1. MATERIES, VEL CORPVLENTIA: *cui & quantitatem adiunximus, virtutisq; paſſibilis propenſiones aptas ad recipiendum, ſed confuſaneas, indefinitas menti humanæ.*

2. SVPRA MATERIEM PRÆPARAMENTI *Phyſici, ſiue ſyndromes accidentariæ claſſis, vt qualitatum primarum, ſecund. tertiarum, figurarum: ex quibus iunctis harmonia corporis conſtituta eſt.*

3. SV-

3. SVPRA HARMONIAM CORPORIS *ſpiritus, naturæ partim ætherea, & cæleſtis, partim elementaris, naturis contrariis non commiſtis inuicem propriè, ſed complicatis. Huius eſſentiam imprimis conſtituit humor primogeneus, ſpumoſa portio atque aëria, velut fomes, & calor natiuus, ignea partim, ac partim lucida portio, præcipuè ad agendum efficax.*

4. SVPRA SPIRITVM VEHICVLVM *animæ ſiue carpentum, idolum tenue iuxta Platonicos: in quo nimirum aliæ quædam harmonia ſuperior cæleſtiũ pariter, atque elementarium rerum, formæq; ſublimioris characteriſmi aptiſſimè deſcribuntur.*

5. SVPRA SPIRITVM ANIMA *in rebus animatis, atque in aliis ſua cuique entelechia ſiue perfectio, characteris diuini propriè, ac metaphyſici, qui extrinſecus ſolet inſcribi maximè capax. Sic humana mens imprimis ſpeculum, atque imago Dei.*

Nunc vt per mundi ſpecies 3. ordinis eiuſdem œconomia procedat.

QVINQVE PRÆCIPVI GRADVS IN ORBE MAIORI, VEL CIRCVMFVSO.

1. TERRÆ ET AERIS, *ſecundum procreationis ſeriem. Terræ & aquæ, ratione ſitus in vniuerſo.*

2. AQVÆ ET IGNIS, *iuxta priorem modum: Aëris & ignis, iuxta poſteriorem.*

3. ORBIS ÆTHERII, *quem mixtæ conditionis inter cæleſtem, & elementarem ſub Luna proximè collocamus.*

4. CÆLESTIS REGIONIS, *vbi lux pura, & firma materiæ concretio viget.*

5. DI-

5. DIVINORVM SVPREMVS GRADVS *qui à materie penitus ſit ſecretus: Vt* DEI, ANGELORVMQVE, *ſeu bonos, ſeu malos intelligas, quos cacodæmones vocant, ſuis vbique officiorum ordinibus inuicem interſtinctos.*

Huic proportione ſegmenta æqualia comparantur in contentorum genere, quæ hiſce claſſibus à primo opifice ſunt diſtributa. Sic & in facultatibus vniuerſi.

IN MICROCOSMO VEL HOMINE CONSIMILITER V. GRADVS.

1. PARTIVM SOLIDARVM, *ſi continentia ſpectes.* HVMORVM *in venis exiſtentium, ſi contenta.*

2. PARTIVM CARNOSARVM, *iuxta priorem modum. Vel* HVMORVM *qui per partes corporis ſunt reſperſi, ſi poſteriorem:*

3. SPIRITVVM *gradus, quorũ vagi in humoribus; fixi magis in ſolidis recubant: hi quidem vt exemplaria, illi vt imagines.*

4. CÆLESTIS PORTIVNCVLÆ, *quæ partim à primo conceptus tempore, animationis, ac partus influit, velut futurorum ſeminariũ quoddam: partim reliquo vitæ curriculo, quantum in illis corporibus ſitum eſt, certo circuitu, ac radiorum analogia ex poteſtate in actum prouocatur.*

5. PLANE DIVINÆ: *cuius in homine alia portio immergitur altius corpori; alia aſſiſtit tantùm: alia denique circumfunditur, ac velut foris attingit: inferior tamen quæq; ſuperiori obſequitur promptè, vt inſtrum. artifici ſuo.*

Huius

Huius autem partitionis in homine patent & aliæ multiplices rationes: præsertim si ordinem vel in solis continentibus, vel contentis, vel spiritibus, vel facultatibus velis ad huius instar diducere. hæc enim vel mediocri ingenio præditi suo Marte deinceps quampromptissimè consequentur.


POSTREMVS TYPVS EST IN REPVBLICA: CVIVS SCALA SECVNDVM ANALOGIAM V. OBTINET CONSIMILES GRADVS.

1. PLEBIS.
2. MAGISTRATVS.
3. REGIS.
4. ASPIRATIONIS CÆLESTIS.
5. MENTIS, nutusque diuini omnia complectentis.

Eadem norma, si per legum species velis incedere, & iuxta communioris ambitus dignitatem tum in his, tum in fortunæ publicæ, & priuatæ generibus ordinem conformare.

EMBLE-

EMBLEMA DIVINÆ PROVIDENTIÆ, atque ipsum propè artis totius cosmocriticæ fundamentum.



LVctantes vteri cæcis penetralibus vna
Isacidas partu protulit hora duos.

Posterior

Posterior natu natalis iura prioris
Subripuit mira calliditate vafer.
Vnde diu profugus versabat fratris ob iram
Mille metus animo, mille pericla suo.
Sed fessum aggeribus campi proiecit aprici
Altius occiduo sole reducta quies.
Conspicit ingentem vasto libramine scalam,
Cui præceps vario cochlea torta gyro:
Latior ad terras humiles, surgebat acuto
Vsq; vel ad superas vertice tensa domos:
Hac sursum aligeræ mentes, hac ire deorsum,
Circuituq; pedem ferre, referre vago:
Hæc Iouis imperium terris via mittit ab alto,
Hæc generis nostri facta preces q; Ioui:
Hæc habet æterni patris aures, ora, manusq;
Hac fluit immensi prouida cura sinus:
Hac mundo antè volant diuini nuncia flagri,
Lætaq; sedato signa furore patent.
Felix visceribus quicunq; hæc hauserit imis,
Seu fors asperior, prosperiórue fuat.
Ille etenim tarda tandem compage solutus
Accipiet meritis præmia digna suis:
Calcatoq; means subter vestigia fato,
Supremum spiræ scandet ad vsq; gradum:
Donec firma quies nullo permista dolore
Sistat, & æternum mens sociata Deo.

Tabulæ istius vel scalæ per vniuersum extentæ amplissimus vsus

Omnes igitur tabulas superius constitutas vna comprehendit maximè generalis, quòd prodigiorum alia sapiant magis primum naturæ gradum, alia secundum, tertiũ, quartum aut quintum: quòd istæc omnia in omnibus contineri sit demonstratum, iuxta proportionem quandam vel similitudinem, cuius nunc vsus præcipuè nobis sit aucupandus.

Prima quæstio, vbi de toto genere disputatur.

Proinde & prima quæstio hæc semper occurrit altius indaganti, an in oblatis spectaculis sit etiã aliquis veræ diuinitatis character expressus, nimirum quintæ illius essentiæ in singulis constitutæ: num potius inferioris ordinis alius quisquam, & naturali propior, vt & consimilis ordinis apta in morbis remedia comparentur, his quæ à materie pendent, per materialia magis; quæ à spiritu, per cælestia: quæ à purè diuinis, immaterialibus infliguntur, per operamentis potissimum, preces, sacrificia, & expiationes, ieiunia & eleemosynas. Quanquam verò superioris essentiæ vis per intermedios gradus vbiq; ad infimos vsq; transfunditur, non tamen illa suo semper, ac more diuino penitus operatur: sed formæ corporibus illigatæ semper corporeo modo, per spiritus scilicet atque materiem, facultates exercent suas; etsi in aliis plus valeat portio elementaris & crassior, in alijs æthereæ magis, in aliis deniq; aura cælestis: quæ sanè distingui à medicis, propter analogiam medicaminum vestigandam, accuratissimè debuerunt. At formæ liberæ (vt aliàs dictum) nunc per se producunt effectus suos, nunc per instrumenta corporea, perq; materiem, sed aliter anima, quæ non tota cõpage corporis sit soluta, aliter quæ nihil penitus alligata: & inter has rursum aliter Deus, aliter angelus vel bonus, vel malus. Animæ quidem portio quam mentem appellant, corpori non astricta, nec sedem certam vt ratio passibilis in illo tenens, huic quidem assistit, cunctisq; potentiis inferioribus velut continua, nunc se ijsdem applicat, & per corpus simul quod velit exequitur; nunc rapta ad suum principium, vel mente superiore aspirata, notas diuinitatis suæ exhibet puriores, etsi certo in loco, ac tempore, quò illius actio & character alioqui intelligibilis tantùm, per sensus tamen corporeos percipi queat. De modo quo Deus, eiusq; satellites agant, dictum est suprà. Patet hinc adeò quosdam characterismos planè

Remediorum prima analogia in morbis occultis.

Actionum modus pro gradu cuiusq;

Characterismorum prima & summa genera 3.

planè diuinos, metaphysicos dici: alios verò non tam propriè diuinos, quàm diuinis proximos, aut paraphysicos appellari, secundum operationis ipsius modum. Cùm igitur prima quæstio de diuinis sit generalis, num diuinum propriè quod spectatur, an naturale prorsus, an paraphysicum debeat æstimari: secunda cuius ordinis, ac dignitatis inter naturalia, diuina, ac horum media: hinc postrema, quam proposuimus dudum, de significatione & potestate circa res præsentes, atque futuras. Certè ad illam inquisitionem omnium primã, noscè expediet totius speciei, ac generis rationem, quam epilogismo maximè per naturas indiuiduas exploramus. Vt si qua facultas in tota specie reperitur; nequaquam hæc purè diuina putetur: sin secus in vno quopiam præter specificam proprietatem, peculiaris actio, passióue, aut qualitas elucescat: tanto magis prodigiosa censebitur, quanto longius à cõmuni vel speciei, vel generis totius constitutione recesserit. Secundò & illud euidens, cùm quinq; diuinorum gradus ad tria genera rediganturr: certè quicquid à quantitate processerit, aut harmonia qualitatum primarum, constit. & mistionis totius idea, & figurarum, & spirituum symmetria: hæc omnia quidem ad vim arcanam, diuinamq; à rudioribus ablegari; posse tamen subtili methodo, viuacis ingenij, ac mentis acumine penetrari: eousq; nimirum, vt & vero proximi simus, ac sensus stupidioris crassam philosophiam multis passibus superemus. Verùm in purè diuinis, quæq; à formis abstractis, liberioribus, communissima vestigandi ratio est, per abnegationem formæ inferioris. sic enim paulatim ascendendo venimus illuc, vt cùm in Physicis locum non habere cognoueris, paraphysicon suspiceris: si neq; istorum ordine posit consistere, supra naturam omnem idipsum vel μεταφυσικὸν esse dicamus. Item per singulos gradus si non à dæmone bono aut malo, igitur à Deo proximè, & sine in-

1. Quo pacto singulis quæstionum generibus optimè satisfiat.

2.

3. Ad primam quæstionem an sit physicũ quid aut metaphysicon, aut paraphysicon.

1.

2.

Diffinitio per negationem in purè diuinis.

ſtrumentorum ſubſidio mortalibus offeratur. Hac ratione Deum quoq; per aliarum rerum omnium negationem optimè definiri, docuit Areopagita lib. De diuinis nominibus.

3. *Multum præterea laborabis in diſcernendis cauſis atq; principiis: vt docuimus capitibus quarto & quinto. Cauſæ enim cognitio totius euentus iudicandi caput exiſtit, etſi hanc primò notione confuſa admodum comprehendas, quò prior illa cauſarum exaggeratio pertinebat. Nunc autem particulatius quæ cuiq; ſit ratio, per ſingulos gradus naturæ, & characteriſmorũ ſpecies indagare docebimus. Similiter diſcernendum protinus ab initio, atque ante alias quæſtiones, an genus oblatum ſenſibus, vulgi tantùm rationes effugiat: an & illorum qui naturæ vias & latebras altius pertentarunt: num rurſus falsò ſpecies rei perceptæ, num & verè talis extiterit: Multis enim terror aut mentis conſternatio, morbi vis, aut ſimilis conſtitutio fecit apparere prodigium ac ſimulachrum tale cuiuſmodi depictum intus in humore craſſo, melãcholico ipſimet circumferebant: vt ſcitè in Hercule furente pingit Seneca, in Aiace flagellifero Sophocles, Galenus in variis admodum quæ referre non eſt neceſſe. Multi ſub oraculorum, prodigiorúmue prætextu, mentes humanas flectunt quò volunt, cùm nihil ſciant religionis titulo ad perſuadendum efficacius. vt cõſtat de Mahumete, Numa Pompilio, aliisq; innumeris.*

Cauſarum vniuerſalis notio vel confuſanea ad naturæ gradũ interſtinguendum vtilis.

Impoſturæ circa apparitiones prodigiorum euitandæ

4. *Vbi primùm de genere diuinorum rectè conſtiterit: iam reſtat altera quæſtio, ſpeciem inuenire, & auguſtioris ordinis gradum: qualis nimirum character exiſtat, quantáque prodigij dignitas. Hinc enim & in cognitionem cauſæ finalis, & effectricis maximè peruenimus. vnde poſtremò & quantitas qualitasq; ſignificatarum rerum elicitur. quod etiam à peruulgatis ingeniis imprimis eſt expetitum, ceu totius propoſiti fructus. Hoc igitur prius ratum & firmum cogita,*

Ad quæſtionẽ ſecundam de ſpecie prodigiorum per 5. gradus naturæ.

Vtilitas huius inquiſitionis

gitæ, quòd omnes actionis inferioris duces, vtantur necessa- Axioma.
riò superioribus: non tamen contrà. vnde non dicuntur a-
ctiones à sola materia, sed plurimæ à solo motore primo. Itẽ
quæ fiunt à temperamento, fiunt & spiritus ope, ac procul du-
bio ipsius formæ. Quin forma corporibus planè immersa, in-
separabilis, nihil etiam sine materiæ vi vel spiritus potest ef-
ficere: etsi in his alia opera alterius conditionem dixerimus Aliud.
propius redolere. sed contingit separatas formas multa pro-
ducere extra virtutem inferiorum, vt modò est præfinitum.
Ergo vt sit quò tendas, atque arcum dirigas, nec passim cor-
nos testaq; lutoq; sequaris: hoc imprimis axiomate fretus
refer te nunc ad gradus antea memoratos.

Primùm in vniuersa peregrinatione hac animi tui, co- 1.
gnosces à quantitate siue materie vim inesse occultam, pro- Quopacto primi gradus prodigia quæque ex vi occulta materiæ proficiscũtur sint à cæteris distinguenda
pè sola experientia duce: quam firmet epilogismus siquæ ea-
dem specie permanentia, in res affectas similiter, eadem di-
stantia & proportione aliarum circumstantium rerum, eandem actionem nunc fortius, nunc debilius imprimant. Sic e-
nim idem ignis nunc calorem natiuum recreat, nunc lan- A quantitate vires prodigiosæ.
guere facit, nunc etiam disiicit atque consumit. Quid autem
in vnaquaq; specie sit quantitate diuinum, facillimè depre-
hendes, prima comparatione ad illud facta quod in specie sua
symmetriam optimam sit consecutum. deinde & altera,
quæ status obseruet vtrunq; excessum siue defectum, intra
tamen speciei latitudinem exporrectos. vt in vestigãda sim-
plicium medicaminum facultate, in explorando tempera-
mẽto totius hominis, ac singularum partium, Galenus ostẽ-
dit. Quicquid enim à medio ceu Polycleti canone lõgius ab-
est, in genere temperaturæ asyncratõ illud: asymmetrõ ve-
rò in constructione, & figurarum moderatione dixerunt.
Quod verò communem speciem, vel naturæ cuiusq;, vel af-
fectionis excedit: ad metaphysica referendum. vt gygantea

magnitudo corporis, figura Pygmæa, pedes, manusq3, aut capita numero plura, quàm pro naturæ lege cõueniat. Postremò in morbis similiter, si tanta putredo vt carnes subitò in tabum diffluant; tantus calor, vt ad sensum pinguedo liquescat; tantus sudor, aut quæcumq3 excretio, vt assumpti cibi aut potionis modus, siue proportio cum excrementorum mole nihil respondeat.

2. Quopacto vires occultæ à syndrome physica discernantur.

Nunc an syndrome physica, ceu complexus & harmonia multorum generum, quicquam altius operetur, maximè vestigandum est: velidcirco, quòd & doctiores plurimos istic contingat impingere; dum vno contenti vocabulo proprietatis occultæ, omnia istiusmodi naturæ sinuosa miracula vel ad spiritum referunt, vel solam totius corporis formam: cũ interim sæpe occultum illud, atq3 diuinum lateat in vno complexu qualitatis, quantitatis, ordinis. sic enim gingiber magis calefacit, quàm piper: cùm tamen temperamento sit caliditas piperi maior. sic ferrum candens acrius vrit, quàm ipsius ignis omnium calidissimus: non ex sola vi temperaturæ scilicet, verùm ex calidarum partium, aut elemẽtorum situ: quòd in aliis rara magis positio, in aliis coacta ac magis vnita: vnde contingit tam variè hallucinari medicos in constituendis gradibus medicam. dum alij ex sola temperie rem definiunt; alij ipsius operationis modum potius animaduertunt: quæ tamen æstimatio non tam propria, quàm ex accidente censetur. Sæpe verò & alia misturæ inæqualitas difficultatem vel maximam solet effundere, dum in vno corpore similari ad sensum, partes tamen ita dissident mutuò, vt contrariæ facultates eodem propè loco, atque substãtia deprehendas: ideoq3 nunc eodem tempore, nunc successione quadam vires quoq3 pugnantes mutuum exercere. sic enim in rosis superficies humiditate blanda, & temperato calore perfunditur; in profundo vis terrestris, sicca & frigida temperies

A complexu quantitatis, qualitatis, ordinis.

Crassa medicorum errata in diiudicandis gradibus medicamentorum.

A dissimili temperamento in eodem simplici secundũ partes diuersas.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SEVILLA

temperies delitescit: in plantagine, violis, cassutha, aizoo, radice smilacis asperæ, multus in superficie tepor & succulentia, plerisq; & frigus non minimum, ex occurrente primùm actione percipitur; si diutius admouentur, aperit sese ex fundo totius mistionis insignis calor, cum tenuitate partium discutiens plurimum, atque resoluens per halitum, si qua corporum extremis angustiis infiguntur. Vnde illorum tam admiranda operatio? quòd nimirum ordo contrariæ temperaturæ in vna substantia agente exactè respondeat analogiæ cõtrarietatis, cũ immoderatione partium humani corporis, subiectiq; passibilis: vbi potissimùm illud ferè requirimus, vt quum hepar calidius non offenderint, vim tamen discutiendi aperiendiq; obtineant circa circumferentiã partium extremarum. Est aliud rursus in eodem genere syndromes physices, per concentum scilicet qualitatum secundarum; raritatis, densitatis; læuoris, asperedinis; duritiei, mollitiei; grauitatis, leuitatis: quanquam ferè hæc ipsa diuersis partibus, pro illa quoque temperaturarum diuersitate, locẽtur; magis tamen à secundis qualitatibus, quàm à primis ea quæ fiunt stupenda admodum, proficiscuntur. vt propter dissidium rari ac densi in attractione cucurbitæ, in tonitruis, terræmotibus, sclopetis bellicis. Ita mirabilis vis patet argẽti viui, dum inclusum calamis, aut annulis cauis, atq; admotum igni, calorem insitum, subtilem, oppidò vehemẽtem, sed altè sepultum sub densissima superficie, ac veste terrena, per occursum calidi exterioris in actum profert. Neque alia est omnium ferè venenorum ratio, quæ propriè talia nominantur: id est totius formæ proprietate, (quam mistionis formã rectius appellassent) perniciem humano corpori allatura. constant enim particulis illa contrariis, pugnantibus qualitatum primarum, secundarum syzygiis: quibus & tertias licet adiungere, ceu viscosum friabile, cõcretum liquidũ, &c.

A concentu qualitatum secundarum.

Mirabiles rerum consensus atque dissensus ad impediendum vacuum aut penetrationẽ corporum.

Venenorum ratio.

& complexu tertiarũ qualitatum.

Nonne in hydrargyro primùm extremi frigoris vis percipitur, intrò repulsis humoribus, si per emplastra vel vnguenta adhibeas foris? deinde si non contingat vnà secerni, paulatim resoluto terreo mistionis inuolucro per calorem corporis innati, (quod calcionari dicunt artifices) aperire sese ignitam maximè, vrentemq; facultatem: quæ ad sphacelũ deinceps, et marasmodem febrem vlteriore progressu habitum laborantis adducat? vides eiusdem ordinis contrarias vires in opio, hyosciamo, in semine ranæ rubetæ, & pernicioſorũ animalium morsu. videmus enim in omnibus maximas tẽpestates oriri, his qui venenum in se conceperint, ceu vaporis, & exhalationis contrariis qualitatibus eodem loco inter se luctantibus: vt quæ prodesse postea velis antidoti loco si vires simplices sortiantur nihil proficiant, quin pro qualitatis excessu, dum vni parti morbificæ causæ obsistunt, alteram vehementer irritent: nec prius id mali tollitur, quàm ea lege alexipharmacon temperetur, vt fermentatis inuicem summè contrariis, tota misturæ ratio exacta proportione respondeat. Sed in eadem classe iam superest alius naturæ ceu cõpositionis superior gradus, in figurarum varietate & symmetria. vt enim in partibus humani corporis singularũ species suis actionibus destinata est, & quantitas quãtitati inseruit, & cætera cæteris simili modo: sic vbi omnium contextus supra captum ingenij mirabilis viget, opera quoque istiusmodi efflorescere consentaneum est: vt in molarũ ductubus, horologiis, aliisq; instrumentis automatis liquet. Sic olim pensiles horti, sic Vulcani tripodes, sic septem orbis miracula penè in prodigiorum ordinem peruenerunt: sic in plantis & mineralibus conspicui characteres sæpe facultatem produnt interiorem, vt in scorpioeide herba, in orcheos generibus, in anacardio, in lapide ætitide, chelidonio, &c. Sic denique in compage corporum nostrorum morbi & symptomata

Curvenenorum tam potens actio, sed liberatio tam difficilis.

A concentu figurarum actiones admirandæ.

In artificialibus.

In morbis affectionibusq; præternaturam.

ptomata fiunt eiuſmodi, teſte Hippocrate, vt quamuis ſubſit naturæ ratio, vulgus tamen ad deos retulerit ſuos, vti nũc ſæpius facit, atq; in lib. De morbis comitialibus, de furore virgineo ſcriptum ab eodem auctore reperies. Mirantur verò hos impetus vehementes, & ſubitos humorum, ſpirituum, vaporum, exhalationum: dum certis partibus oberrantes, diuerſas tetani ſpecies præſtant: nunc contractis manibus, totaq; ceruice, & ſpina verſus anteriora; nunc in poſteriora reflexis omnibus; nunc alternis hinc inde mira celeritate diductis. quæ tantùm pro diſcurſus modo, nunc ad interiores neruos, nunc extimos fieri conſueuerunt. Similiter & in ſuffocationibus vterinis, quàm multa obueniunt, quæ ſæpe inexercitato medico, ſuſpicionem numinis præbuerunt? quãdo à venenato ſpiritu inflatæ arteriæ, diductæq; in amplitudinem, ſecundum longitudinem contrahuntur. vnde neceſſe ſit aliquando mulierem ſtrangulari: vnde & voces mirãdas ex imis viſceribus exaudiri, nunc velut ranarum coaxatus, nũc ſerpentum ſibilos, crõcitus coruorũ, gallorum cucurritus, latratus canum, &c. quæ tamen pro viarum, & erumpentis ſpiritus proportione caſus effingit. Accedunt his alia non minus ſtupenda in pulſubus cordis, delyriis, conuulſionibus, ſpumis, ſingultubus, alternatis motubus animorum, triſtitiæ, gaudij, clamoris, cantus, riſus, fletus, non ſecus ac ſi dæmoniis agitarentur, & hæc tamen vt plurimum tum ex diuerſitate halitus venenati; qui ex menſtrui ſanguinis corruptela, vel pernicioſior multo ex retento, aut vitiato ſemine naſci ſolet: ex locorum natura, ſitu & ordine: quorum alij aliis imbecilliores promptius excrementa in ſeſe recipiunt, atq; vtero compatiuntur lege conſortij, per venas ſcilicet, membranas, neruos, atque arterias. Sic etiam in peſtilentibus morbis ea tam præceps afflictio ac propè diuina, non à calore ſimplici pendet; non ſiccitatis aut humiditatis exuperantia; nõ à putredine

Impetus comitiales & hyſterici penè prodigioſi.

Tetani triplices.

Suffocationes vterinæ.

Voces horrendæ in paroxyſmis eiuſmodi.

Alij motus mirabiles.

Peſtilentis cõtagij vis diuina.

tredine ſimplici; ſed maximè fermentata, ac totius miſtionis corruptela: vbi per diuturnam obſtructionem, in arteriis maximè, is qui reſoluitur putidus vapor, in ſe reflexus amplius fermentatur, iam duplicatam, iam triplicatam putredinis ſpeciem non procul à natiui caloris fonte producens: quæ & in verminum generatione non aliam maximorũ accidentium cauſam in ſe continent. In melãcholiæ generibus, præſertim illa quam hypochondriacam vocant, in doloribus colicis, & id genus aliis, non alio certiore principio admirandorum motuum rationes elici poſſunt. vna materiæ cognitio, locorumq; quibus affectus inſident, tum per ſympathiam, tum per idiopathiam, ante oculos omnem hanc veritatis lucem, tot tenebris ſeptam vndique, non cunctanter expediet.

Putredinis duplicatæ virulentia.

Vermium fæna corruptela.

Melancholia.

Colicus dolor

Quin vniuerſa criſeon ratio, & circuituum in ſingulis morbis optimè à Gal. prodita eſt, ex proportione facultatum ad locum continentem, contentamq; materiem: accedentibus inſuper cauſis cæleſtibus: vt Lunæ analogo motu & aliorum ſyderum ſyzygiis. Potiſſimum tamen intermittentium febrium circuitus tum materiæ differentiam, tum febrilis fomitis ſitum, atque à corde diſtantiam inſequi ſolet. Sic in quotidianis paroxyſmis, venæ cauæ portio, qua cordi vicinior patet, magis obſtruitur: materies autem plus obtinet pituitæ. In tertianis materies bilioſior: locus (meo iudicio) aptius in venis hepatis, ac ſynaſtomoſi vaſorum debuit collocari. Quartanis verò in mezeraicis venis, præſertim ſi & humor ſit fæculentus, vel ex aduſtione melancholicus. Continuis omnibus, quæ non ex inflammatione viſcerum, aut putredine foràs effuſa in alicuius ventriculi cauitatẽ, credo caloris fomitem ex ſanguine potiſſimùm in arteriis reſidere: vt tamen & illa exacerbationum varietas, tum pro qualitatis differentia in ipſo ſanguine putrefacto, tum ſitu fomitis à corde quamoptimè ſtatuatur. Hic autem fomes vbique non ſimplex,

Criticorum temporum ordo diuinus.

Cauſæ. Paroxyſmi febriles vnde dependeant.

Noua & paradoxa auctoris opinio de febrium cauſis.

ſimplex, ſed ex pituita & bile permiſtis inuicem, at q3 confuſis naſcitur: hac quidem incendij magis, illa obſtructionis aptitudinem ſuggerente: etſi in aliis plus minúſue nunc huius, nunc illius exuperet: vnde repetunt febres, dum tota fuerit expugnata materies, atque diſcuſſa: diſcutitur per ſingulos paroxyſmos, pro facultatis proportione ad ipſam materiem: regignitur alia, pro excrementorum affluentium mole & qualitate, nunc ab hepate, nunc à ventriculo, vtero, aut aliunde. Quare quantumuis ordo diuinitatis characteriſmũ in pluribus præ ſe ferat, non tamẽ iſtic vbi naturæ ratio clara eſt, ſtatim ad metaphyſica procurrendum. Poteris eodem principio fortaſſis & illa perſpicere quæ vaſto monſtrorum catalogo recenſentur: quæ nõſtro ſimilia, de proprietate quorundam non modò fruticum, metallorum, lapidũ; ſed & animalium, ac præcipuè ipſius hominis, incredibilia memorantur. vt quonam pacto mulieres in mares verti cõtigerit, inſtrumentis quæ prius latuerant, per pubertatis calorem foràs erumpentibus. cùm & ipſe Gal. vtriq3 ſexui eadem organa ferè contribuat, ſitu duntaxat differentia: quòd in fœminis velut talparum oculi intus præ frigore maneant; viris præ caliditate, ad exteriora trudantur: Similiter quonã pacto maribus tantam poſſibile fuerit lactis copiam aceruari, vt (quemadmodum Alex. Buntus refert) viſi ſint qui & infantem admotum vberibus lactare potuerint. Scribunt Aethiopiæ partem cuius incolæ naſcuntur toto corpore flexili, vt in omnem poſitionem ſeſe contorqueant quamfacillimè. his oſſa neruea eſſe non dubitaneum. Aiunt iiſdem & linguas geminas, quibus diſtinctim, ac pro arbitrio vti poſſint. Multum in omnibus valet conformatio prima, ſi cõſuetudo acceſſerit: vt in funambulis, atque athletis, in ſummo Milonis robore, in cytharœdis & hiſtrionibus manifeſtum eſt. quanquam hîc ſpiritus copia primas obtinet, pro vt ille

Fomes cõmunis omniũ febrium qui typum ſeruant, ſed inæqualiter mixtus.

Cauſa, paroxyſmi & totius durationis.

Quando deſinant.

Quouſq; repetant.

Ichotropiæ mirabiles in naturis humanis atque operibus.

Vnde mulieres in mares verti contigerit.

Viros lactaſſe infantem admotum vberibus.

Oſſa neruea.

Linguæ gemine.

Plura eiuſmodi apud Val. Max. atq; Fulgoſium legas.

Occultæ vires à conſuetudine.

ille in hanc, vel illam partem frequentius. arbitrio rationis impellitur: vt tandem impreſſis ſpeciebus, tanquam ſuopte principio deinceps, etiam mente diſtracta, atque alibi occupata functiones tamen eaſdem incredibili celeritate perficiat. Huc refer quæ de ciborum, potuum cõſuetudine, quæ de veneficis ac veneno paſtis fœminis antiquitus memorantur. Noui qui flere cùm vellent, poterant, qui totum corpus rigidum continere inſtar ſtatuæ; qui voces quorumcunque animalium fingere, etiam ſingultire, & ventris crepitus efformare, non tantùm quando vellent, ſed & quomodo. adeò à teneris conſuescere multum eſt, vt poëta inquit.

3 De characteriſmis ſpirituum diſcernendis.

Reſtat nunc proprium characteriſmum ſpiritus obſeruare. Sunt enim tria præcipuè quæ non recipere videtur ex ipſo materiæ ſinu; ſed à cæleſtibus, aut forma nobiliore. Primò vt naturas contrarias componat, atque contineat vinculo quodam arctiſſimo, ne tam facilè diſſoluantur: quod elemẽtaris ille & igneus calor præſtare non poſſet. hæc autem vis elucet maximè in primis ſeminibus rerũ. Alterum eſt quod

1. 3. Præcipua ſpiritus opera quæ ipſum à corruptibilibus elementis magna ex parte ſeiungunt.

formet, figuret, diſpenſet ſingula ſuis locis, atq; muneribus, ac ſi mente præditus eſſet. Tertium verò quod motionis cuiuſque obtineat mirabilem energiam, celeritatem, varietatem, ordinem: quæ quidem omnia conſtat præcipuè in cæleſtibus reperiri. Ergo virtutem à ſpiritu magis procedere, quã à materie, diſces eiuſmodi notis, vbi liquidius efflorũerint.

2.

3.

Ab actionis & paſſionis energia.

Quemadmodum ſi reſiſtendi robur inſigne & pertinax, agendi præceps facultas omnia penetrans quamcelerrimè: qualis in peſtilenti contagio plurima latet, & in aliis infinitis, quæ mole minima, difficillimè tamen à medicis expugnãtur: vires q; confeſtim proferunt vſque in imum corporis penetrale. Sic enim lues tam ſæua viguit aliquando, vt ceu percuſſi fulgure repentè conciderent. ſphacelum procedere vidimus ſpatio horarum trium ab vno pollice pedis vſque ad

Peſtilentis cõtagij vis ſpiritalis.

Peſtis prodigioſa.

Sphacelos.

ventrem

ventrem & præcordia laborantis. Est & in aliis mira mobilitas, & ad stuporem crebra accidentium commutatio. Ita enim in stomacace, ab vna corruptela humoris melãcholici, vidimus eadem hora gingiuarum carnes nunc liuescere, nũc rubere, nũc in colorem nigrũ penitus cõmutari; dẽtes firmos vno momẽto, mox alio omnes vacillare, ac rursus soliditati pristinæ reddi. In vna icterica semel quadruplicem coloris vicissitudinem obseruaui: sic tandem flauescente habitu corporis, vt vno temporis puncto & vngues, & labia, & crines, cum vniuerso habitu coloris extremè fului, atq; aurei spectarentur. hæc autem illi ab obstructis mẽsibus contigerunt. In melancholicis eãdem ob causam affectuum illa varietas, & frequentissima mutatio. vt nunc canant, nunc furiant, fleant, rideant, imò & in vnico vultu diuersissimorum affectuum signa appareant. per constrictionem & relaxationem subitam villorum cordis ex alternatim ingruentibus phantasiis, cum apprehensione boni aut mali. Hinc & in aliis morbis tumores subiti, peregrini; abscessus mirabiles, trã sumptiones de loco in locum, per admirandas vasorum angustias. vt cũ in angina, pleuritide, phrenitide, peripneumonia, per sedem, ac per vrinas ingens puris copia celerrimè vacuatur. Multum vbique illa spirituum tam subtilis acies potest, dum cuncta permeat, trahit, pellit atque circumagit. præsertim si anastomoses vasorum, arteriarum systolen, & diastolen in causæ partem placeat aduocare. Quapropter cùm vix apparet proportio materiæ motæ ad locum ipsum, aut formã instrumentorum: vt si per summas angustias quicquam solidius transferatur, vel contra naturam grauis corporis, aut leuis deorsum, sursum aliqua concitentur, de spiritus energia ac prædominio non ineptè ratiocinamur. vt & illæ quæ de fœtuum transmutatione per phantasiam diximus dudum, quæq; in gallinis apparent vbi marem semel excuasserint, aut

Stomacace.

Icteros admiranda.

Melancholia.

Tumores subiti atque abscessus.

Anastomoses & transumptiones in pleuritide & similibus morbis.

Indicium facultatis spirituosæ maxumæ.

Corporum transmutationes ex affectu.

aut pugnando vicerint, ſiniſtri ominis cucurritu primùm gallos imitari, mox & gallinas reliquis audeant inſilire, donec & notæ in formam corporis inoleſcant, cùm cauda criſta rigidior fiat, mari deuicto omnia vice verſa. quibus addere licet alia infinita.

Gallinas canere, apud agreſtes mali ominis loco, vt & in Phormione.

Verùm à ſpiritu aſcendamus ad animæ vires occultas, omniq; materie ſuperiores. Eius characteriſmum primò intelliges totius operationis caput exiſtere, ſi abſente anima, ſummam tamen obſerues ordinis, ac prudentiæ rationem: quam nuper aſſiſtens anima ſpiritui opifici tũc imprẽſſerit, ceu rex gubernatorem ſuum informans, vbi prouinciam certam, aut adminiſtrandæ ciuitatis onus imponit Hæc tum in ſeminibus rerum, tum ſemel extinctis corporibus demonſtrantur. Hinc illa facultas relicta in partibus plantarum & animalium: vt ſi quis rabidi canis morſuræ eiuſdem pilos imponat, aut hepar aſſumat: item ſi ſcorpionis ictui extinctus ſcorpius applicetur: ſi lumbricos viuos impugnet puluere mortuorum. Hinc & illæ litis, & amicitiæ ſpecies quæ viuis fuerant, in extinctis perſeuerant. ſic enim ouillis pellibus pilos aiunt defluere, ſi lupinum corium illis appoſitum ſuſpẽdatur. Atqui hæc vna ratio partem includit maximam contemplationis eiuſmodi, quæ latentes rerum conſenſus atque diſſenſus ingenti ambitu comprehendit, quæq; ab imperitis inter præſtigias, atq; artis magicæ miracula recenſentur.

Quopacto à characteriſmis animæ miracula producantur.

Viuorum corporum vires in ſeminibus & cadaueribus vel truncis relictæ.

Sympathiæ & antipathiæ mirabiles.

5.

Quopacto ab anima rationali cùm liberè agit prodigioſa præſtentur.

Porro anima cùm præſens adeſt, tum ſanè ipſius vehiculo fruſtrà peculiarem characteriſmi ſpeciem aſſignamus. Eà enim tunc omnium prima per totam ſeriem tota progreditur, conſtantioris ordinis ac ſapientiæ typum in ſingulis repræſentans, quæ ad eſſentiam pertinent ſpeciemq; compoſiti naturalis. At interim anima in hominibus ſolis opera infinita verè diuinitus facit, veri prodigij titulo celebranda. ceu cũ afflatur cælitus ad vaticinia: cùm admonetur inſomniis, oraculis:

culis. Huc ea pertinent quæ ab Hipp. dicta sunt lib. Epid. 6. sect. postremo, mentis intelligentia ipsa per se ipsam, citra instrumenta, ac negotia tristatur, lætatur, timet, confidit, sperat, desperat: ceu in Hippothoi famula, quæ mẽtis suæ per seipsam gnara fuit, & quæ in morbo acciderant sciuit. Certum est amoris vehementiam illud in pluribus valuisse, vt certis vocibus, aut simulachris, vel magna locorum intercapedine, alter alterius afflictionem, mortem, aliasq; necessitates somnians, vigilans intelligeret. Contingit autẽ & moribundos homines vera prædicere: cùm anima iam suo diuortio ac libertati propior, diuinitatis ipsius puriorem radiũ persentiscit. Sic Hector Achilli, Patroclus Hectori. Sic regi Philippo Imperatorem Carolum certo præsagio plurima quæ nunc euentus comprobat, admonuisse commemorant. Cognosces autem peculiariter agere, atque diuino modo, si mul tis gradibus locorum, temporum, instrumentorum omnium, atque materiæ vires exuperet. (nam si minor excessus, possit referri forsitan ad spiritus efficaciam.) Huc enim pertinent & illa: si celeri raptu videbitur sensus, aut motus à corpore sequestrari: si viderit illa quæ aliorum oculis minimè patent: si aliorum fata prædicant: si linguis ignotis loqui, aut supra naturam miracula facere videantur.

Mens per se operatur sine subsidio vllius instrumenti.

Quo pacto absentes affectionem mutuò transmittant.

Moribundos vera sæpissimè præsagire.

Iungunt se menti humanæ nunc angeli boni, nunc mali, iussu aut permissione diuina, vt ex antea monstratis patet. Tunc quidem singula quiddam longè sublimius spirãt, maiore scilicet impetu, atque agitatione rerum vniuersarũ, quæ constitutionem hominis ingredi consueuerunt. nam sæpe de loco in locum celerrimè, & supra vires corporeas transferuntur: vultus subinde mutatur, vt hominem amplius esse non putes: accedunt sæpe extrinsecus simulachra, phantasmata, quæ præsentiam alicuius dæmonis attestentur. Videas verò ante enthusiasmos præparationem sæpe multiplicem tum in

Quando peculiariter virtuti animæ sit ascribendum.

De prodigiis illis quæ à principio superiore dependẽt, ac primò quæ ab angelis fiant.

Præcipuæ notæ.

Præparatio corporum ad recipiendos dæmones bonos vel malos

tum in corpore, tum in anima receptrice maior plærumq; est aptitudo humoris melancholici: qui tamen cùm sit duorum generum, ad has, vel illas species maiorem obtinet analogiam. Verùm animi præparantur ad angelos bonos, pietatis operibus, castitate, amore iustitiæ, fixaq; meditatione mentis in Deum: ad carnificinam spiritus mali, rebus planè contrariis: præcipuè tamen crudelitate in proximum, maledictione, periuriis, homicidiis, bruta libidine, & perfidia scelerata. Infiniti eò raptantur casus impatientia, animorum ægritudine diuturna, cùm nullum ponũt suis affectibus modum. Sunt quos parentum, oppressorum pauperum, sacerdotum, atque piorum hominum ĩmprecatio lõgè lateq; persequitur. Iniqua tamen ea æstimatio personarum est quæ ab euentu sumitur. vt non malè poëta in hanc sententiam dixerit, Careat successibus opto, Quisquis ab euentu facta notanda putat. Nam & sapiẽs omnia omnibus euenire testatur, quò nimirum humani iudicij ausus temerarios frangat, quos eò progredinorat, vt pro afflictionis modo, proq; fortunæ statu, vitam hominis vniuersam, fandi infandiq; præmia metirentur: cùm alioquĩ incerta sint omnia vel sapientibus viris; sæpe & in futurum tempus iustorum merces, aut impiorum supplicia reseruentur. vide Ecclesiastes cap. 8. & 9. Quin secus se rẽ habere ac putetur in terris, vita sanctorum plurium, & ipsa historiæ sacræ volumina satis ostẽdunt. Sæpe enim immittit hosce tortores Deus, nõ tam vt puniat, quàm velut aurum ignibus probet: quemadmodum exemplo Iobi, Tobiæ, omnibus in cõfesso est. Fit sæpe vt obsequentem cupiditatibus prauis, nulla calamitas premat, neq; crux mala exagitet. quòd si semel pertæsi prioris vitæ vel pedem mouerint, atq; ad lucem veram factorum pœnitentia conuertantur: tum primùm patet assultus dæmoniũ nequã, tum plagæ, terrores, ac mille perferenda supplicia proponuntur. vt

Imprecationis vis horrenda.

Non omnia ab euentibus æstimanda.

Ad angelos.

Ad cacodæmonas.

clarè

clarè D.Chryſoſtom.in quadam epiſt.vbi monachum conſolatur, qui prius vita libera ſemper incolumis, poſtquam initiatus ordini ſacro ad diuinorum cultus ardentius aſpiraſſet, nunc primùm obſeſſus ſpiritu malo ærumnas innumeras pateretur. Nimirum ille ſe fugientes inſequitur, ſibi addictos rerum qua poteſt vbertate extemporanea ditat, eademq; frui quietos ſinit. quanquam in omnibus ceu manus Domini nihil planè pro ſuo arbitrio poſſit, ſed in omnem aggreſſionem ſuam, nutu ſuperioris indigeat, qui ſolus eſt Deus, qui peccatorem percutit ſæpe vt ſanet, iuſtum verò vt repurgatiũ amplius inſigniore præmio æternitatis afficiat: ſæpe etiam vt & maieſtas & gloria verbi diuini contra ſathanam viuis aduerſariorum teſtimoniis illuſtretur. Porrò id obſeruandum maximè: prius quàm dæmon obſideat, ferè quibuſdam præludiis ſparſis imminentem homini tempeſtatem ſolere portendi, ac ſi per gradus aliquot pedetentim inuadens, propter humanæ dignitatis antipathiam, nonnihil quoque luctantem ſibi materiem præpararet. Prius enimverò nulla ſenſibili ſpecie, multa phantaſmata ſuggerit, mentemq; quàm maximè poteſt à diuinorum meditatione deturbat. hinc ſimulachra quædam corporea, ac ſenſibus manifeſta, vel in aëre ambiente confingit qualitati ſuæ, atque ordini conſentanea: vel eadem in hominis cerebro, vel circumfuſis proximè tum humoribus, tum ſpiritibus exprimit, vt occurſantia foris appareant, cuiuſmodi præſtigias infinitas numero deſcripſerunt, quibus id argumenti hactenus ex profeſſo, non tamen tam didactico ſtilo ad conſtitutionẽ artis, quàm hiſtorico ad voluptatem legentium pertractatum eſt. Sæpe verò & ſpecies obiectæ ſenſibus laborantium, certum inter ſe ordinem gerunt: dum primò à leuioribus ad illa atrociora progreditur. Poſtremò verò, ac priuſquã ſeſe agglutinet totũ, teterrimã ſui imaginem, ac nudæ proximam

1. Plures cauſæ cur ſæpe grauius affligantur boni à ſpiritu malo quã improbi.

Dæmonis aggreſſiones ſæpe per gradus certos & ſpecies ordine graniores.

Præſtigiæ variæ.

Quopacto obsideantur.

quandoque ad augmentum horroris solet obiicere. Ergo vbi concussa interior vis animi, paulatim à luce in atram caliginem sese demergit, mox tota exæstuans calumniatoris spiritus tyrannidem experitur. non secus atq; in regno, vel ciuitate quapiam soluta vnitas inter plebem, & magistratū, externis dominis atque tyrannis in omnem licentiam mœnia patefacit: qui tamen paulò pòst vtriq; generi infesti palam & rigidi, non sine cunctorum multiplici clade, funestoque supplicio sentiantur. Atque vt iam characterismos proprios vnusquisq; dignoscat, perdifficile est: cùm multa sint istic indicia, quæ tam in animam, & spiritum competūt humanis artubus alligatum; quàm in liberiores angelos, formasq; à corpore separatas: ac rursum constet ex historia sacra, ministros altissimi instar flammæ vrentis (vt verbis Dauidis vtar) duorum generum, bonos, & malos: vtriq; tamen puniendorum scelerum munus interdùm dari diuinitus. sæpe verò & spiritus tenebrarum vultus assumere naturæ suæ contrarios, ac speciem induere angeli lucis. vt plurimum tamen supra animæ vires quicquam adesse perspicies, si, vt diximus pridem, motus mutationesq; ab illa consueta specie exorbitent. sed ipsam diaboli consuetudinem, à satellitio meliore distingues: quòd in illo vt plurimum sit spectatarū rerum vanitas maior, permista mendaciis, (quæ modò pura proloquitur, modò veris, aut valde obscuris inuoluit) permista garrulitate, risu, affectionum inconstantia: fugit imprimis præsentiam sacrosancti corporis Domini nostri, ac seruatoris IESV CHRISTI: *fugit & nomen, & verbi diuini certis ecclesiæ ritibus, à sacerdote catholico prolata mysteria. nam diuinorum simios, & pseudoprophetas, apostatas aspernatur, atq; eludit palàm quāuis inuitus; sæpe & contortis dicteriis aut vitia illorum detegit, aut alia ratione conatus planè ridiculos facit. Sunt & alia huius obsessoris indicia;*

Quopacto obsideantur.

Simile in humana repubi.

Quopacto characterismis propriis à bonis angelis malos quādoque discernas.

Notæ cacodæmonis obsessoris.

dicia; quòd non ante ingreſſum modò, ſed et initio paroxyſmi magis magisq; ſubiectum corpus affligat, maximè tamẽ ante egreſſus. Mirum verò quòd & ſtagrorum ſenſus excruciet, ac licet ægrum ſæpius reſpirare permittat, attamen vnã partem pertinacius occupando, illic & ſedem plærumq; defigat. Bonum ſuopte ingenio nullum facit, niſi gratia malivērum non lóquitur niſi coactus, atque imperatoris ſummi edicto parens, atrociores impetus habet locis, atque temporibus ſacris. Miſcet ſe promptius comitialibus, melancholicis, affectibus vterinis, hydrophobiæ, morſisq; à rabido cane, &c. quorum ratio ſuperius explicata eſt. Clarius idem liquet in tempeſtatibus cæli, ventis, tonitruis, terræmotubus. nam conuenientem operi ſuo materiem non quantam velit ſemper in promptu habet; verùm aut ſingit oculos faſcinando, aut per legitimas naturæ cauſas coactam, amplius porrò exagitat, inq; hæc vel illa loca diſpellit: præſertim ſi & veneficorum hominum ſuffragiis adiuuetur. Plura qui volet, Mich. Pſellum De dæmonibus legat. eſt enim hoc argumentum varietatis infinitæ.

Miranda quædam in obſeſſis.

Quantum in morbis ac cæli tempeſtatibus poſſit.

Deum per ſe & proximè, ſeu nullis intercedentibus cauſis, multa efficere certum eſt in miraculis puris ſacramenti, ac veri corporis Chriſti: in his etiam quæ tum in veteri teſtamento, tum nouo de Deo ac ſummi Dei filio ſcripta conſpicimus. etſi in plærisq; materialibus vſus ſit Chriſtus, in multis accedente angelorum miniſterio ſuæ virtutis gloriam manifeſtarit: infinita denique per Apoſtolos ſuos, & ſanctos miracula ad inſtruendum mortale genus ediderit. Neq; vlla hîc nobis certa eſt cognoſcendi ratio, ſed ſuſpicandi modus per negationem quandam, (vt diximus) cùm non apparent aliæ cauſæ: & tamen effectus maximè ſint admirandi, vt etiam prodigiorum dignitatem ſæpe tranſcendãt. Vides itaq; quopacto tandem ab infimis illis naturæ partibus, paulatim

De characteriſmis Dei per ſe & proxumè ſupremi generis miracula producentis.

altius conscendendo in illud quod vel diuinum est maximè prouehamur: vbi tamen necesse sit intellectum locis, atque temporibus seu rerum sensibilium simulachris sit obtundi demum, vt imbecilles noctuarum oculi ad consp ectum solis.

Generalis regula in deprehendendis vestigiis ordinũ singulorum.

Discurre nunc per singula genera prodigiorum: siue in homine voles, seu orbe hoc hominem continente, siue humana republica: seu rursus in singulis monstrorũm, seu meteorum, phantasmatum, miraculorum, & omnium affectuum naturalium, aut supra naturam species persequaris: communem inuenies artem, ac iudicandi viam, quo principio pendeat vnumquodq3: an à corpore scilicet, an à spiritu, ab anima potius, aut angelo, intellectiue communiore. Tota enim inquisitionis norma consistit in ordine solo ipsius essentiæ, bonitatis, pulchritudinis, potestatis, veritatis, constãtiæ, sapientiæ. nam quanto hæc vel illa fonti suo sunt propiora, illius quoq3 germanos characterismos, seu notulas quasdam viuidius repræsentant. quanto enim diuiniora quælibet, tãto & efficacius fiunt, constantiore ordine & veritate: contrà, quæ vel materiem sapiunt magis, vel à maligno dæmone proficiscuntur. etsi suus sit rebus corporeis ordo peculiaris, suus etiam intelligentiis, formisq3 à corruptibilium genere segregatis. Prorsus eodem modo ac ratione in rebus publicis, ac priuatis, consiliorum præstantia, ac cœtuum in ecclesia veræ opiniones à falsis, legitimi partus à spuriis discernũtur. Sublimiora semper sunt opera spiritus, quàm ipsius carnis. carnem propius aut hypocrisim olẽt, quæ schismatici ad genuinæ aut priscæ religionis adulterium commiscuntur.

Axioma metaphysicum, & eius considerationis præcipuum fundamentum.

Notafructum ampliſſimum

Postrema quæstio de diuinorum portentis siue decretis, cuius artificium plenius suprà: exempla sequẽti capite continentur.

Nunc verò quod ad postremam attinet quæstionem, vbi de diuinorum significatione sit disserẽdum: omnis sublimior via in huius scalæ quam nunc tradidimus, solida dimensione consistit. Quãdoquidem ex ordine characteris, ac solida specie dignitatis agentem causam, vel effectricem proximè reperimus:

perimus: vnde & prima, vel generalis notio finis ipsius in animum subit: sub cuius ambitu decretorum species continẽtur. Altera tamen nobis ad sensum planior, sed intellectu inferior methodus est quam tradidimus prius, etsi considerationis præstantia longè posteriorem. Quòd si in vnum corpus vtramq; methodum compararis, futurum maximè vt quãuis veritatem ipsam non liceat omnino puram, & absq; velo nullam aut simplicem intueri; vestigiis tamen proximioribus, & supra philosophiæ peruulgatæ columnas vltimas assequaris. Tum verò prodigiorum singulas classes & species inferiores in hoc priore theatro, ac totius naturæ angusto ambitu ita circumages, vt quinque prædictos gradus ad vniuersam monstrorum, portẽtorum omniũ, affectionumq; genera, ceu partes vnius circuli ad segmenta alterius quadam successione traducas: vbique ad futurorũ præsagia, 4. superiores doctrinæ canones obseruentur. quibus & illa coniunges quæ Ptolomæus annumerat in astrorum iudiciis proferendis, quid nimirum, cui futurum, quando, & quomodo decernatur. cuiusmodi quæstionum genera fortasse commodius in ipsis exemplis particularibus eluceſcent, nos autem in cometarum altius examinanda præsagia differemus.

Artis totius compositio.

Quum igitur totius generis quædã sint purè naturalia, quæ vulgo tamen miracula nominantur; quædam naturæ genitabilis vim transcendunt; quædam denique ceu cælestiũ rerum effectus mediam characterismi speciem sortiantur: in his profectò quibus naturæ ratio subest, primi canonis instrumentum opportunissimè quadrat, sumptum videlicet ab illis generibus 10. subst. quantit. qualit. &c. Sequuntur enim hîc ferè euentus loci ac materiæ proprietatem, deinde & facultatum analogiam quæ corporibus sunt immersæ, postremò causarum coincidentium, quæ vel extrinsecus solent ingruere, vt in doctrina crisium, & paroxysmorum antè di-

Sui generibus rerum sua inuestigandi instrumenta magis domestica ex 4. antea memoratis.

1. In naturalibus.

2. *duximus. Sed quæ per similitudinis intellectum, allegoriam, atque metaphoram expiscamur: vberiorem locum, ac magis domesticum in metaphysicis habent. In illis mediis media via tutissima est, omniq; tum studio, tum instrumentorum, & canonum subsidio maximè laborandum est. Ita nimirum res mathematicæ iuxta Platonem diuinorum & naturaliũ confinio sint collocandæ: nec nisi doctrinarum omnium nexu indissolubili, certaq; coagmentatione discuntur.*

In metaphysicis. In paraphysicis ac mathematicis.

Progressio.

Conueniet arti per canones comprehensæ, vt & doctrinæ planioris, & fidei faciundæ gratia, per prodigiorum singulas classes, iam nunc exempla in formam commemorationis historicæ subnectamus: non quidem omnia, (quæ sunt innumera) sed vel paucissima, illustriora tantùm, atque oblectamento maiori legentium exquisita.

CAPVT OCTAVVM.

Quo totius artis cosmocriticæ praxis & ratio per exempla planius perque epilogismos historicos confirmatur.

INTER tot partes mundanæ fabricæ, quãta sit hominis dignitas atque potentia diuinitus data: quæ pulchritudo fuerit olim, vitæq; felicitas: eademq; quã nunc contaminata turpiter, exuta semel pectoris innocentia, in omnẽ deformitatis speciem prolabatur: quã deniq; pestilentiæ & scelerũ, & maledictionis contagio humana ambitio membratim hactenus in omnem posteritatẽ peruagata, illud efficiat vt veræ diuinitatis character ab animis nostris, ab omni viuẽdi consuetudine, imò & ab oculis ferè, atq; auribus obliteſcat: cum ea ex hactenus memoratis promptum est intelligere: neque operæ præcium puto rursus hoc loco ad instar rhetorum in multas velut ampullas turgẽte pagina declamare: etsi nusquam fortassis oportunius illud,

O miseri,

O miſeri, inq3 dies miſeri, huccine rerum venimus?

Humana infelicitas quotuplex ſit.

Sed eò ferebat animus, naturam pulcherrimam, terqúe quaterq3 beatam, poſtquã decidimus ſemel, non ſolũ ab harmonia priſtina plurimũ receſſiſſe: ſed & infeſta ſibi, & inimica, quæ pridem ad obſequium condita fuerant mundi cõtenta, continentia, per claſſes ſingulas inueniſſe: proximè quidẽ in elementis omnibus: ſecundo in cælis, atq3 ſyderibus: tertio in animalibus: ac poſtremo (quod grauiſſimum duco) intra ſtructuræ propriæ fines, in ſuimet animi & corporis ſymmetria. Quæ quidẽ diſſidiorũ genera numeroſiora ſunt, quã vt recenſeri poſſint; notiora quã vt debeant. Cùm igitur virus illud tabificum ab homine tanquam capite in membra vniuerſitatis cætera dimanarit: meritò ab ijſdẽ vicißim odij atq3 inimicitiæ ſemina, flagella, cruces, omnigenæ calamitatis machinæ iuxta Adraſtiæ legem ineuitabilem retorquentur.

Elementorũ vſus & prima creatio qualis.

Terra.

Terra quidem, ceu locus homini datus, vt iſtic militiæ ſuæ ſtipendia mereretur. In hac erant fœcundæ generationis ſemina, tanquam in promptuario longè ditiſſimo. Stabat enim vt baſis mundi, & centrum, quo excepti cælitus radij, tanquam è ſpeculi cauo ad animanda fortius ſingula, per orbis totius amplitudinem reſilirent. Addita eſt materies altera, elementum aëris: neſcio an dignitate poſterius; vſu profectò ad vitæ neceſſitatem non minus mortalibus expetitum: ex quo tanquam materie naſcũtur & ignis, & aqua: vt voluiſſe videtur Hipp. lib. De flatubus. cũ enim ſit tellus cæleſti calido fœta, nec non frigiditatis propriam vim per opacitatis indolem conſecuta: certè ob condenſationes aëris terram ſubeuntes, velut vterum quempiam, ab inhabitante frigido primò aqueum naſcitur elementum: per rarefactionem verò à calore cæleſti, ignis hic materialis, atque viſibilis. quæ duo poſteriora, quamuis non planè ſimplicia,

Aër.

Aqua.

Ignis.

Hipp. Paradoxon de elementis.

ſed ante ingreſſum variè temperata, ſufficere dixit Hipp. *libro De diæta primo, ad generationem rerum augmẽta, decrementa, interitus, quòd calore inſito, & humido primogeneo, tanquam agente principio & materie, proxima omnium animantium integritas, & vita conſiſtat. Huc alludit Ouidius, Quippe vbi temperiem ſumpſere humorq́ calorq́, Cõcipiunt & ab his oriũtur cũcta duobus: Cumq́ ſit ignis aquæ pugnax, vapor humidus omnes Res creat, & diſcors concordia fœtibus apta.*

Bono malum confitum.

Sed vti prouerbio perualgatum eſt, vbi mel, ibi fel; vbi vber, ibi tuber: vt ſua è ſingulis commoda, ac neceſſaria res faceſcunt in ſeminis corpus, inque perfecti iam hominis vſus & alimentum: ita & ad internecionem quoque, ab ijſdem fontibus tum aperta molimina, tum occulta nos miris quandoque cuniculis adoriuntur. eademq́ quæ vitam dederant prius, temporis orbe iam reuoluto, velùt indicto bello, quod conſtruxerant, rurſus elidunt atq́ exterminant.

2 Præcipua diluuiorum genera in homine microcoſmo.

In homine duo potiſſimum ſunt cataclyſmi ſiue diluuij genera, quæ Catholica liceat appellare, ignis & aquæ videlicet. Huic conueniet non malè leucophlegmatiæ, vel hydropis nomen; (vt alibi quoque meminimus) illi febris latè graſſantis ferociam comparamus. Aquæ exceſſus calorem obruit, atque demergit: ignis diſſipat, exhauriendoq́ ſubſtantiam ſpiritus ad interitum rapit. Potens vtriusq́ generis elementum, ſed in hoc plus qualitatis efficit energia, in illo potius moles & magnitudo.

1. Aquæ.

2. Ignis.

Exceſſus particulares elementorum. Terræ. Aquæ.

Sunt tamen ex humoris alterius vitio, vel elementi, occaſiones interitus multiformes, quæ vel vniuerſum populantur: vt ex terreo & melancholico ſucco, lepra, & impetigo: ex ſanguine ſcabies: nec non ex aliis alia ſimili modo: ſed nõ ex illis diluuij ſpecies memorabilis naſci poteſt, cùm ferè prius quàm inundent, ſpeciem mutent, vel etiam non facilè in vni-

in vniuersum habitum propagentur: quin aut prius opprimant principem partem, aut in peregrinam substantiam, sibiq; dissimilem transmutentur.

Vnde neque ab aëris excessu, neque à terrarum incursu propria mundani diluuij genera recensemus, sed ab efficacibus illis, proximisq; principijs conformationis nostræ. Cõstat enim, vt mundus pereat vniuersus, ignis potissimùm, & aquæ nominibus periclitari, quod sacris etiam literis consentaneum est. Quapropter Deus in fœderis signum quod cum Noa pepigit, anno ab orbe condito 1656. arcum in nubibus pinxit: quo nullum sit certius argumentum ratæ concordiæ inter ignem & aquam. Fit enim à calore potissimum albus seu luci proximus color, si ad metam actionis suæ perueniat; contrà à frigido multo, minusq; elaborata materie opacus aut penitus ater. Extremorum medij sunt viridis, & luteus atq; purpureus, qui certa mixtiones caloris & frigoris, seu ignis & aquæ inter se temperatis particulis efflorescunt. Hinc enim & pictores vt colorem viridem præstent, cum cæruleo flauum iusta proportione componunt.

Comparatur excessus elementorum inter se.

Iridis signum.

Colorum ratio.

Sunt hæc igitur iræ diuinæ præcipua quædam instrumenta: quòd se vi summa atque præcipiti effundãt latius: quodque vniuersum popularentur, cuiusmodi alterum nunc præterijt, expectatur alterum ante supremum illum horrendi iudicij diem: quo cælum nouum, nouamq; terram instaurabit suis electis Deus: contrà degeneres animas in chaos æternũ, inq; ima tartara deuolutas flammæ vindici, atque indefessis tortoribus alligabit.

Ignis & aquæ diluuia vniuersalia in vniuerso.

Præter hos tamen cataclysmos vniuersales restant alij, sed minoris famæ, suisq; temporibus tantum, ac principiis certis, ad certa terrarum spacia procurrentes. Ex aëre quidẽ lues horrendæ, morbiq; præcipites, omnem ingenij vim artisq; industriam respuentes: vt in mentagra, morbo Gallico,

Terræ & aeris, aquæ & ignis diluuia particul. in vniuerso.

sudore Britannico, atque innumeris aliis, cùm primùm exorirentur, historiæ prodiderunt. Memorantur & epidimici pestilentes, quæ velut certo annorum expleto curriculo, tertiam partem mortalium è medio sustulerunt, vt ex monumẽtis Hipp. atque Thucydidis est manifestum. Similiter ex terris chasmata siue voragines quîs multæ ciuitates absorptæ, insulæ multæ, syluæ, flumina, libros annalium compleuerunt. Ignis peculiare diluuium expertæ sunt Zodoma, & Gomorrha: testis est lacus Asphalthites in Palæstina. et hæc quidem forsan vt sit totius mundi conflagraturi, siue extremæ internecionis adumbratio. Habes incendium quoque in Græcia sub rege Phaëthonte, cui proinde & locus in fabulis relictus est. Arsit Italia tribus locis, per dies plurimos, circa Istros, Cymæos, & Vesuuios, auct. Beroso, anno à mũdo cõdito 2107. Eodem penè tempore ingens illa aquarũ eruptio, quæ maiorem Thessaliæ partem absumpsit Deucalione relicto: qui Parnassum antè conscenderat, ratibusq; aduectos plurimos secum ab interitu vindicauit, anno orbis conditi 2439. Adde his diluuium Ogygis in Attica terra, anno mundi 2211. Diluuium Pharaonicũ, ab insula Pharo tum detecta in Aegypto, anno 2778.

Morbi epidimici & pestilentes.

Exempla varia.

Fames. *Elementorum prædominia, vel insignis alicuius inter primas qualitates excessus, aut vitia promiscuè sequitur aliud flagelli genus quo mortalium plurimi perierunt, fames scilicet, ac memoranda sterilitas: vt illa temporibus Heliæ prophetæ, valuis cæli propter tyrannidem, et contumaciã regum sic astrictis, vt ad instar affectus qui tunc pectoribus insidebat, cælestia pariter ac terrena per annos integros tres speciẽ tum ferream, tum adamantinã retinerent. Meminit & suæ ætatis ingentem fuisse penuriam Guilhelmus Paradinus, vt ex radice filicis herbæ panẽ molere sint coacti, quẽ vero vocabulo panem furoris diuini, humanique doloris appellat.*

Immit-

*Immittit interdum Deus per elementorum dyscrasias, ac propter insolentiam animorum, astris quandoq; consp*iran*tibus, quandoque non aduocatis, infausta animalium gene*ra*, lupos, tygrides, locustas, &c. quorum exempla paulò pòst latius exequemur.*

Animalium incursus.

Neque verò iam cuncta dirarum tela, aut machinas enumerauimus: supersunt alia, proximè quidem ab ipsis hominibus oriunda, vt simultates, inimicitiæ, bellorum turbines, quorum parens est iniustitia, dum quisq; meum illud ac tuum ita tuetur, vt suæ cupiditati nullum constituat modũ: imo dum cuique quod suum est, reddere pollicentur, eripiunt meum ac tuum, communia faciunt cuncta, & bonis perpetuò inhiant alienis. Sequuntur hæc è vestigio multorum hominum strages, quibus velut scopis, aut ventis acribus, aut validè purgantibus medicamentis, lustratur tellus, ab inutilibus herbis, vt lolio, carduis, tribulis, & id genus molesta vitiorum segete repurgata. Sequitur vt plurimum fames & pestilentia cathenatim, ac postremo profligatis artibus bonis, multa barbaries, ignorantia, imo et mera simplicitas, conuersionis melioris auspicium, qualem aui nostri, ac proaui (si hodierna conferas) post diras eluuies multorum milliũ, antè viderunt. Verùm bellis eiusmodi & cæteris appendicibus quatuor sunt ferè causarum genera vniuersim vel in religionis contemptum, vel regum tyrãnidem, vel rebellionem subditorum, vel priuatæ charitatis omnium inter se frigus quoddam inexpugnabile referenda. Grauissimum est, quod ex contempta & deprauata religione defluxit: nam & plaga subitò venit, atq; affligit grauiter, tum verò & diutissimè perseuerat, cùm sit in illa vinculum pacis, ac bonæ fortunæ cum vniuersis reip. membris: nec vllum vspiam nocendi efficacius telum quàm in falsis prophetis, iniustitiæ consultoribus, hoc est in hominibus ipsis, inuenerit dæmon, succen-

Bella & seditiones.

Cathena flagelli diuini.

Bellorum 4. præcipuę causæ.

Pseudoprophetæ.

ſuccenturiatis in vnum finem faſtu, libidine, auaritia, crudelitate, quas velut præcedentes & procatarcticas cauſas alibi recenſuimus: nec longè recedit ab his Mercurius in Aſclepio vaticinatus optimè in multis de patria ſua, præcipuè tamen eo libro cui λόγος τελείος nomen inſcriptum eſt, πῆ μὲν ὕδατι πολλῷ κατακλύσας, πῆ δὲ πυρὶ ὀξυτάτῳ διακαύσας, ἐνίοτε δὲ πλείοις ἢ λοιμοῖς ἐκπιέσας ἤμαγεν ἐπὶ τὸ ἀρχαῖον, καὶ ἀπεκαθέσπισε τὸν ἑαυτοῦ κόσμον.

Epilogiſmus omnium flagellorum Dei atque afflictionis humanæ.

Sunt igitur diluuiorum plurimæ ſpecies iam relatæ, quarum duas duntaxat effundi diximus vniuerſim: & ſiquis in ſummam redigat, quæ per partes euagantur, tot ſunt genera quibus ſe vindicat Deus, quot communia noſtræ conſtitutionis principia, & rerum ſpecies quibus cum conuerſamur. Patimur enim à noſtri generis hominibus: patimur ab animalibus brutis, inſectis: ac poſtremò tum vitio & putrilagine, tum exceſſibus elementorum. Vtq; particulatius iterum ac velut numero dicam, Primus velut fons aliorum eſt
genus 1. *in animis noſtris: ſecundum genus ab igne proficiſcitur: ter-*
2. *tium ab aqua: quartum à terreis locis: duo inſuper ex dyſ-*
3. *craſia plurium, vt fames, peſtilentia: quò ſpectant incurſus*
4. *animalium noxiorum, & ex inſectis in hominem halitus*
5. *virulenti ſparſa contagio: quæ ne gratis videar verborũ lon-*
6. *go (vt videbitur) circuitu præmiſiſſe, dicemus porrò nunc*
7. *κατὰ γένη, quæ ſic aliquando contigerint, vt poſterorum animos feriant exemplis viuis, agentibus, acribus, inſignitis.*

Particularis diductio prodigiorum ſecundum genera.

Regnorum viciſſitudines, mutationesq; extemplo ſecuturas oſtendit antiquitus Deus, non tantùm per ſomnia ipſis regibus ac prophetis, ſed etiam per ſpectra quædam, & ſub vigiliæ tẽpus incidẽtia ſimulachra; ceu regi Balthazari, Danieli, Eſdræ, ac D. Iohanni in inſula Pathmo. Hodie
I. *tamen, quòd nobis oculi magis ſint carnei, monſtris id craſ-*

De monſtris inſignioribus. *ſioribus agit ſæpius, ac, vt ſic loquar, dæmonibus incarnatis.*

Nam

Nam vt fileam Ptolemæum Euergeten Aegypti ſeptimum regem, qui ex deformitatis incredibili nota Phyſcon eſt appellatus, cuiusq; mores, & gubernatio cum monſtroſa corporis ſpecie quamoptimè correſpondit. Vide horrendam pueri formam à Munſtero in Coſmographicis pictam: ac præ aliis ferè digniſſimã quæ perpetua poſteritate donetur. Puer forma cacodæmonis.

Natum id genus monſtri in terra Belgica (non deſunt qui Cracouiæ ſcribant) feſto conuerſionis Pauli (quod fortè etiã non caret myſterio) anno 1543. honeſtis parentibus, progenie nobili, flammeis oculis ac radiantibus, toto ore, naribus, auribus cacodæmonẽ præ ſe ferens. Erat huic proboſcis



elephantina, manus ac pedes anſerini: oculi ſelium ſubter vmbilicum: aſſixa canina capita vlnæ vtriq;, & patellis crurum: ſimiarum facies in pectoribus prominentes: cauda

ſcorpij

...longo sub tam resti...ra, lõgitudine vnæ dimidiæ, latitudine quarum horis superuixit : tandemq; bis e-...tus vocem dimidio expirans dixit, Vigilate, Domi-...Quòd si per criticos numeros ...Belgico tractu, totamq; con-...ni, facilè senties nihil in eo fiſ-...se quod Deum aliquam prouidentiam non sub enigmate no-bis exprimat. Nam primùm sub Carolo Burgundo, qui eodem anno Brabantiam po-pulabundus, ceu lupus (quod aiunt) ac tonsoribus notum put o.

Rom̃æ Belgicæ prima præfiguratio.

Adiunctæ ciuſdem aliud περὶ δεινῶν ante bellum Germanicum anno 1546. natum infantem referũt in quo-dam Fran...pago, cui, postquam maternis latebris exijſſet, insigni cuſpide culter è ventre prominuit, qui paulatim quoque facta suppuratione exemptus, magni fuit prodigij loco; fuitq; hoc omnium ferè iudicium, hinc inter se mutuas ciuium cædes, intestinaq; bella apertiſſimè designari.

Belli ciuilis præſagium.

In Rhaſtadio oppido, in Alpibus Noricis, infans cornutus natus eſt, vagitus in vtero exaudiri 14. dies antequam na-ſceretur. Secuta bella ciuilia, & innumeræ cædes.

Gemmorum portenta.

Sic ſæpe & gemini quibus cor vnicum diuerſis capitibus ſunt inuenta, ciuitatum in regno, vel familiarum inſignium in ciuitate diuortia portenderunt. Sic ſæpe Rom. hiſto-riæ porcos humano vultu natos referunt, fœdæ ac plusquam beluinæ libidinis in hominibus argumento.

Imperij portenta.

Sub aduis principis veſtibulo inuentum caput humanum, ex quo Romam caput orbis futurum augures prædixerunt, Liuio teſte.

Equus humanis manibus olim Iulio Cæſari natus, cùm præeſſet Luſitaniæ, ferox, elatus, neminem inſeſſorem ferẽs, in ſpem imperij vehementer arrexit.

Excram-

Execrandum illud prodigij genus, ac funestum populo Christiano, puer biceps, quadrupes, Byſantij natus anno Domini 596. Subſequenti anno natus in Arabia Mahumetus, homo verſipellis, duplex magicarum artium non imperitus, cuius præcurſor Arrius fuit. Schiſmatõ dira prodigia.

Nono anno ante Arrij peſtilens dogma, poſt Chriſtum natũ 308. infans prodiit gemino ore, quatuor oculis, dentibus binis, & barba promiſſiore terribilis. Præceſſerunt & cometæ, & terræmotus, aliaq; innumera, quæ diſertè Lycoſthenes & Fritſchius annotarunt.

In Saxonia quo tempore Lutherani ſchiſmatis ſemina ſerebantur, natum monſtri genus mirabile, bouinis pedibus, quatuor ocũlis, ore naſóque vitulum repræſentans: cui & ab occipite monachalis cucullæ inſtar ingens maſſa carnea dependebat. vertex tonſuræ ſacerdotalis inſigne: crura & brachia multis fiſſuris lacera, militarem habitum referebant. annotat Iacobus Ruffius chirurgus Tigurinus, libro De partu.

Quid quòd in ſacris Rebecca vterum gerens, ex luctæ præſenſit antipathiam Eſau & Iacob? ſecuta eſt vitæ ratio inter vtrumque è diametro pugnans: præfigurata ſunt omnia, quæ quaſi fatali filo ac perpetuo comitantur ſchiſmata in Eccleſia, quæ non ſert aliàs Deus quàm vt probentur, exerceantur electi; vtqúe in tempeſtatis magnitudine rectoris vis, & gloria; veræ Eccleſiæ Catholicæ fortitudo, & potentia contra tot inimicos vndique, mortalibus eluceſcat. Verè illud nunc competit, Quàm dilecta tua tabernacula Domine, &c. atque omne adeò quod vates diuinus cecinit Pſalmo 125. Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion immobilis manens, &c. Nũc ad illa progrediamur quæ non ſolũ à præ-grandi animaliũ genere, ſed & inſectis & vermibus quotidie portendũtur, certè admirãda ex leuibus ſpectacula rebus. 2. Commemoratio diuinorũ ſpectaculorũ: in bruris atque inſectis minoribus.

Huc

Huc ſpectant illa Maronis libro Aeneid. 7. quæ de lauro cecinit, ante aduentum Troiani exercitus in Italiam.

Prodigium Aeneæ.

Huius apes ſummum denſa (mirabile dictu)
Stridore ingenti liquidum trans æthera vectæ
Obſedere apicem: & pedibus per mutua nexis
Examen ſubitum ramo frondente pependit.
Continuò vates, Externum cernimus (inquit)
Aduentare virum, &c.

Crœſo datum prodigium.

Crœſo Lydorum rege apud proceres diſſerente, omnia ſuburbia paſſim colubris ſunt impleta, quos equi conferentes ſeſe ad paſcua comedebant. Conſultis Thelmiſſis, reſponſum eſt, externas copias Crœſo imminere, qui ſubactis indigenis imperarent. quòd colubrum terræ filium, equum verò vt hoſtem, & aduenam æſtimarent. Annotat Herodotus libro 1.

Phœnix.

Phœnicem apparuiſſe ferunt paulo ante Tyberij mortẽ: huius ea fuit inter Romanos imperatores eximia virtus atque præſtantia, vt deinceps orandi conſuetudine perulgatum ſit, optari à populo Imperatorem qui pietate Troiani, felicitate Auguſti laudibus non inferior eſſet.

Bellorum portenta dracones.

Viſæ ſunt ſæpius & draconum mirabiles turmæ per aëra volantes, viſi & coruorum cunei, columbis aut falconibus in cruentam cædem atroci prælio commiſceri.

Graculi.

Graculi & picæ anno 1484. (vt narrat Frytſchius) ad aliquot hinc inde miliarium ſpatia cõfligentes, belli oſtẽtum præbuerunt.

Locuſtarum ſpecies admirabilis atque natura.

Locuſtarum exercitus, quòd ſæpe irruptiones externorum militum præſignificent, ipſius animalculi forma, & qualitas ſatis affirmat, cuius anatomẽ Wichelius eleganter expreſſit. Accedit euentus rerum, qui rationem ancipitem vbique confirmat. Plinius annonæ caritatem ex his prædicere non veretur: quòd ferè poſt ſquallores diuturnos, è ſicca putre-

putredine (vt Hipp. vocat) atque ex vna terrarum aridita-te progerminent: quodq; virulenti cuiusdam morsus contagio plantas, & sata inficiant, vt mox vredine contabescant. Quare & aliud consequi necessarium est, partim ab inspiratu dum viuunt, partim à resolutione dum pereunt, hæc insecta, vitiatis paulò pòst alimentis ac potubus, ipsius etiam spiritus corruptelam tum in hominem, tum in animalia cætera propagari.

Ita sub finem Septembris 1542. Locustarum innumera turba magnam Europæ partem instar nubis densissimæ peruagata est. Carebant alis per initia, mox duas, & deinceps quatuor assumebant, mox, agro depasto in alium transuolantes depopulabantur passim humi nascentia, odore grauissimo post se relicto: tandem & autumnali frigore tabescentes, in pernicioſum alimentum pecori sacessebant.

Anno Christi 593. post siccitatem maximam, locustæ similiter omnia deuastantes, famem terrarum orbi non minimam pepererunt. Multam quoq; calamitatem frugibus anno 1353. Russiam infecerũt anno 1084. quo tempore Boleslaus Rex Poloniæ in Hungariam exulãs, factus est amẽs, atque à suismet canibus deuoratus. Magnis item agminibus per Syriam & Mesopotamiam volitarũt anno Christi 677.

In locustarum copia quid diuinum exiſtere.

Quanquam verò natũralis eorum sit generatio teste Arist. lib. De animalium historia cap. 19. ac Plinio lib. 11. Nat. hist. cap. 29. quantitas tamẽ, vt vides, non sine numine, ireq; diuine suspicione, portenti speciem acquisiuit. vt certius constat ex iis quæ Pharaoni, atque Aegyptiis diuinitus mittebãtur, accinente viuo testimonio vatis Psal. 77. Dedit æruginiſructus eorum, & labores eorum locustæ. Alibi quoque Psal. 105. Dixit, & venit locusta, & bruchus cuius non erat numerus. Nec secus visum est ethnicis philosophis, vt patet ex Plinio eodem loco Nat. historiæ.

Papiliones & vermes insoliti.

Papilionum castra, ignei vermiculi incerta specie per aërem vecti, ceu densæ nubis obiectu, solis etiam lumen humanis oculis auferebant anno Christi 1104. Sed & tunc alia infanda prodigia cælo, terrisq; spectata, quantus bellorum turbo mortalibus immineret, certissimò demonstrauit. Videlatius Lanb. Frytschium.

Mures, vesperiliones.

Magis mirandum de vespertilionum, & murium copia subitò ingruẽte. Singulis animalibus sua quædã est propria, sed quæ nec mẽte tractari potest, nec circumscribi oratione, materies. vt plurimum verò ab aëris quadam morbida excretione suppullulant, non secus quàm in corporibus nostris, intraq; maiorum animaliũ fines. Sed feramur altius: iratus extremè Deus non ludit semper allegoriis, neque prænuncia similitudine sceleratorum hominum conscientiam ferit: sed sæpe pro meriti specie speciem plagæ non cunctanter immittit, percutiens prius quàm teli sonitus indicarit. Satis hoc duobus exemplis inter Munsteri monumenta comuincitur: primum in viro patricio, alterum in Episcopo Moguntino. quos quidem quantumuis omni vi obsisterent; mures tamen per aquam, per ignem, per gladios agminatim irrumpentes, viuos, in terrorem, atque indicium impietatis grauissimum, deuorarunt.

A muribus deuorati.

Ab aliis animalibus deuorati.

Ita & ab anguibus, & vrsis, & lupis, monstrisq; maritimis, feruntur multa hominũ millia periisse. ceu illud quod de vate Helyseo in sacris proditum est, de Iudæis contumacibus in deserto. Imò & à vilissimo vermiũ genere consumpti protinus tum superbi philosophi, & impostores, tum reges δημοβόροι καὶ δωροφάγοι, (vt apto epitheto Hesiodus nominat) exemplum posteris reliquerunt. celebres sunt ex historia sacra Herodes, Antiochus: ex prophanis Sylla, Plato, Lucianus, quem vt ἄθεον & caninum diuinitatis calumniatorem impudentissimum, canes non immeritò laniarunt:

3. Commem. in monstroso genere mortis à cautis internis.

Neoterici

Neoterici fasti tyrannum Honorichum tradunt eroſum à vermibus, viui cadaueris forma languentem diu, dediſſe crudelitatis ſuæ, & perſecutionis meritas pœnas, anno Domini 486.

Huc refer & Arrij fatum admirabile, quem ſcribunt accinctum itineri, vt cum catholicis in diſputationis harenam ſeſe committeret, ſuperueniente ſubito ventris fluxu, ſimul & inteſtina, & viſcera vacuaſſe. Arrij hæretici mors.

Eôdem ſpectant & formæ peregrinæ in quas homines aliquando ſunt conuerſi, non quidem vt fœminæ in mares; (quod à Plinio, aliisq; ſpectatum ſæpius, propter naturalis cauſæ ignorantiam, inter portenta reponitur) verùm diuiniore modo & inexplicabili; dum aliàs in belluinam ſpeciem conuertuntur, vt Nabuchodonoſor; cuius tamen affectum plærique ad melancholiæ genus, ſeu lycanthropiam, notam ſatis veteribus, retulerunt: aliàs etiam in anima carentẽ molem, ceu ſalis ſtatuam permutantur: quod in vxore Loth abundè teſtatum eſt. Quorum adeò affectuum, transfigurationum, atque morborum ſpecies, quòd & fœdæ ſint hominẽ ad Dei imaginem fabricato, quodq; pro ſcelerum formæ maiori ex parte reſpondeant, meritò ſanè in diuinorum catalogo hactenus decantantur: iuxta illud, Homo cùm in honore eſſet, non intellexit: factus eſt ſimilis iumentis & inſipientibus. Metamorphoſes humanæ naturæ.

Quid autem tantoperè animalia conſectamur? Irã Dei & plantæ, & res inanimes, metalla ſæpe, & ſaxa loquuntur. Bruta quidem aliquando humana voce profari, ac futura prædicere certum eſt: imprimis exemplo aſini Balaam. Plinius locutum gallum gallinaceum dicit anno vrbis conditæ 676. Euſebius bouem in ſuburbiis Romæ, paulo ante Iulij mortem, fruſtrà ſe vrgeri dicentem, quòd non frumenta, ſed homines eſſent propediem defuturi, anno vrbis 710. Sed 4. Commem. de vocibus & characteriſmis prodigioſis tum in animalibus tũ plantis & rebus inanimatis.

illud atrocius quòd inscripti arboribus characteres, quòd cruces in vestibus exaratæ, sudores imaginum, concussiones sepulchrorum, voces syluarum, lapidum; & tanquam exluco, vel æthere ferientes, quarum exempla vbiq; sunt obuia.

Cruces in vestimentis. Mortuorum strepitus.

Cruces in vestimenta fluxerunt, annis à Christo nato 747. 783. 959. 1507. 1503.

Romæ in tẽplo Lateranensi, ferè priusquã decedant è vitæ pontifices, mortuorũ collisis ossibus, sepulchra insuper exudãtia, futuræ metamorphosis testimoniũ præbent: vt de Syluestro secũdo peculiariter annotãt. quẽ ferũt prius subsidio artis magicæ, aut dæmonũ opera ad dignitatis fastigiũ peuenisse.

Quanta commemoratio in meteoris terreis & aqueis.

Sed sileant hæc miracula, quãdo ad meteora peruenimus, vbi de terræ motibus raris prius est differendum. Constat ex nuper traditis, manifesto horum indicio designari rerum quoque publicarum maximos motus: præcipuè verò seditiones populi: quanquam & mutationes legum magna ex parte subsequantur. Aquarum verò eruptio potius ad vulgus ignobile spectet: Elementi igneiprædominium ad reges, ciuitatumq; præfectos, si quis naturam exactius perscrutetur. Ignis enim agendi efficacia potius: aqua multitudine, & impetu: vt dictum est suprà. cui accedit scriptura sacra, aquæ multæ populi multi. Leges verò & consilia solidum quiddã repræsentant: vtq; concussa terra tum ciuitates, tum aggeres subuertuntur; ita fractis repagulis iustitiæ ac pietatis, erumpit æstu horrendo nunc ignis omnia dissipans, atque cõsumens; nunc aquarum gurges ineuitabilis, qui nullis obiicibus, nulla vel arte deinceps vel violentia coërcetur, quin pariter omnia permistis inter se arenis, saxis, cinere, fumo, igne & aqua, in chaos teterrimum prolabantur.

Quæ elemẽta mũdi quibus reipublicæ membris respondeant.

Terræmotus insigniores.

Nicenum concilium cùm ab Arrianis contra professionem Catholicam iniretur, superueniente mox terræmotu maximo dissipatum est anno Christi 362.

Magni

Magnè nominis terræmotus, anno 395. temporibus Theodosij imperatoris, durauit 6. menses integros per orbẽ propemodum vniuersum: quæ & quanta mutatio rerum institerit, ex Lycosthene & vetustorum annalibus disces.

Non minoris admirationis alter qui Antiochiæ contigit anno Christi 114. cùm Iudæi Messiam aduentare persuasi, seditionem atrocissimam excitarunt, quæ per Græciam, Libyam, aliasq; regiones vsq; ad 200000. sunt interfecti.

Alius à Iosepho describitur anno mundi 3935. vrbis conditæ 723. quo in Iudæa 30000. hominum periere.

12. vrbes Asiæ terræmotu ceciderunt anno Christi 19. rursus 13. anno à Christi nat. 21. Plurimæ similiter ciuitates in Oriente anno Christi 343. quo tempore Arriani hæretici, Athanasium cum cæteris Catholicis sunt persecuti.

In Achaia & Macedonia, ab apparitione cometæ, vrbes plerasq; terræmotibus esse collapsas Seneca annotauit.

Dirum & illud genus anni ab orbe condito 3527. ab vrbe condita 315. cuius memorabilem inter cæteros terræmotum tanta secuta est fames, vt plures coacti inopia sese in Tyberim præcipitarint.

Cum terræmotu per orbem vniuersum excurrente mare littus egreditur, vrbesq; Ciciliæ multas, & populum opprimit innumerabilem anno Christi 369.

Concussa est grauissimè ciuitas Antiochiæ anno 527. natiuit. Dominicæ, certa numinis vindicta, ob blasphemiam, & rebellionem populi contumacis in suos Episcopos atq; rectores: nec procul abfuit exemplo antiquæ historiæ Choræ, Dathan, & Abyron. Secutus alter æquè horrendus anno 529. nec prius cessauit quàm per pœnitentiam publicè effusis lachrymis, precibusq; misericors Dominus placaretur. Hîc enim vel maximè locum habebat illud: Vocem suã dedit Dominus, & contremuit terra.

Quo minus miror Iudæorum fracta molimina tempore Iuliani: cùm templum Hierosolymitanum bis térue in contumeliam Christianæ religionis instaurare conati succussa protinus terra, & horrendum intonante disiecti fuerint: totiesq; deinceps à flamma, fumo, & puluere pessundatis machinis, multisq; suorum milibus deuoratis, pauci superstites, tandem cum probro turpissimo imperfecta omnia reliquerunt. Plura, & disertè de his in Nicephoro leges.

Terræmotus ratio, & cur secum ferè hiatus & inũdationes aliaque innumera trahat.

Diros terrarum fremitus atque voragines, sæpe & aquarum & ignis diluuia comitantur, vt ex præcedentibus notum est. fit q; hoc interim naturalis consequẽtiæ filo. quid enim non potest immensa suliginis, at q; vaporum vis in illis terrarum venis siue angustiis aceruata? nam vt in cælo vaporum, exhalationum q; complexu tonitrua producuntur; sic in visceribus terreis aquoso inuolucro fermentatus spiritus igneus æstuat supra modum, donec erumpens alibi cuncta profundat foras, alibi rursus velut in stomachum subitò correpta deglutiat. Hinc adeò ijsdem naturæ legibus secum & morbos adferunt pestilentes, annonæ caritatem, aëris diuersa incendia: vnde fortassis amplius & pectoribus inflammatis, homines bruti ad inhumanitatis studia, contentiones, furta, bella ac latrocinia stimulentur.

Diluuij generа memoranda.

Diluuium celebre est, quale vix vnquam à Noë temporibus visum, in finibus Ligurum ac Venetorum, anno Christi 690. Kal. Nou. vnde mox subsecuta pestis quam inguinariam vocitabant, creditur vix hominum tertia pars in viuis relicta.

Anno 1446. mare circa Dordracum insolescens supra modum, facta irruptione, nescio quos pagos, oppida, pecora, terrarum q; tractus absumpserit: hominum certè occubuisse circiter 100000. in chronicis annotatum est.

Iungatur illi, quod per Frisiam, Hollandiam, Flãdriam

miserabilis

miserabili strage contigit, ruptis aggeribus Oceano in continentem effuso, anno 1135.

Videas profectò circa ingentes rerum cardines omnia ferè prodigiorum eiusmodi genera conspirare: velut ante ruinam Pharaonis, atque vt graphicè noster diuinus poëta cecinit de his quæ cædem execrandam Iulij præcesserunt, Concursus varij portentorum circa præcipuos cardines rerum.

Tempore quanquam illo tellus quoq; & æquora ponti,
Obscæníq; canes, importunæq; volucres
Signa dabant.

Quibus addidit & ignis ostenta, cuiusmodi sæpe nunc ab Aetna monte, nunc à Vesuuio facta, cum legentium horrore historici descripserunt. Aetnæ incendia atque Vesuuij.

Quoties Cyclopum efferuere in agros
Vidimus vndantem ruptis fornacibus Aetnam,
Flammarumq; globos, liquefactáq; voluere saxa?

Ac paulò pòst.

(Infandum) sistunt amnes, terræq; dehiscunt,
Proluit insano contorquens vertice syluas
Fluuiorum rex Eridanus, camposq; per omnes
Cum stabulis armenta trahit, &c.

Verùm ea descriptione quid potuit elegantius dari, quodq; naturam rei viuidius exararet?

Proximi sunt ventorum rapidi cursus & prælia, quorum enormes vires apertis tibiis sæpe sacra historia celebrauit. Ventorum tempestates celebriores. *Ventus horribilis anno Domini 1517. 26. Iunij turres multas & ædificia passim strauit, syluas euertit & ciuitates; mare disiectis littoribus in campos effudit; multa domorum, & stabulorum millia à fundamento diruta memorantur.*

Similiter anno 1530. 6. Nouembris, tantis procellis in Zelandiam, & Hollandiam Aeolus cum Neptuno sæuiit, vt telluris obrutæ clades & pecorum & hominũ interitus non satis pro rei magnitudine scribi possint.

Iungatur istis ob effectus similitudinem & annus 1254. præcedente cometa per aliquot menses.

Nenemia.

Ventus planè nullus toto anno per totam Germaniam anno 1382. secuta vbertas annonæ tantæ admirationis, vt nihil suprà. voluit tamen noster Hipp. eiusmodi invehias pestilentibus morbis esse obnoxias, si diutius perseuerẽt. Multis enim flatibus agitatus aër, ab excretione morbida repurgatur, nec putrescit facilè, præsertim si per dies continuos Etesiæ spirẽt, qui nobis familiariter solent, propemodum aut circa trepes, aut æquinoctia, vemo post grandinosum cælũ, & turbidum statum, conuertente sese ad boream, aut Hellespontum. Hæc etiã nobis obseruatione assidua confirmãtur.

Ventorum vtilitas.

Etesiæ.

Locorũ prodigiosa mutatio in elementis.

Quanquam quid hæc tantopere noua aut insolita prosequamur? Illud rarioris portenti speciem offert, elementorum partes in loca transferri non sua, vel speciem induere peregrinam: quibus ferè tum animorum in republica status, tum mutationis ventura momenta conueniunt.

Mutationes qualitatis atque substantiæ.

Mare & lacus in sanguinem versos, ex Moysis historiæ constat: aquã vino commutatam habes, ex testamento nouo IESV CHRISTI, *quẽ sanè melioris mutationis omen, atque olim in terra Aegyptia contigit, hoc signo innuere voluisse credibile est.*

Montes translati

Mons aliò migrauit, 5000. hominum obruẽs, anno 1233. quo tempore & eclipsis prodigiosa solis, lunari corpore versus occasum in 6. angulos prorogato. Secuta bella ciuilia, cædes innumeræ: vt Auentinus refert.

Insulæ nouæ.

Nouas insulas nasci, terrarum cespites longius transportari, rarum & insolens, sed naturæ legibus consentaneũ: insinuari tamen hoc argumento sæpius plærasq; conuersiones in melius, & fortunæ publicæ incrementa, probabile est.

Aquas ardere

Aquas ardere, maria conflagrare, vt annis Christi 288. 991. non adeò in historiis frequẽs: atq; vbi cõtigerit, quantũ à naturæ

à naturæ vultubus alienum est, tantũ quoq; et in republica insolitæ turbationis ostendit. Ita & montes cõcurrere, fontes in lactis, aut sanguinis speciẽ verti, aliaq; innumera, cuiusmodi nostrũ hoc enchiridion minimè capit. Hanc rerũ consonantiam animaduertens Maro præclarè sic cecinit Aen. 4.

Vidit, thuricremis cùm dona imponeret aris
(Infandum dictu) latices nigrescere sacros,
Fusaq; in obscœnum se vertere vina liquorem.

Arbores aut plantæ aridæ reflorentes.

Meritò & illud perpetua memoria complectendũ, ingentes arbores vbi semel aruerant, rediuiuas iterum folia, flores, fructusq; tulisse, vt non solùm in virga Aarõ, sed & vlmo amplissima propter lucum Iunonium sita, anno ab vrbe condita 653. sub C. Mario, cuius auspiciis, partisq; victoriis res Romanæ resplendescentes denuò viguerunt.

Frumẽtorum prodigia.

Frumenta in arboribus nata Plinius narrat, anno vrbis conditæ 553. qui erat à mundi exordio 3765.

Aretij mulieri è naso spicæ farris enatæ, quæ paulò pòst eiusdem grani non paruã copiam vomitu reddidit anno ante Christum 94. In pago Dullefelt, puero intumuit genu maximè, quod adapertum effudit grana siliginis, auenæ & hordei, anno natiuitatis Christi 1124. Henricus quintus Imperator Hollandos rebelles frenat, fames Poloniam ac regiones finitimas vexat supra modum.

Reperta est frumentorum seges spicarum copia luxuriãs ad miraculum vsq;, vt anno 1546. Basileæ ante depopulationem in Germania factã. Itẽ anno 1541. nõ procul à Spira culmus spicarũ 15. absq; vlla satione puenit, vuæ quoq; Barbatæ duci Bauariæ dono missæ, Secuta annonæ caritatẽ summam, subita relaxatio. Quo fit vt signa eiusmodi in vno eodemq; genere sint valdè ambigua, &, pro statu receptricis causæ, contraria sæpe decernant, quod & in crucibus vbi apparẽt, & pluuiis frumẽtaceis, aliisq; pluribus, vnumquemq; Canon.

coniectorem etiam atque etiam monitum velim, ne sibi iusto plus tribuat circa præsagia, modos futurarũ rerum discrimine nimis angusto & quasi ad scrupula certa definiens.

Fontes peregrini.

Vnum his addere placuit, fluxisse & olei fontem largissimo riuo trans Tyberim, anno vrbis 722, mundi 3934. per diem integrum, quo ferè momento Augusti imperium inchoatum est, qui tandem & bellis ciuilibus imposuit finem. Magis tamen idipsum ad nostræ salutis exortum fuerat referendũ, veluti quòd Christo propediem nascituro seuerior illa iustitiæ lex in vbertatem misericordiæ mutaretur.

Sexta commemoratio circa prodigiosas dyscrasias qualitatũ primarum & secundarum in elementis. Canon.

Quòd si præter excessus elemẽtorum, ac mutationes antea memoratas, non solùm spectemus quæ in illorum corporibus fiant, sed & qualitatibus primis, etiam in diuinorum ordine redigenda: iam ferè in infinitum proserpet oratio. quanquam sanè non sint silentio penitus inuoluẽdæ, propter earum constitutionum typos, quæ suo tempore in moribus hominum, in statu relligionis, rebusq; politicis obseruatur. Accedunt istis & morborum insolitæ species, vt ab Hipp. etiam inter Epidimicos annotatum est. Sequuntur & ferarũ insectorumq; genera prodigiosa: item vini, olei, frumenti, & consimilium vel prouentus vberes, vel rara penuria. vt non temerè præsagiorum eiusmodi prima ratio semper antiquitus fuerit, cùm sine hac neq; medicis rectè vel præcauere morbos, vel cognoscere promptum sit: neq; agricolæ messis, aut sationis tempora aptè constituant, neq; suum aut publicum quæstum faciant magistratus, & mercatores, nisi prius de aëris vicissitudine ac temperamento (præsertim si raræ impendeant dyscrasiæ) sit illis, pro artis qualicunq; facultate, prospectum.

Gelu prodigiosum.

Gelu Kalendis Octobris tam ferox & asperum grassabatur, anno Christi 764. vt pelagus ipsum ad 100. miliariũ ampli-

amplitudinem obrigescens ferendis equis, & plaustris sese submiserit.

Similiter vniuersa flumina cum ponto hyemis rigore cõstiterant anno 1233. sed verno tempore soluta glacies, casas, horrea, pontes, arbores, imò & mœnia velut succisa subuersaq; abripuit.

Sed nunquid & illud stilo, aut memoria dignum, anno Christi 1427. omnis & glaciei, & frigoris expertem hyemem permansisse? Circa Nicolai festum secundo passim arbores floruerunt: quin & fructum protulisse adjciunt: aëris virulenta excretio mox etiam terras, & maria peruagatur.

Siccitas prodigiosa.

Anno 1473. præcedentibus alterius anni duobus cometis insignibus, tanta viguit siccitas & caloris incendium, vt syluæ plurimis locis incensæ, siccata flumina, ac Danubius ipse in Hungaria factus sit permeabilis. ventos aiunt horrẽdos anno proximo insecutos, quibus ædificia sint deiecta supra numerum per Germaniam vniuersam.

Locustarum ingens copia à siccitate memorabili.

Meminerunt item historici infandæ siccitatis per annos ferè 5. quam locustarum ingens exercitus est secutus, anno 1553. Hanc graphicè in suis Obseruationibus pingit Franciscus Valleriola, qui tam diuturni squalloris causam conueniẽtissimè retulit in illam ineluctabilem naturalis vicissitudinis legem: quòd alternata contrariorum permutatione, rerum æternitas constet. Sic enim & in homine diuturnas febres, natiui caloris dissipatione, sequitur hydrops: sæpe & hydropen, intercedente putredine, febris. vnde & magnam siccitatem magni imbres insequi solent. sic & à pluuiis diuturnis, calores immensi redeunt, & aperta serena, quod vti per continuas pluuias densata tellus, tum vaporibus, tum attrahenti calido viam intercludit. sic inter squallores assiduos, aliunde per æstuantes venas attracta vaporum atq; exhalationum

Canon. Vicissitudinis de contrario in cõtrarium lex ineuitabilis.

tionum copia perennis pluuiæ circuitum præstet: ita tum temporis sub annum 1548. imbrium vi facta ingens est inundatio: sed paulò pòst ea secuta est constitutionis in contrarium ametria, vt ad impetrandas pluuias, vota publicitus facta nòtauerint.

Septima commemoratio in his quæ ferè per dyscrasias elem. consequi solent: vt fames & pestil.

Quia verò & fames, & pestilentiæ ratio, status temporum tam enormes ceu legitimæ soboles comitentur: non temerè est quòd & earum exempla insignia pro diris ominibus atq; prodigiis referantur. non enim duntaxat deorũ præsentem indignationem nota certissima produnt, sed et annexa cathenatim plurima, nisi quamcelerrimè cõuertantur.

Canon. *Neq; rursum incõueniens puto, idem euentus pariter ac portenti appellationem promereri, iuxta relationem variam ad prius illud atq; posterius, rerumq; inter se cohærentium circulos sempiternos.*

Fames aut sterilitas memoranda.

Linquamus Græcorum pestem ab Homero, Troianorum famem à Vergilio decantatam: non habet ludus in rebus seriis locum. Post solis eclipsim maximam, fames maxima, auctore Nicephoro, paulò ante Augusti obitum. Secutus et terræmotus ille quo diximus 14. vrbes Asiæ concidisse.

Ferè consimilis illa quam prædixit Agabus vates, sub Claudio imperatore. Sed hanc liberalitate insigni Adiebenorum gentis regina Helena subleuauit, frumento ex Aegypto vndiq; comparato.

Ingens primùm terræmotus, siccitas, mox fames, pestilentia à Nicephoro descripta temporibus Iuliani. Atqui hîc pessimorum hominum meritò velut in membris articuli solem inter se apta connexa singula cohærebant.

Sed omnium miserrima fames similiter concathenatis omnibus, ab eodem auctore proditur, lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ, sub persecutione grauissima, temporibus Maximini: vbi ille qui nutu singula facit, atque immutat Deus, glorioſam

glorioſam tyranni ſuperbiam velut ſtrangulans, præclarum ſuis cultoribus, ac propè inſperatum auxilium tulit. Digna eſt ea commemoratio penuriæ tantæ, & contagij peſtilentis, quæ legatur ſedulò, & præcordiis intimis inſculpatur.

Procedat in medium nunc poſterior ætas: Famem fuiſſe per orbem propè vniuerſum annales aſſerunt, anno Domini 537. In Gallia ſimiliter anno 660. quo coactus eſt Dagobertus Francorum rex theſaurum templi in vſus pauperum erogare, id factum aliis ſacrilegium eſſe volentibus, aliis opus pium: ſic mundus regitur opinionibus.

Peſtilentia ſeu mortalitas prodigioſa.

Peſtis magni nominis, quam à Iudæis excitatam ſuſpicabantur, viguit anno 1348. In Flandria 1226.

Dira lues boum circa Rhenũ anno 878. à nat. ſalu. Horum cadauera cõeuntes vndique canes vbi depaſti fuerant, euanuere ſubitò nullo viuorum mortuorúmue relicto veſtigio.

Sudor Britannicus eiusq; inſignis hiſtoria.

Nec te præteribo heu nimium dira mortalium lues, cui ſudoris Anglici, vel ὑδροπυρέτου nomen ab ipſa ſymptomatis ſpecie indiderunt. orta eſt hæc anno 1529. circa æſtatem, poſt humidiſſimam cæli cõſtitutionem, vt à patre piæ mem. qui & eundem morbum paſſus eſt tum temporis, cuaſitq; feliciter, ipſius audiui. Primùm verò ex Britannicis locis terras maritimas Hollandiæ, Zelandiæ peruagata, Hantuerpiam venit, ac celerrimè in Flandriam, totamq; Brabãtiam ſparſa, vno die ſudoris infanda eluuie hominum vel multa millia ſuffocabat. His aderat ea dementia, vt ſeſe lectis ac linteis inſui paterentur, omni arte ac vi eliciendum ſudorem arbitrati: heu nimis immemores illius Hippocratica vocis, qua ſic ait: Si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, ac facilè ferunt: ſin minus, contrà. Imò interea dum alter alterum ſtrangularet, qui præſentes aderant

Mira & fatalis vulgi dementia.

aderant, mutuò hortabantur ne se negligerent, vrgẽte morbi ferocia, ne victi precio, aut precibus se ante tempus liberent. Verùm quando ad illos ordo peruenerat, vt sudandi tempus videretur, consuti similiter, & violenter operti clamitabant miserè, obtestabantur Deûm atq; hominum fidem, seſe dimitterent, se suffocari iniectis molibus, seſe vitam in summis angustiis exhalare. sed assistentes, has querelas ex rabie proficisci medicorũ opinione persuasi, vrgebant continuè, vsq; ad 24. horas, id enim erat sudãdi spatium præfinitum, ante cuius circuitum euasere quampaucissimi, tertia mortalium pars errore proprio atq; insania miserè strangulata, vitaq; cum gemitu fugit indignata sub vmbras.

Morbi popularis genus horrendum.

Horrendum aliud contigisse in Pannonia narrant, natas passim in humanis corporibus viperas, ac lacertas anno 1549 mille hominum indies post cruciatus acerbissimos interibãt, nulla medicorum arte vel industria succurrente. Nonnulli ad solem expositi serpentes magnos & paruulos in copia reiecerunt. Inuenta est tum & in ædibus hominũ, non exigua talium multitudo, quam cùm flammis insectarentur & fustibus, voce portentosa eos nequicquam agere proclamarũt, apertè scilicet accincto ad vltionem numini rebellantes.

Octaua commemoratio prodigiorum quæ in meteoris occurrunt igneis atque aeriis.

Transeo nunc ad alia quæ μετεώρων nomine per vnamquamq; sublunaris ditionis particulam visa, pro ostẽtis atq; miraculis habita sunt: de quorum significatis facilè nunc erit coniecturam facere, cùm maior istius artificij pars iamdudum ex præcedentibus eluceſcat. Sunt autem nix, ros, pruina, grando, pluuiæ, eiusdem ferè materiæ: quare & propè ijsdem solent portentorum differentiis insigniri. Constat enim sæpe ac sæpius pluisse res penitus peregrinas: nunc sanguinẽ, lac, oleum; nunc carnes, pisces, vermes, pilos, lanuginem, cineres, cretam, lapides, lateres, ferrum. His plena sunt omniũ & recen-

& recentiorum & veterum monumẽta. Saxa de cælo pluit Dominus pugnante Ioſue contra Gabaonitas: pluit et manam & carnes populo Iſraëlitico : Gomorrhæ ac Zodomæ ſulphur & ignem : tyranno Pharaoni grandinem omnia vaſtantem, vermes atq; inſecta: nec vſpiam æquè ſuã magnificentiam aperit Deus, quàm in eiuſmodi meteoris, dicẽte diuino vate, Ignis, grando, nix, vapor, ſpiritus procellarum, faciens verbum eius. Et alibi rurſus quanta carminis maieſtate ac ſententiarum pondere ? Poſuit tenèbras latibulum ſuum, & in circuitu tabernaculi eius erat obſcuritas aquarum & denſitas nubium: præfulgore in conſpectu eius nubes tranſierunt, grando & carbones ignis : & intonuit de cælo Dominus, & altiſſimus dedit vocem ſuam . & quæ ſequuntur in eodem Pſalmo 18. Neq; verebor addere, quod cõcinit Maro:

Pluuiæ peregrinæ ac prodigioſæ.

Canon.

An te genitor cùm fulmina torques,
Nequicquam horremus? gelidiq; in nubibus ignes
Terrificant animos, & inania murmura miſcent?

Sed paucæ è plurimis referantur . Cecidiſſe lapidem cælo, prædixerat Anaxagoras olymp. 78. anno ſecundo, plures hiſtorici conteſtantur : imò & tempus ab eodem philoſopho, & locum in quem caſurus eſſet, nimirum in Thraciæ partem circa flumen Aegos, veriſſimè definitum: an arte dæmonum, an potius ratione mathematica dubitatum eſt, cùm tamen idem aſtrologica facultate caritatem olei rectè præuiderit, & paulo antè coemptis oleis , contra calumnias aliorum oſtendit philoſophum etſi inopem vulgo, tamen diteſcere poſſe cùm velit.

Anaxagoræ prædictiones admirandæ.

Liuius de carnis pluuia ſcribit, quam ingens ſecuta volucrum caterua diripuit.

In Saxonia piſcibus & ſiligine pluit, anno 987. tum Vandali bis à Saxonibus cæſi.

Ferro

Ferro in Lucanis pluit, anno quo M. Crassus est interemptus.

Auicenna & vitulum & massam ferri nubibus esse delapsam scribit pondo libr. 100. ex qua præstantissimi gladij sunt postea fabricati.

Regnante Iuliano apostata, pluuiarũ guttæ in vestimẽta delapsæ in crucis effigiem prostuxerunt.

Grando prodigiosa.

Inuenta est sæpius grando cui futurarum rerum manifestè, vt mortis, clypei, aut pugnæ, aut crucis insculptæ imagines spectarentur.

Saracenorum naues disiectæ prodigiosa grandine dum Constantinopolis premeretur anno 719.

Rarę magnitudinis grãdo quæ multos oppressit Byzantij anno 371.

Tempestates aliæ prodigiosę.

Sed si rem diuinam videri quantitas facit, illa quoque in numerum veniat tempestas incredibilis pluuiarum, grandinum, tonitruorum, fulgurum, ac vẽtorum, quam nostri maiores annotant anni 1524. 1. Iulij, hora nona, post congressus illos mirabiles omnium planetarum in dodecatemorio piscium. Nam velut si nube disrupta, atque effusis omnibus cæli catarrhactis ipsum soluendũ in tartara decidisset, passim inundabãt pagi & ciuitates: iterumq; & 15. dies & 25. non minus insignis, stragem latissimam dedit. Minabatur prius nigerrima nubes, colore luteo, & subuiridi interfusa.

Coniunctio plan. in ♓ admiranda.

Verùm hic totus annus procellis arduis & frequentibus (vt prædicebant astrologi) fuit obnoxius, præsertim primis mensibus Ian. Februario: quibus inter se 7. errones consensu mirabili nectebantur. Imperator inuictus Carolus Isabellam regis Lusitaniæ filiam in vxorem duxit. Secuta & seditio rusticorum oppidò deplorãda, qua plures 100000. intra mẽses 4. perierunt. Quarto pòst anno Roma diripitur duce Borbonio, fortassis & istinc ille Britannicus sudor, qui superue-

nit ante

sit ante elapsum à coniunctione septimum annum. Quæ passim ingentes rerum secutæ sunt metamorphoses, vt ex chronographis liquet.

Fulgura cælo sereno spectata sunt aliquoties magno horore & clade mortalium: Sic enim lux ingens apparuit diu, cum ignoto murmure per vniuersum Bèlgicum tractum anno 1515. quo & cædes Gallorum propter Mediolanum. Fulgura cælo sereno.

Quid illo acerbius? 23. pagos igne cælesti cõflagrasse anno 823? quo & crusta glaciei longit. pedum 15. lat. 17. altitudine 2. exalto præceps in terras ruit. Secuta & pestis grauissima, vt Auentinus refert.

Fulguris monitorium genus habes in diuo Paulo; vindicatorium in Tullo Hostilio rege, in Anastasio & Aureliano imperatoribus, & quod recentius, in clade Mecbliniẽsi anno 1546. mense Augusto. Sunt qui fulminibus obuij innocentiam probent, sunt quibus & regnum aut famæ æternitatem attulerunt, vt in Ascanio, Seruio Tullio; & Cicerone, vt Gellius refert. Fulminis genera & finalis causa.

His proxima sunt affinitate naturæ, quæ tamen paulo altius scandunt, & sæpe vel vsq; in ætherem sublèuantur. in omnibus enim & situs plurimum ad signi magnificentiam facit. Traiectiones enim & crinitæ, vt inquit Ptolom. secundas partes in iudiciis habent: considerandas esse præscribit, à qua parte veniant, & quoquo versus ferantur. Sic hastæ, trabes, & igneæ quæq; phantasmata ipsa tum speciei, tum motus analogia, hostium externorum irruptiones persæpe significant: quanquam vnà cum istis alia plura sint in iudicium reuocanda. Quid enim aliud in Turno poëta voluit? Traiectiones ignitæ. Canon.

Video medium discedere cælum,
Palantesq; polo stellas, sequor omina tanta,
Quisquis in arma vocas.

Octiduo ferè ante natalem Domini cælum debiscere, & crebris Chasmata varia in cælo apparentia.

crebris fulgere ignibus visum est. Templum igne afflatum cælitus corruit subitò, totamq; hyemem sæuit pestis acerrimè.

Anno 660. totæ cæli regio ardere visa est, et fax emicuit. paulò pòst à Scipione domiti rebelles Hispaniæ principes, exilioq; mulctati. secuta sunt & alia bella grauissima.

Quin & ante Peloponesiacum bellum, quo Athenæ diruæ ad tibiæ tantum: ignis apparuit in aëre per 70. dies, postea et saxum ingens in vrbem decidit anno vrbis cõditæ 349.

Chasma horrendum latè populabundo incendio in terras decidit, anno vrbis 403. auctor Plinius, libr. 2. cap. 27. Nat. hist.

Ignea varij generis meteora.

Clypeus ardens ab occasu ad ortum scintillis plurimis hinc inde proiectis, cucurrit sub occasum solis, anno vrbis 654. Romæ optumates à Mario trucidati. vide Plutarchum, Val. Max. Eutrop.

Lux solis splendorem superans, atq; in eadem crux memorabilis festo paschatis visa, anno Christi 1118.

Columnæ duæ aurei coloris propter solem dextra lævaq; conspicuæ, tum & iris, nocte quæ præcesserat, sub galliciniũ visa. imminebat principum conspiratio in Henricum Germanorum imperat. quartum, anno 1074. sub quo & aliæ plurima sunt memoriæ prodita, & ad superstitionem vsque eius ætatis hominibus obseruata, quanquam certè ea secutæ mutatio sit, tantiq; bellorum fremitus orti, vt iam concussis 4. terrarum orbis partibus, nihil expectarent amplius, quàm mundi supremum diem.

Mirabile portentum 3. solium, lunarũ, & iridum.

Sed nostræ ætati notius quod Magdelburgi contigit, anno 1551. prima Martij, circa horam septimam manè: septem irides visæ, tres soles interdiu, tres Lunæ sub vespertinũ tempus: quarum duæ sanguineæ, locis ciuitati proximis minitabantur. Aprilis iterum die vigesimaprima, tres soles, totidemq;

demq; ſpectatas irides ſcribunt. Nec multò poſtea iuſſu Imp. Caroli Mauricio, atq; Alberto ducibus ciuitas ad menſes 15. obſeſſa pacem tandem obtinuit non iniquis conditionibus: qua conſtituta, duces bella verterunt in Carolū, magnifico titulo atque prætextu, ceu Germanicæ libertatis aſſertores.

Globi 3. ignei noctu in Myſia viſi anno 1550. Globi ignei.

Sol vt globus ignitus cælo ſereno conſtitit per plurimos dies, ſequente tumultu tragico rusticorum in Germania contra principes: verùm illi miſere iugulati ſupra 100000. mira menſes 3. temeritatis inſigne ſpeculum poſteris reliquerunt. Verùm hæc meteora, vt vides, multis perſæpe phantaſmatibus, atque apparenti ſpectrorum generi complicatur: vt nec ſpeciem certam ſeruare, nec ordinem queant. quo nomine lector ignoſcet ſpero, ſi & commemorationis tenor non ita planus, & exquiſitus ſecundum genera videatur. In multis res non patitur, in concinnandis omnibus ocium defuit.


Nona commemoratio prodig. quę in ætheream inciduntregionem.

Equidem præcipuè nunc ad crinita ſydera properabam: quorum præ cæteris ampliſſima ſignificatio eſt, infinitus numerus, ratio abſtruſiſſima, obſeruatio non tātùm vtiliſſima, ſed & maximè diuina. Sunt enim planetarum æmuli, præcipuarum criſium internuncij, ceu ſæciales iræ diuinæ, ea mundi parte conſpicui quæ corruptibilibus iſtis æterna connectit. Referuntur à Plinio genera 9. 1. κομήτης, ſiue crinitus, ita per excellentiā generis nomen obtinuit: 2. πωγωνίας, vel barbatus: 3. ἀκοντίας, iaculi forma: 4. ξιφίας, ab enſis ſimilitudine: 5. δισκεὺς, à figura diſci, vel clypei alicuius: 6. πίθης, quem ſolarem plurimi, vulgo roſam appellitant: 7. κερατίας, ſiue cornuta: 8. λαμπαδίας, facis ardetis, ac turbinatæ ſpeciem repræſentans: poſtrema ἱππεύς, equinam Latio ſonat. * Sed Arabes aliter paulò ſua quibusq; nomina tum à ſpecie, tum viribus tribuerunt, quæ referre latius minimè

Cometarum genera 9.

Arabum ſententia de ſpeciebus cometarum.


COMETARVM GENERA 9.



1. κομήτης. 2. πωγωνίας. 3. ἀκοντίας. 4. ξιφίας.
5. δισκεὺς. 6. κερατίας. 7. πιθέτης. 8. λαμπαδίας.
9. ἱππίτευς.

nimè operæpretium duxi: quòd figurarum non ita definitus numerus videatur, quin ex antè relatis pleræq; ad vnũ pertineant genus, vt solis & clypei similitudo, præter easdem quoque

quoque oriantur & aliæ, aut saltem incidere innumerabiles possint: ceu quæ tubam referant, quæ pectem, quæ quadratam, quæ duobus aut tribus cornubus insignita. nam quod ad fictionem pertinet figurarum, dubito sanè, ac dubito vehementer, num apparuerint vnquam, quales Arabibus memorantur: cùm nullis annalibus proditum sit, alios orbi illuxisse cometas quàm vel gladij, vel iaculi specie, vel in formam pyramidis assurgẽtes. Cornuti semel duntaxat meminerunt: ac siqua figura reliqua est præter eiusmodi, illud cõtrouersum fuerit, num plerag; ignita meteora veteres cum legitimi cometæ ratione cõfuderint, vt vel ex figura gladij liquet.



1. Ceratoeides altera. 2. ξιφίας altera. 3. ξιφίας tertia. 4. ἱππίτευς varia. 5. Quadrata.

Quin & illa præsagiendi methodus obscura & confusanea est, omnisq; tantorum discriminum palliata quædam ratio certis demonstrationum principiis destituta. Rectius Aristoteles omnem figurarum varietatem in duo genera relegauit, κομήτην, καὶ πωγωνίαν: quòd vel in longitudinẽ amplius, vel latitudinem coma illorum proferatur. vulgo barbatos alios vocant, alios comatos, postremo ex caudæ similitudine tertium genus annumerant. nostra ætate nulli ha-

Aristot. opinio de numero cometarũ.

3. Præcipuę cometarum ſpecies noſtris temporibus viſæ.

ctenus (quod ſciam) præter caudatos extitere. quanquam aliis in acutum angulum magis, aliis in amplitudinem, vel æqualem à radice vel paulatim lateſcentem portenſo iubare videantur, quod expoſitione ad ſolem, noſtrosq; obtutus cõſequi ſemper ſum opinatus. valeant certè, qui à ſuccenſis exhalationibus materiem crinito ſyderi tribuerunt, niſi ſolidiora proferant argumenta, aliisq; tibicinibus myſtica illorum generatio celebretur: nos locum illi in vniuerſi parte nobiliore ſtatuimus, quàm vt planè reſipiat vim corruptibilis meteori.

De cometarum nat. & loco erronea hactenus opinio.

Cometarum proprietates inſigniores.

Sint igitur hæc etiam cometis propria. 1. ſemper adeſſe quædam defluuia, ſiue in longit. ſeu latitudinem proferantur: alioqui perit & nominis ratio. 2. ſeruare certam extenſi radij, vel luminis analogiam ad centrum ſolis. 3. nunquam diu conſiſtere eodem loco, etiam ſecũdum proprium motum. 3. nam quòd plærosq; ſtationarios eſſe voluerint, nullis id cõſtat hiſtoricis monumẽtis, aut ſi viſus eſt ſtare, quærã quàm diu, & num potius ſic ad oculũ videatur. 4. eſt moueri ſemper raptu primi mobilis, ac 24. horarum ſpatio ſemel circumagi, niſi conſiſtat in ipſis polis, aut proprij motus anomalia impediat. Quinto non ſcintillare vnquam vllis hiſtoriarum teſtimoniis manifeſtum eſt, cùm ſint planetis propiores aſpectui noſtro, & lux eorum cæleſti conditione inferior: duo enim ſunt quæ ſcintillãtis luminis ſpeciem cauſant, ſplendor radiorum & puritas, vt quandoque in ſole & Venere viſum eſt, etſi rarius: deinde & diſtantia ob rareſactionem radij viſus, per diaphanon maius, vt in Ioue & Saturno per flatus aquilonarios, quanquam certius ex paralaxi cometarum, hi multò inferiores concauo Lunæ quamſæpiſſimè deprehendãtur. Sexto & illud peculiare, vltra annum dimidium vix perſiſtere, vt lõga docuit obſeruatio: ſiue quòd numeri critici certa ſint lege reuincti, metamq; habeãt præfini-

1. Effluuia.

2. Loci mutatio

3. Moueri motu raptus.

4. Non ſcintillare.

5. Duratio.

præfinitam, quam transcendere nequeat, sole ad loci sui oppositum pertingente, quem in exortu syderis obtinebat: siue quòd materiæ modus non vltrà sustineat solis vim, à quo & cogi diximus per influxus concurrentium planetarum, ac rursus certa periodo, radiorumq; antipathia dissolui ac penitus eneruari. Sit hoc postremum inter pathemata, iuxta præ-

7. Analogia ad planetas.

dominantis planetæ vim motus quoque analogiam vt plurimum respondere: etsi in eo sit plurimum ataxiæ, propter cognationem quandam ætherei corporis cum elementis. Ma-

Vera cometæ generatio.

teriem verò cometæ, vt superius dictum, ex ipso æthere & via lactea cogi in syderis speciem, & quodammodo sic animari, rationi cõsentaneum imprimis esse credidimus: sequi-

8. Motus diuersa genera cometis propria.

turq; eodem fonte & corollarium alterum, præter circularem motum à primo mobili dependẽtem, præterq; propriũ, quo partim certis, partim incertis passibus in eadem superficie diuagatur, accedere posse & tertium motum qui vel rectus sit secundum altitudinẽ ætheris, vel circularis, vt planetis in epicyclo, vel inæqualis & ex vtroq; compositus, nec propter tam difformes anomalias, etiam ex obseruationibus

νόμος ἀνάμαλος.

infinitis certam illorum regulam, vel motus theoriam statui posse. Πὸς ταύτη μεγάλη ἔχνει, quo mens humana spectaculorum obruta multitudine, suam agnoscat inopiam, tenuitatemq; potentiæ, quæ tam angustis limitibus coërcetur. Sed

Obseruationis difficultas.

cur hanc motus amussim in cometis non cõstare queramur, si ne quidem hactenus in purè cælestibus inconcussa sit demonstratio? si in Mercurij stella astronomorum tanta varietas? si & in Marte ac motibus octaui cæli, imò & in toti-

us mundi systemate & theoria. Sed reuertamur vnde digressi, & cometarum decreta, vt ordo postulat, exequamur.

De cometarũ portentis.

Cometarum significatio quædam communis est omnibus, magnas enim mutationes inducunt tam elemẽtis mundi, quàm animantibus, nonnihil quoque consortij iure decer-

9. Deuniuersalibus.

Consensus cũ syzygiis cælestibus.

nunt in regni status ac ciuitates, non tamen tantopere vt causæ effectrices, quàm signa quæpiam, & soboles eiusdem causæ. Oriuntur enim, vt diximus, raræ synodo planetarum, quæ ferè mutationibus magnis reipubl. (sic ferente numinis prouidentia) correspondent. Sic enim & minis prophetæ signum regressus solaris aptè conuenit tempori regis Ezechiæ. Volunt quoque perpetuò ab illis portendi aut obitus magnorum regum, aut bella ingentia, aut famem, aut pestilẽtiam: existimantes id genus vrendi, exiccandiq; facultatem obtinere. Sed errant mea quidem sententia toto cælo, nam experientia constat, subinde & aeris peperisse temperiem, pacẽ, annonæ copiã locis plærisq;, quibus etiã visi sunt imminere. Sæpe etiam nec regum quispiam celebrioris famæ intra anni vnius, alteriúsue circuitum vita decessit. Quid si enim naturæ Iouis, aut Veneris proxima? si rursus Saturni frigidum sydus aut Cyllenij referat, aut indolem quampiam frigidiorũ plurium confederatione contractam? Nunquid & gelu insolitum, & inundationes aquarum, & terræmotus insequi consentaneum est, præsertim si in cognatis cæli partibus fulgeant, vel ad vapores subleuandos multiplex syzygia succedat? Alia igitur, alia longè, & solidior via, qua pro captu mentis humanæ probabilem quandam proferre sententiam licet.

Non semper squalorem aut calamitates inducere.

Modus præsagij qualis esse debeat.

Primò etenim sub conditione loquendum, vt monuimus suprà, ne Deum suismet instrumentis atque legatis, vel hominem humanamq; rempublicam rebus se potestate inferioribus alligemus: minitari scilicet hæc, vel illa, ventura insuper, nisi celerius occurratur. Deinde circa præsagij genus aberrare non facile est: magna portendi scilicet, præsertim regibus, quòd loco sublimiore promineant: mox verò & magistratibus & populis, per consortij legem: postremò etiam in hisce mundi simplicioribus elementis, propter periculũ dyscrasiæ,

Duo pronunciandi modi maximi secuti in genere & sub hypothesi

craſiæ, cuius nomine fortaſsis & frugum ſtatus, & valetudinis in animantibus, aliam atque aliam faciem ſit habiturus. In omnibus denique ſi dicamus & magna, & rara, atq; inſolita poſſe propediem ſequi à portentis eiuſmodi, cur adeò vel à pietate Christiana, vel philoſophica puritate id videbitur alienum?

Quòd ſi verò conciſius te à genere ipſius euentus ad ſpeciem certam, modumq; receperis, fallere ſæpenumerò: quòd maiorem huius prouidentiæ partem, magnis inuolucris naturæ circumſcripſerit Deus: quodq; cõſyderandarum rerum varietas incertum animum, carnisq; vmbraculo tectũ, hinc inde in contraria ſæpe deflectat, inq; ſimplicioris veri ſentẽtia conſiſtere vix patiatur. Prædictio circa ſingula tãrùm probabilis.

Eſt tamen aliqua, ſed tantùm probabilis, ratio, non quidem propter principia ſeu generalem artis ideam, quæ præſtantiſſima eſt, ſed propter particularium canonum multitudinem, inquiſitionis difficultatem, ſenſus deniq; aut obſeruationis inopiam: vel ſi planius voles, erratur primũ ex ignorantia rerum agentium, vt ſtellarum, & quæ ſtellis proximæ ſunt, ſiue ſubſtantiam ſpectes, ſeu magnitudinem, numerum, ſitum, progreſſum, facultatem, in ſingulis errandi occaſio eſt inexplicabilis. Deinde grauius illud, quod ex materiæ ſimu. Quàm multiformis illa in mũdo inferiore varietas, ſolius vel loci, vel temporis ratione? quàm denique obſcura cauſarum agentium & paſsibilium inter ſe applicatio? quarum proportiones ſolus intelligit, qui menſuras primùm, numeros & pondera rebus vniuerſis geometrica lege præfixit. Quid igitur reliquum? niſi communiſſima via, vel artis veriſſimæ, ſed in naturæ gremio deliteſcentis, obſcura comprehenſio, cuius iudicium ſinuoſum ac lubricum, exercitatio infinita, vitioq; tum ſenſus tum rationis obnoxia: quanquam, vt præclarè Hipp. libr. De arte, propter errores Propter quãtitatem & proportionẽ omnia in ſubſumptione partic. infinitis ignor. tenebris inuoluta.

Digreſſio ad vanitatem Aſtrologicam demonſtrandam in vſurpatione prædict. certę circa partic.

hominum, mentisq; tenuitatem, nequaquam tolli è medio nomen scientiæ debeat, verùm eo primùm sit vnaquæq; perfectior ac diuinior, quo nostris oculis vel pectoribus magis est inaccessa. Ideoq; nec desperandum penitus, nec vltra fines ingenij legitimos contendendum, vt & in cæteris facultatibus atque scientiis; sed cautè, & placidè procedendum est; alis intellectus inter diuina, & naturalia velut ad æquilibriũ explicatis, ne Phaëthontis aut Icari casu casum acerbiorem experiamur. Artẽ igitur minimè tollo, sed diuiniorem facio, quàm vulgus profanum putet, occasione sumpta ab impostoribus & prognosticis, quorum ingeniis nihil magis insulsum, regulis nil æquè ridiculũ, vaticiniis nihil putidius: dum prorsus ἀμέθοδοι rem sacram illotis manibus tractant, nihil aliud somniantes quàm fucum atq; marsupium. Neq; contenti meteorographia sola, quæ præstãtissima est, de regnorum ac religionis mutatione definiunt, ac si deorum interundiis adfuissent propè ad singulos dies: nec interim vident vel ante pedes, ædibus in proprijs quæ praua, aut recta gerãtur. Mirum vnde hoc diuinationis genus irrepserit, nisi ex artificum ambitione, vel auaritia forsan, & stoliditate credentium. Mirum magis ab his qui cerebrum habent, posse perferri. Sed hæc moria nostrates etiam longæuos facit, ac priius vita exuas, quàm sibi hanc audiendi vel commentandi voluptatem eripi sinant. Iam illud Persianum in mentem venit,

Vidi, vidi ipse libelle
Auriculas asini quis non habet? &c.

Artificiosa Ptolomæi methodus cũ præsentis doctrinæ artificio coniungenda ad cometarum indicia, vestigãda.

Interim ne studiosis veræ, ac solidæ facultatis videar defuisse, quam Ptolomæus graphicè in cõsyderatione eclipsium exarauit: rem omnem hoc loco breuiter circumscribam, vt & ars superius tradita, hoc velut exemplo ad opus promoueatur, ac viuidius efflorescat. Sunt autem in omni examine

quatuor

quatuor ferè quæ inquiri ſolent. 1. locus cui decernitur, ſub quo & genus hominum comprehendes. 2. tempus quando euenient, & quousq; ſint duratura. 3. genus effectuum, vt fames ne, an rerum copia, aut quid aliud portẽdatur. Quartò ſpecies, ceu rei futuræ modus: vt ſi ſucceſſum prælij ſuperſtitioſa quadam indagine perſcruteris. hæc ad verbum ferè ex Ptolomæo. Nunc biſce quæſitis, artis ſuperius traditæ ratio eſt applicanda. Primò naturam criniti ſyderis expiſcabor, quam ſuis capitibus alligaui. Quantitatis ſcilicet, magnitudinis, numeri, loci, temporis, motus: quæ quidem proximè ſubſtantiam rei aperiunt, id eſt materiem, formam: & ex conſequenti vires & facultates. Ita quidem in genere qualitatis figura & color propè euentus ſpeciem cum genere declarabunt, ex illa rerum omnium myſtica ſympathia. vt qui gladium, veru, vel cornutam aciem, vel tubam refert, bellis ſignificandis ſit opportunior: qui ſolis ſimilitudinem gerit, magni alicuius principis ortum, ſi lætus fulgor exiſtit; obitum, ſi triſtis atq; pallidior; funeſtum ac tragicum finem, ſi ater aut perfuſus ſanguine videatur. Fortaſſis qui in acutam pyramidem deſinunt, ignis prædominia magis, & ex analogia in repub. tyrannidem præſignificant. Quæ ſparguntur in amplitudinem, exceſſus potius aquei elementi, ſeditiones populi. Quæ æquabiliter à capite ad finem, ac maiori latitudine proferuntur, terræmotum rectius, famem, rerumq; penuriam, ciuitatumq; ſubuerſiones, & legum mutationes aperient: Quæ verò multiformem faciem repræſentant, ob aëris analogiam, non malè poterunt ad peſtilẽtiæ ſtrages, morboſq; id genus inſolitos, feroces & epidimicos commodari: & hæc quidem ſi ſpecies funeſti coloris acceſſerit: alioqui fortè & his contraria deſignabunt, in generibus ſingulis, ſi blãda facies læto fulgore arrideat. Idem de conſimilibus eſto iudicium. Nec malè hoc etiam vel vulgariter obſeruatum eſt,

1. Quatuor inquirenda.
2.
3.
4.

Artis ſuperioris canones ad præſentem conſyd. reuocantur.

1. Primus cardo ex ſyndrome phyſica vel tota natura. Ex figura.

Singulis elementis & partibus reip. ſuæ figuræ ratio quadrat.

Ex ſpecie lucis & coloribus.

coloris

coloris differentiam ſtellarum prædominantium vires, & nomina deſignare: vt qui pallidior, ſit Saturni; qui radio fulgidiore ſubrutilans, Solis aut Veneris; qui planè ſanguineus, Martis; colore argenteo, ſit Iouis aut Lunæ; colore vario vel inſtabilis motu, Mercurio tribuatur. Idem ex figura, & reliquis generibus æſtimandum. Ex numero cometarum & magnitudine ſignificationis robur & efficacia colligetur: quam videtur Ptolomæus inter quæſtionum genera neglexiſſe: niſi ſub modo comprehendas. Locum euentus, non aliàs rectius diſces, quàm ex prodigij loco: vt ſi cùm primùm apparuerint, in quadrante conſtiterint Orientali, vel Occidentali: ſi à ſole occidant, vel ante ipſum oriantur: ſi latitudinis Auſtrinæ, aut Boreæ: ſi denique in ſignis aqueis, terreis: ſi cum ſyderibus quæ figuram hominis, vel animantis alterius à mitidi exordio tenuerũt. Multi enim has vniuerſim ad allegorias trahunt, omnemq; propemodum particularis prædictionis abditiſſimam rationem incluſam volunt, quàm verè, aut ſuperſtitioſè potius, aliorum eſto iudicium. Valde placet ſignorum per trigonos diſtributio, quam Ptolomæus certis terrarum partibus methodo pulcherrima applicauit, quanquam nobis ſit alia quædam longo tum vſu, tum rationis exercitio conſtituta, locis atq; temporibus noſtris exactius quadrans. eam edendam alias in opere Meteorographico reſeruamus. Similiter verò ex apparitionis tempore, tempus effectum datur, eodem penitus modo quo à Ptolomæo in aliis iudiciorum, magnarumq; mutationum principiis definitũ eſt. quanquam Ptolomæus multo anguſtius plæraq; cõtrahat, ad anni vnius anfractum atq; alterius. Certè cum duratione prodigij, magnitudo meritò & altitudo eſt comparanda, vt decretorum ſiue euẽtuum tempora colligantur. Quæ altius emicant ferè & pluribus ſignant, & efficacius. Similiter & quæ maiora ſunt, pro diſtantia ratione diuturniores vt plurimum

Ex numero & magnitudine.

Ex loco.

Figuræ octaui cæli.

Signorum trigoni.

Ex tempore.

Ex pluribus inuicem collatis.

Ex diſtantia & ſublimitate.

simum vires infligunt. Quare iuxta differẽtiam loci & magnitudinis, etiam ponenda primùm totius circuitus amplitudo. Verùm in hac ipsa particulatius prima initia, progressus, status, decrementa, tum per positiones in signifero et cardinibus mundi, tum decretiones, & succedentes radios, ingressusq; planetarum poterunt præsagiri. nam aliis effectibus crises per horas & dies, aliis verò per menses aut septimanas, aliis postremò per annos integros, imò vel annorum septenarios numeratur, habita interim vbique numerorum consimili lege, quæ reuolutionibus orbium supernorum totæ respondeat. Id verò exemplis optimè confirmatur. Sed (prius vt pensum hoc absoluamus) quicquid iudicij reliquum est, difficultatem non habet, excepta specie motionis, quæ ad effectus modum plurimum facit, eimuerò multum refert vnde moueri incipiant, quà ferantur deinceps, & quibus cæli partibus euanescant. vbiq; longitudinis, latitudinis ratio instrumentis accuratissimè fabricatis, vt radio, annulo, quadrante, astrolabio, etiam (si ad manum fuerint) armillis Ptolo. iterum atque iterum ad sensum adhibitis, exploretur. Ita si hostium externorum significetur irruptio, disces fortassis & vnde, & in quam terræ partem futura sit expeditio. Et hæc quidem vniuersim, ad ipsius cometæ naturã propius referuntur. Erãt & alia simul in iudicium adhibenda, ne ad pauca respicientibus contingat παραλογίζεσθαι. Nam (vt capite superiore docuimus) euariant plurimum, imò & penitus euertuntur, decreta causarum, pro conditione subiecti: quare & in ipsa materie status præsens pariter ac præteritus contempletur. de quo considerationis genere satis ex demonstratis hactenus liquet. Tertium instrumentũ est causarum concurrentium accuratus intuitus. Ita non solùm ad naturam criniti syderis vestigandam, magnas planetarũ synodos scrutantur astrologi: sed & ipsorum cuiuis genitu, ac

Singulis prodigiis suus primùm circuitus assignandus, ac pro proportione in singulis suæ partes per numeros critico exaranatur.

Ex motu cometarum.

Canon secundus.

2.
Ex analogia materiæ receptricis.

Canon tertius.

3.
Ex concurrentibus causis atque effectibus.

tia, ac propter μεταβάσεις sublunares: quæ quoties supernis corporibus obsecundant, ab ijsdem sanè velut antiquiore principio, magisq; stabili potestate flectuntur, quàm à cometis, qui etsi cælestium soboles sint, ius tamen cooperandi nõ paruum, significandi maximum consequuntur.

Qua cæli figura cometæ positis, oriantur.

Equidem hoc diligenti obseruatione comperio, faces eiusmodi plurimum nasci ex stationibus trium superiorum, Sat. Iouis & Martis, si quando in mutuas syzygias incidant, præsertim si alter ipsorum in signis igneis, aut non procul à via lactea reperiatur, aut cum syderibus fixis naturæ Martis aut Solis, magnitudinis primæ, secundæ, tertiæ. Quin solæ

Stationes planetarum imprimis efficaces.

stationes in vnoquoque systemate plurimum præstant, & vires influunt diuturnas. Cuncta verò confirmat Mercurij testimonium si accesserit, maximè omnium eclipses, siue defectus luminum grauiores: præsertim vbi inciderint in principium arietis, aut libræ: vbi & alia eiusdem significationis portenta concurrerint. De quarto similitudinis instrumento

4. Canon quartus per similitudinis instrumentum. Simile in arte medica.

non est quod altius repetam: huius enim exercitationis dexteritas plurimum naturaliter inest, vsu interim, aliarumq; artium circulari quadam cognitione perficitur. Ita cùm iatromathematicus videt tumores in humano corpore pestilẽtes fonti vitali proximos, vt circa axillas, vel parotides, virulenti coloris, notabili copia vel magnitudine, & numero plures, præsertim accedentibus aliis notis, vt tremore, cõuulsione, ingenti cacochymia atq; putredine: mox ille certissimis argumentis, mortem ægroto imminere prædicit. Idẽ translata similitudine, de cometis indicat, respectu ipsius vniuersi: postquam scilicet & figurarum conformis ratio, et colorum, & motus, & quantitatis formam, materiemq; in vtrisque analogam esse demonstrat.

Curiosi cauendi methodus in cometis latius quàm phænomenis cæteris demonstrata.

Nimis digredior ab instituto, cùm hîc nõ adeò leges, quæ exempla fuerint referenda. Sed placuit etiam particularis

methodi

methodiſtheomain criniti ſacibus explicare: quo doctrine il lorum, & ratio exeditus conſtet: neque deinceps quiſpiam cuius cometa, nouam naturæ prodigia tum inferiora dignitate, tum ſublimiora confundat: vt nunc de nouo ſydere à multis turpiter factum eſt, dum cometam eſſe deſinit, nullo penitus fundamento: niſi quòd aliud probabiliter non occurrat. Sed poſteà latius, nunc ex toto aceruo hiſtorico paucæ ſubiungimus.

Cometarum pluriumexemplæ.

Cometa 6. menſium (quod enim illius generi longiſſimum memoratur) effulſit anno à natiuitate Domini 66. ſecutæ ingens mutatio imperij Romani, aliaq; innumera, ſub Claudio imperatore.

Cometa maximus, quo tempore Mithridates naſcitur, anno mundi 3780. ante Chriſtum 183. qui quartam cæli partem ſic occuparat, vt totum vndiq; ardere videretur. durabat dies 80. Ferunt huius ſplendore ſolis lumen propemodum torpuiſſe. Portẽdit mortem Scipionis, Hãnibalis, Celtiberorum cædem in Hiſpania, bella ciuilia inter Syllam & Marium.

Sub Auguſto Cæſare ingentem cælo fulſiſſe lampadem ferunt: imò & in eadem pueri effigiem viſam, de qua vates conſultæ Auguſto reddidit, hũc puerum ſeſe auguſtiorem fore, dignumq; quem Auguſtus adoret.

Cometarum alterum genus ac prorſus metaphyſicũ, ἐξαυθεν.

Cometa gladij forma, die Azimorum vrbi immiuit Hieroſolymæ, annum integrum perſeuerans; quanquam id genus peculiaris figuræ ac durationis modo, quiddam ſupra naturam criniti ſyderis indicarit: quare potius inter oſtenta omnino metaphyſica referatur. Secuta eſt vrbis miſera deuaſtatio, de qua Ioſephus ampliſſimè ſcripſit, concimentibus aliis inſuper ſignis atque oraculis. perierunt vndecies centenæ millia Iudæorum tum fame, tum gladio.

Aconcias.

Fulſit aconcias, (ſiue cometa iaculi ſimilitudine) de quo

quinto

quinto consulatu suo Titus Imp. præclaro carmine cecinit; anno Domini 80. Tres ciuitates Cypri terræmotu corruerũt. Secuta ingens pestilentiæ strages, vt per plurimos dies, mortuorum plura centenis millibus efferrentur: mox vna calamitate alteram protrahente, mortuus est Vespasianus Imperator, cui Titus successit.

Cornutus cometa vel ceratoeides.

Anno quo Græciam Xerxes inuasit decies centenis millibus hominum, obuia quæq; vastans, atq; diripiens: cometes fulsit cornu figura.

Solaris vel heliodes.

Arsit & igneus alter orbicularis, magnitudine non inferior sole, noctem splendore superans, ante bellum Achaicum, excidium Carthaginis miserandum: quo deletæ funditus vrbes clarissimæ Græciæ Corinthus, Thebæ, Chalcis, & celest autem euersa Carthago anno vrbis 207.

Varij cometæ ante insignes reipub. aut religionis mutationes.

Sic & ante initium belli Peloponesiaci per 75. dies visus est alter cometa horribilis. Item ante Atheniensium cladem in Sicilia: ante cæsos Lacèdæmonios à Thebanis ad Leuthra Bœotiæ: ante ciuile bellum Cæsaris & Pompei: vt Lucanus,

Ignota obscuræ viderunt sydera noctes,
Ardentemq; polum flammis, cæloq; volantes
Obliquas per inane faces, crinemq; tremendi
Syderis, & terris minitantem bella cometen.

Antecesserunt cometæ & hæresim Arrhianam, Gothorum incursus & Vandalorum, Romæ direptionem sub duce Borbonio, Mahumeticam pestem in Arabia, Bulgarorum in Thracia, factionem Guelphorum & Gibelinorum in Italia.

Scribit August. Niphus anno Domini sesquimillesimo supra quartum, biennio post congressum superiorum planet. in cancro natum esse cometem horrendæ molis ac lucis, quem altero biennio post tanta vredo, & siccitas est secuta, vt à Ian. ad Nouembrem vsque ne gutta quidem pluuiæ sit apud Insubres visa.

Cometa Haly tempore.

Haly cometam à se visum prædicat in scorpij signo; sole

tau-

Taurum peragrante, cuius fulgor vt Lunæ ortus, quadrãtem diei propemodum occuparat. Secuta inter Mauros atrociſſima prælia, ciuitatũ excidia, cædes immumeræ, ſiccitas ſumma, fames, peſtilentia, & contra regem hæreſiarcha potentiſſimus. Hæc ille ad copulam Martis, ac Merc. referebat.

Ante Iulij mortem.

De his qui mortem Iulij præceſſere, ſic cecinit Maro:

Non aliàs cælo toties cecidere ſereno
Fulgura, nec diri toties arſere cometæ.

Cometæ gemini.

Cometas geminos illuxiſſe memoriæ proditum eſt anno Chriſti 1472. Item alios duos per 15. dies integros in Ianuario anni 729. quorum vnus ſolem antecedebat manè, alter Occidentem veſperi ſequebatur. Immenſa ſiccitas ſubſecuta eſt, bella cruentiſſima, mutationes inter alias admirandæ.

Ariſt. tempore.

Ariſtoteles ait poſt cometam ſui temporis hyemem fuiſſe oppidò ſiccam ſpirante aſſiduò Aquilone.

Hippocratis tempore.

Hipp. 4. Epidimiorum circa ſolſtitium (inquit) hybernum ſydus non parum. Quinta & ſexta pòſt ſecutus eſt terræmotus, morbi periculoſi, acuti pariter ac diutèrni, morbi regij, quintanæ, ſextanæ, (rarum id genus atq; inſolitũ planè fuiſſe non dubium eſt) dyſenteriæ, abceſſus varij, venti aquilonares, & nues: (vt antè enumerat in principio libri) circa occaſum, & poſt occaſum Pleiadum, multæ (inquit) mulieres omnibus modis abortiebant, &c.

Noſtri ſæculi cometæ.

1.

Si noſtro ſæculo propinquiora deſyderes, eſt quem accuratiſſimè pinxit Regiomontanus ortum anno 1475. ſub Libræ dodecatemorio, cum ſtellis Virginis. Sed longa eſt narratio, quæ tamen argumento certiſſimo docet, etiam in motu illius proprio quiddam fuiſſe diuinum, geometricum, æthereo vel cæleſti corpori conſentaneum, ſupraq; ſortem penitus elementarem.

2.

Obſeruatus & alter à Zieglero, anno 1472. ſub Libra, prope ſtellas Capricorni. Quanta tunc legum mutatio &

velligionis sit consecuta, elegãti carmine Pontanus cecinit in meteoris. Sed quid longius immoror? cũ nemo vel planius, vel plenius ex professo vniuersam cometographiam ediderit hactenus, quàm nobis amicissimus Ant. Mizaldus? qui suam quoq; doctrinam Enchiridio historico confirmauit. duos tantùm tréfue adiiciam pro coronide à recẽtioribus obseruatos.

Nullum cometæ genus illi horroris magnitudine, ac diuinitatis specie comparandum quod P. Creusserus annotat visum 1527. Decẽb. 11. die in occasu, in ditione Palatinatus. Erat omnino cruentum, nube terribili, stellis, hastis & gladiis, etiam capitibus abtruncatis hinc inde circũdatus. Multi hoc spectaculo solo in morbum & syncopen incidere. Irrupit Turca potenti exercitu: Roma à Borbonio capta diripitur.



Fulsit cometes anno 1531. Augusti 15. vel paulo prius, vt Schonberus annotat, in signo ♌, recta linea primùm cum duabus

ænabus extremis in cauda vrſæ maioris. Turca Siciliam populabundus adoritur.

Item anno 1533. circa initia Iulij, alter in 5. Geminorum circa ſydus Hirci, lat. 24. graduum, decl. 48. is nunquam occidebat, mouebatur tamen in orbem motu primi mobilis, deinde & proprio contra ſucceſſum ſignorum, noua ratione circa lacteam viam (vt pater annotat) per caſſiopeæ ſydus ad cygnum vſq3, vbi tum primùm euanuit. A patre autoris obſeruati cometæ. 5.

Idem parens ſe obſeruaſſe teſtatur ſydus obſcurum, pallidum, longiſſima cauda directè ſurſum ducta, anno 1538. quã collegebat 22. Ianuarij in 9. gradu Piſcium, in latit. 11. grad. recta lineæ inter ceruicem, & humerum Pegaſi. 6.

Anno ſimiliter 1539, tertium deſcribit menſe Maio, pallidum, cauda breui, in 5. gradu Leonis, lat. Sept. 12. grad. mouebatur ab ecliptica in Auſtrum, vt etiam ex Apiano colligere licet. 7.

De his qui pòſt apparuerint, noſtro hũc infeliciſſimo ſæculo minitantes, dicetur in alia huius operis parte. Nunc autem relictis cometis, ignitiſq3 cæteris meteoris, ad ea quæ planè ſunt cæleſtia, ac metaphyſica conſcendamus.

De his quæ circa Lunam, Solem, & ſtellas in regione cæleſti mortalibus oſtenduntur, ſublimis, ac prorſus diuina eſt conſyderatio: ſic tamen vt triplici genere diſtinguãtur. Plæraq3 ſunt penitus naturalia, ſed raritatis ergo inter prodigia reponi vel à chronographis ſolent. Eiuſmodi ſunt coitus ſupernorum ſyderum trium, qui tantùm intra 30. annos contingunt ſemel. Item coniunctio orbium ſupernorum in capitibus Arietis & Libræ, quæ omnium rariſſima eſt, atque ad mundi totius cardines, ortum ſcilicet, ætatem mediam ſiue vigorem, atque occaſum præcipuè ſpectat. Sunt eiuſdem generis eclipſes ſolis & lunæ, præſertim vbi totus diameter obſcuratur: Plæraq3 rurſus inter diuina & naturalia conditio- Decima commemoratio prodig. de his quæ cælestibus accidunt vel verè vel ſecundum apparentiam. Coitus rariores in cælestibus locis. Eclipſes rariores.

nem mediam sortiũtur: vt 3. videri soles, 3. lunas, st ellas cælo decidere, solem, lunam vt globos igneos volui natiuo lumine destitutos. Postremò sunt prorsus supra naturam, eclipses fieri tempore non suo, vt illa sub passione saluatoris, quam elegantissimè in quadam epistola ad amicum suum describit B. Dionysius Areop. Item solem stare, vt tempore Iosuæ: retrogradi, vt tempore Ezechiæ: stellam nouam apparere, vt sub ortum salutis nostræ; & hac ætate nostra, qua nos inter calamitates horrẽdas, felices etiam at q3 etiam puto, quibus aperto testimonio, diuinæ sapientiæ, amoris, ac potestatis gloriã testari apud posteros licet, eadem q3 spectata corporeis oculis affirmare, quæ fieri posse, nulli philosophi hactenus, suis fretirationibus, vel semel in animum admisissent. Mirum imprimis (si modò verũ) quod ex Marci Varronis monimentis citat D. Aug. 18. De ciuit. Dei. In cælo mirabile extitit portentum, (sic habent verba Varronis) vt stella Veneris (quam Plautus Vesperuginem, Homerus Hesperum vocat) mutarit colorem, magnitudinem, figuram, cursum: quod factum ita neque antè, nec postea sit. factum hoc Ogygio rege dicebant Adrastus Cyzicenus & Dion Neopolites nobiles mathematici.

Solis stationes aut regressus.

Stellæ nouæ.

Kara phænomena syderũ ex vetustis aut oribus & neotericis.


Hipparchus ad constituendos fixorum syderum motus, varia demonstratione subnititur: sed imprimis tamẽ ex apparitione confirmat duarum, quas prior ætas minimè vidit.

Hyginus capite 192. scribit Pleiadum vnam Electrã nomine, sub Troiæ excidium ab oculis vanuisse, eam q3 mærentem crines solutos spargere, quorum congeries cometæ corpus efficiant: hoc etiam Nasoni in Fastis consonat, ac Raymundo Lullio, qui cometas similiter vt stellas nasci ac perire, non generationis aut corruptionis via visus est intelligere, sed aggregatione lucis, ac dispersione in firmamento.

Volunt & capto Byzantio stellam Polarem non amplius

ſam, quanquam alij non niſi in Eubœa.
atum reliquit Albumaſar, ſe cometam vidiſſe ſupra
corpus.
plerisq; anno 1572. & ſequenti, lucidiores & ſplen-
multo redditas ſtellas in pede Orionis, & ala corui.
archus De gloria Athenienſium ſcribit, quo tempore
es fuerint Græci apud Famaguſtã, quòd Luna ad-
cilis, impleta fuit acceſſu luminis repentino.
lo ante memorabilem ſtragẽ Caroli Magni in mon-
yrenæis, Sol adeò obſcuratus dicitur, vt Mercurij
prope illius centrum, velut candidior macula ſpecta-

o 1568. prima Septembris, viſum interdiu caput ☊,
ta mox Venetiis armamentarij naualis conflagratio
ida.
eiuſmodi in vetuſtis Græcorum & Arabũ monimẽ-
aq; in Sabellico leges, magna tamen ex parte vel ob-
rum incuria vel temporum vetuſtate non admodum
fortaſſe propterea minus vel fidei, vel ponderis apud
habitura. Sed hæc præſentis ſyderis apparitio fecit,
quæpridem fabuloſa putauerim, apud me fidem vel
am mereantur: vti paulatim & doctioribus placet,
ectis ſcilicet vt præter Peripateticam ſcholam, in cælis
ceu mutabilitatem inſolitam, poſitionem vacui, pe-
nem corporum, & idgenus alia admittere compel-
, nec habeant vltrà quod reſpondeant, quàm illud
, διὸς μεγάλοιο ἔκητι.
s eclipſis admodum portentoſa deſcribitur anni à nat. Exemplum recens eclipſis prodigioſæ.
1233. 3. nonas Iulij: qua Lunæ corpus obiectum Soli
ſt in 6. angulos eneruari verſus Orientalem plagam.
tunc ſimul incidere portenta grauiſſima. Chriſtiana
afflicta eſt ſupra modum.



Magni defectus solis.

Defectus solis maximus stellis toto cælo conspicuis, quem & quadrupedes pauisse ferunt, anno 1434. 15. Kalend. Iul. similiter anno 880. Imminent tales & annis 1583. decimo-nono April. Item 1605. 2. Octob.

Totus diameter solis obscuratus anno Christi 241. hanc secutus eclipsim terræmotus ingens, mox & hiatus, qui cum hominibus multas ciuitates absorpsit, ac postremo pestilẽtia vix vlli hactenus comparanda.

Sex soles.

Rex Poloniæ vidit 6. soles: is autem qui ad Occidẽtem stabat, atra fuligine squallidus apparebat: neque multo pòst Galliæ rex Frænciscus in acie captus. Nec vspiam spectari solent eiusmodi, quin nouæ fœdera consuantur, aut conspirationes clandestinæ, vt quemquam fastigio suo deiiciant vel dolo, vel vi & malis artibus comprehendant. Multum in illis præter numerum, & figuram, ipsa positio, ad prædictionis certitudinem facit: an ad latus, an sub legitimo sole locentur, an ortum, an occasum versus, Austrũ, an Aquilonẽ, &c.

Canon.


3 Soles in vnum coeuntes.

Ipso natali saluatoris die 3. Soles visi in vnum coëuntes, vt à Fritschio scriptũ est: quæ species dubio procul Dei vnius aut trini cultum mortalibus portendebat.

Sub imperium Augusti Cæsaris, vt auctor est Plinius, ingens circulus circa solem ceu radiãtibus stellis insignita corona apparuit: deinde & alij duo, vt ex Suetonio patet atque

Dione,

Dione, quorum alter iridis elegantiſſimæ formam, alter ex ſpicis triticeis ſertum præ ſe ferebat: argumẽto perſpicuo imminentis iam euangelij noui, id eſt religionis publicæ, pacis & vbertatis.



3. *Soles viſi anno ab vrbe condita 712. vt Plinius lib. 2. cap. 31. Nat. hiſt. Occiſores Iulij ab Octauiano victi, qui & mortem conſciuere iiſdem pugionibus quibus Cæſarem interfecere. Sic rarò antecedentem ſceleſtum deſeruit pede pœna claudo.*

Quin & ante Iulij cædem, quid noſter Maro? quàm philoſophicè!

Sol tibi ſigna dabit, ſolem quis dicere falſum Solis ſignifica.
Audeat? ille etiam cæcos inſtare tumultus
Sæpe monet, fraudemq́, & operta tumeſcere bella:
Ille etiam extincto miſeratus Cæſare Romam,

Cùm caput obscura nitidum ferrugine texit,
Impiaq; æternam timuerunt sæcula noctem.

Plura eius generis prodigia, sed lætiora, natiuitatem Domini præcessere: quæ consulti vates adulabundi cum Virgilio ad Augusti filium retulere: vnde illud, Sicelides Musæ, &c.

Sol per 17. dies cælo quamuis sereno, lumen tamen terris non ostendit, ex quo Constantinus Imperator & vita & oculis priuabatur.

Anno 1547. Sol per tres dies ceu perfusus sanguine comparebat, sed maximè sub occasum, vt etiam et stellæ plæraq; in Meridie conspicerentur. Idq; ante conflictum, & captiuitatem Iohan. Frederici Saxoniæ ducis. Idem & circa Lunæ corpus euenisse annotat pater, nec meam effugit memoriam, quando tunc primùm puer Mechliniæ literis operam dans, ad ætatem annorum 12. peruenissem, & cũ aliis magna admiratione conspexerim.

Vndecima cõmemoratio prodig. quæ phantasmatõ nomine verius appellantur.

In hoc theatro diuinorum, supremus atq; vltimus locus spectris, & simulachris diuntaxat apparentibus datur: non tam dignitatis nomine, quàm quòd omnino insolita specie nos perturbent, atque insuper nec certum obtineant locum, neque materiem definitam, imò vel vulgo protinus ceu sola diuinitus edita, ceu ministerio facta genij boni vel mali, inter omina certa, interq; oracula nuda, aut potius miracula collocentur.

Prodigium Cõstãt. Imp.

Amplissimum illud ostentum Constantini Imperatoris cũ infidelibus pugnaturi. Crux enim insignis cælitus fulsit, miro splendoris radio circumfusa: tum & vox audita, in hoc signo victoriam spõdens, anno 316. cecidit Maxentius cum multis suorum milibus, atq; è ponte in Tyberim præceps, aquarum vorticibus est absorptus. vide historiam Tripart. cap. 5. libro 1.

Dæmon illudens Iudæis.

Iudæos Cretã inhabitantes cacodæmon specie vatis Moy-

ses

sem quempiam præ se ferẽs, mira arte decepit anno 434. hoc enim effecit, vt in mare sese proiicerent agminatim, persuasi scilicet se sicco pede iterum transituros, cum libertatis amplissima spe. Discussit errorem hũc pietas Christianorũ, quæ multos tum quoque eripuit letho: sed multis milibus ita peremptis, pseudomoyses ille nusquam potuit reperiri.

Congressus humanus in brutam speciem transmutatus.

Dignum memoria sempiterna, quod in plerisq; annalibus scriptum legi, tantum fuisse ludibrium spiritus nequam, vt viri fœminis sub congressus tempora conglutinati mutuò, vix dimelli possent, nõ secus quàm in brutis plerisq; solet: nec prius cessasse id malum, quàm vota & preces publicæ expiarint.

Ignitæ acies & belli species cælo visæ.

Ignitas acies cælo discurrere vidit Italia, conflictus quoq; & tubarum sonitus, guttis sanguinis ex alto in terram decidentibus, anno 570. D. Gregorius supremum diem iam venisse crediderat. Longobardi inuadunt Italiam, vastant atq; diripiunt, Christianos tum milites, tum sacerdotes horrendis suppliciis persequuntur. Huc pertinent ea quæ libr. Machab. temporibus Iudæ fortissimi, nec non à Iosepho proditæ temporibus Titi Vesp. ante miserandum vrbis excidium, conspecta Hierosolymis memorantur.

Similiter ferè armorum fragor & tubæ terribiles auditæ è cælo ante Romanorum maximas clades, anno vrbis conditæ 640.

Stellas cadere.

Stellæ de cælo cadere visæ anno Christi 765. secutæ est insgens siccitas.

Hominis species ignita.

Nubes sanguineæ, crux ignita, hominis species in sublimi conspicua, anno 1120.

Stellarum cumulus admirandus.

Mirum illud spectaculum, imperante Theodosio, stellæ plurimæ inuicem agglomeratæ instar examinis, cuius historiam diserte Nicephorus tradit. Ostensum hoc anno 280.

Saltus prodigiosus.

At quàm nouum quod sequitur in Saxonia? 18. homines

tum viros, tum fœminas, nocte natalis Domini, in cœmeterio quodam, ad choream aptè compositos, cùm sacerdotis precibus nollent desistere, ab eodem obiter maledictos, ad maledictionis formulam saltasse per integrum annum. auctor Vincentius, atq; alij plures.

Species post mortem.

Horrenda penitus, quæ de Benedicto nono Pontifice memorantur anno 1046, ipsum videlicet in forma bruti obrasse, de causa interrogatum respondisse, quæ cura in viuis, eadem post fata sepultis, vel quid ab ea sententia non alienum, vt scribit Nauclerus.

Omina varia.

Sunt horum plurima, quæ sub ominibus continentur, priuatimq; & publicè sæpe concurrunt, velut vrgente Deo, vt mentes ad cogitandum altius erigantur: quod summus poëta considerans dixit,

Tellus quoq;, & æquora ponti,
Obscæniq; canes, importunæq; volucres
Signa dabant, &c.

Ac paulò posteà,

Armorum sonitus toto Germania cælo
Audiit, insolitis tremuerunt motibus Alpes.
Vox quoq; per lucos vulgo exaudita silentes
Ingens, & simulachra modis pallentia miris
Visa, sub obscurum noctis, pecudesq; locutæ,
Infandum sistunt amnes, terræq; debiscunt,
Et mœstum illacrimat templis ebur, æraq; sudant.

Deinde circa finem:

Nec tempore eodem
Tristibus aut extis fibræ apparere minaces,
Aut puteis manare cruor cessauit, & altè
Per noctem resonare lupis vlulantibus vrbes.

Quæ sunt secutæ è vestigio ponit.

Ergo inter se paribus, &c. Georg. 1.

His illa

. *His illa coniungito quæ de Didone retulit ante fatalem diem. Aen. 4.*

Præterea fuit in tectis de marmore templum
Coniugis antiqui, &c.

Verùm hisce oraculis affinia sunt quæ ex occultis animorum impulsibus proficiscuntur, vt furores subiti, ecstases, vaticinia.

Falsi prophetæ fictis miraculis populo imposuerũt quamsæpissimè: habes exemplum in Simone mago: sed recentius anno Christi 1141. cũ tales exorti subitò plebem ignobilem eò ferè persuasam pertraxere, vt clam Iudæis interitũ molirentur, actumq; de illis fuerat, nisi D. Bernhardus obstitisset, admonens manus abstinendas cælesti oraculo, ne scilicet temerè contra diuinam prouidentiam machinarẽtur, quippe quæ se reliquias illorum seruaturam, antè promiserit. Duodecima commem. prod. circa occultos tum animorũ tum reipub. motus. Pseudoprophetæ.

Apud Saracenos & Persas dirum illud furoris atque dementiæ genus, quo multi bonis omnibus amandatis atq; vendatis sponte se nudos in flumina coniecerũt, persuasi hac sola via sese solutos angusto vitæ istius carcere, sursum euolaturos. Sed principibus aliquot per Turcarum imperatorem capite mulctatis, ea paulatim se remittens insania conquieuit, anno Domini 757. Furor prodigiosus.

Narrantur & vaticinia, quæ à plebeis etiam, ac sæpe ignoto auctore profecta, vim oraculi ex rerum successibus obtinuerunt: sæpe & fama futuri tanquam præsentis, aut præteriti, occulto numinis inspiratu, raptimq; in populum peruagatur: vt quasi ex ore infantium, ac lactantium suã Deus testatam magnificentiam velit. Vaticinium.

De Marco Cæditio legimus ignobili viro, vrbis ruinam dudum antè prædixisse, quàm Roma à Gallis exusta duce Borbonio vocis fatidicæ veritatem animaduertit: quod de Cassandra similiter cecinit Maro, non antè Troianis creditam,

ditam, quàm euentus approbarit.

Vaticinium mirabile.

Sed quàm illud celebre, atque inter oracula memorandum, ante deuastationem Hieros. ignoti generis hominem toto oppido discurrentem, in singulos vicos illud infelicis ominis clamitasse, Væ vobis, væ ciuitati, &c. flagris quoq; exagitatum publicè, vocem non aliam sed altiore spiritu protulisse, donec aduentante iã exercitu Vespasiani, consistẽs in mœnibus illud adiiceret, Væ vobis, væ ciuitati, væ mihi: quo dicto telum èx aduerso veniens, vatem è medio dicitur sustulisse.

Oraculum.

Ante salutis exortum, celebre est cessasse per orbem vniuersum oracula dæmonum, siluisse lauros & tripodes, alicubi cum idolis templa funditus corruisse. Rogatus Apollo vnã respondit, cedendum esse potentioribus.

Sed horum infinita narratio est, ac quæ sola implendis voluminibus possit sufficere. Quare ne cũcta in vnam (quod aiunt) cyceonẽ aut sartaginem confudisse videamur, sit istic nostri discursus epilogisticus finis ac meta, vt & præsentis sæculi rara prodigia lustraturi, non prius defessi longè petitis historiis obruantur, quàm ad propinquiora pertingant, quorum gratia res præteritæ memorantur: sed potius in illis instructi variè atq; exerciti, in hisce demum domesticis conquiescant.

Ingenia prodigiosa in rep.

Est autem nostra hæc ætas monstrorum omnis generis fertilissima, siue res vniuersi spectes, siue relligionis ac reipub. statum, seu improbissimorum hominum in omne nephas vsque ad miraculum æstuta, peruersaq; ingenia, vt quemadmodum olim felicis Mercurij prodigiosos partus ex viuis eorum monumentis fuisse colligimus, Traianum exemplar iustitiæ & probitatis; Alexandrum fortitudinis, felicitatis; sapientiæ, Salomonem; totius optimæ harmoniæ, Dauidẽ regem: & (si magnis parua conferre libet) philosophiæ miracula

Exempla virtutis atque scientiæ.

cilla Platonem, Socratem, Aristotelem, Pythagoram, Mercurium; in literis humanioribus Erasmum; in mathematicis Copernicum: aliosq; eximios in aliis facultatibus viros. Sic hodie tanquam scena rerum inuersa, paucis duntaxat exceptis, nihil propemodum videas præter infausti Mercurij sobolem sceleratam, (credo vt ille à Ioue desciuit, iã Saturni, & Martis syderibus copulatus) nil præter lychnuchos omnis barbariei, seditionis, crudelitatis, iniustitiæ atq; tyrannidis, omnis neglectæ religionis Christianæ, pietatis in proximum, disciplinæ politicæ & militaris. Et si hæc non verè ferrea est, aut figulina potius ætas per Danielem decantata, certè illi videtur proxima, & quædam non prior, sed paulò posterior atque deterior, in illius polymorphæ imaginis calce locanda. Vtinam hac tempestate rerum immedicabili, has factiones plus quàm Gibellinas, hæc tam acerba huius ætatis dissidia, & procellis innumeris turbulentissimũ æquor, tandem ille velut à somno longiusculo experrectus placare dignetur, qui mari & ventis imperat quando velit, qui solus sapiens, solus fortis, solus est verè bonus, & cuius regni non erit finis.

Flagitiosa ingenia vsque ad miraculum.

Factiones prodigiosæ.

CAPVT NONVM.

Ceu institituti peroratio quædam, cum totius doctrinæ cosmocritices amplissimo fructu, & dignitate.

IAM ferè perlustrauimus vniuersam, quæ rebus diuinis cum humanis, ac naturalibus intercessit, amoris & actionis mutuæ necessitudinem, latius forsan quàm propositæ par fuerit, angustius multo atque ieiunius quàm pro dignitate conueniebat: sed fecimus quantum pro conditione mortali, proq; nostra tenuitate concessum fuit. Porrò quàm feliciter, aut quanto cum legentium fructu, aliorum esto iudicium.

Conclusio.

Vtilitas consyderationis istius latius explicata.

cium.illud interim ex vniuersa commemoratione concludo, non modò studia rerum istiusmodi conferre plurimum ad ascensus animorum, raptusq; mentis in Deum, quocum q3 fortunæ turbine quatiantur: ad excolendas, amplectendas q3 viuas imagines iustitiæ, prudentiæ, fortitudinis, temperãtiæ: sed & ad acuendos mortalium sensus, vt circa similitudines rerum, consensus atq; dissensus exerceantur vberius, vt causarum effectuumq; inter se cohærentium comparatione multiplici discant consimilem in artibus cæteris & facultatibus ideam methodi fabricare: quam nos olim ex propria cõmunem fecimus, amussim illam Hippocratis nostri, ceu Polycleti regulam, ad rerum quarumcunq; inuentionem, atq; iudicium applicantes: nunc autem eãdem in arte prodigiorum velut illustriore quodam paradigmate demonstramus.

Cur neglecta hactenus ea doctrina.

Credo equidem hanc doctrinam incultam antiquitus, ac propè ex desperatione relictam: vt nec vulgò certum in ea sit creditum artificij genus, neque peritiores huc aspirarint, quòd via lubrica, sublimis & præceps maximè, quodq; diuinitatis vocabulum suspectum semper, etiam inuisum pluribus videatur: præsertim cùm ex tam variis obseruatis, ad prænotionis vsum nihil ferè vel certum, vel solidum hactenus ab vllo philosopho sit constitutum. Verùm falluntur pluribus modis, dum quod viarum errore cõtingit, arti tribuũt: cuiusmodi ferè 4. sunt. Primò ob genus euentus, quòd incerta sint, vel ambiguæ potius, plæræq; similitudines, quas quisque scilicet pro affectus varietate rapit in partes suas. Deinde ob temporis rationẽ; quòd quando existiment vulgo euentus è vestigio secuturos, absint tamen longissimè, iuxta eminentiam loci in criticis signis, nec non ipsius spectaculi dignitatem: nam significationis tempora sæpe per dierum numeros, certosq; circuitus, sæpe per septimanas, menses & annos diximus definiri, secundum reuolutionis differentiam in cæ-

4. Præcipui fontes errorũ quibus ea cognitio hactenus obscurata est.

lestibus

testibus locis: vnde alia Solis, alia Lunæ directiones, aut firmamenti, aut primi mobilis rectissimè statuantur. Tertia difficultas propter significatarum rerum modum & speciẽ: dum sæpius hæsitatur an ad ortum rei decreta pertineãt, an ad vigorem potius, an ad occasum, rerumq; contrariarum vicissitudinem. Sic stella ante salutis auspicium, natiuitatem Domini saluatoris indicauit quampaucissimis: religionis mutatio, ac præcipua vis non nisi lõgo pòst tempore cognita est, quam tamen & illa certissimò designabat. Postremo & locus euentuum, incertis animis artem suspectam fecit: quòd sæpe portenta alibi fiant, alteri tamen regioni futura decernant: idq; vel lege consortij, vt dolores capitis affectum ventriculi vel vteri denotant, vel quòd ægrotæ partes in vniuersonali seminaria etsi contineant, interdum tamen serius persentiscant, sensus iudicio per affectionem peregrinam penitus obscurato: vnde & purioribus locis diuina spectacula purius fulgent: quanquam ad curationem ægrotis partibus ostendantur. Accedit his omnibus abusus pestilens, qui multos à limine terret, dum plerique auream illam dependẽtiam rerum è medio tollunt, vel etiam huic ipsi nimium tribuentes, artem obiiciunt contumeliæ. Sed his responsum est alio loco, ac nos iamdudum aliam longè, aliam hanc artem esse monstrauimus: Quæ si in administrandis familiis, ciuitatibus, regnis, decoris & ornamenti plurimum adfert, plurimum voluptatis, vtilitatis ad præcognitionem euentuum, præparationem animorum atque remedia, quis dubitat demũ in omnem philosophiæ partem, præsertim medicinam & mathematicam, fructus inde vberrimos prorogari? vt illud immensum occultæ proprietatis pelagus, illud diuinum Hippocratis & abditum, sepultum in naturæ gremio cõsequatur, quæsitum certè à pluribus maximis viris, sed nunquam satis pro dignitate tanti philosophi explicatum? Nam & occasionis præ-

Turpis insciatia eorum qui vel iusto amplius tribuunt vel nihil concedunt præsagiis futurorũ.

Rursus plura de præstantia & dignit. artis cosmocrit.

Ad medic. & mathem.

nis præcipitis, quæ circa praxim vertitur, obseruandæ ratio, & præsagiorum maxima pars, (vt quæ ex insomniis petitur, quæq; per criticos dies ex signis certissimis, & rerum cælestium analogiis optimè constituta est) imò vniuersa humanæ naturæ cognitio, temperamentorum, humorum, spirituum, facultatum, causarum afficientium, affectuũ & præsidiorum abstrusissima ratio, hac sola ferè doctrina fulcitur, alitur, perficitur, exornatur, imò hac destituta emoritur statim, restatq; velut cadauer exuccum, marcidum, extincto calore natiuo. Nãque alia via præuidere poterit medicus, vel auertere, vel præcognitos expugnare grassabundos populariter morbos, κὴ τὰ ἐνδήμια κὴ τὰ σποραδικὰ νοσήματα, nisi tempestates antè prænouerit, ventorumq; appulsus varios, naturarum congruentias ad peculiarem genium loci, atque hominis laborantis, ortus item occasusq; syderum & cõgressus, deliquia solis & lunæ, meteorum apparitiones, ignis, aquarum, diluuia cuncta, deniq; in ambitu mundi, quæ non solùm legitimè, vel causis purè naturalibus fiunt, sed & supra naturam vel captum mentis humanæ. Sic enim de furore virginum singulari libello scripsit Hippocrates. Sic & Epidem. 3 morbi genus portentosum penitus exarauit, quo pili defluerent, ossa nudarentur, multis & cubitus totus aut brachium excideret, genitalia computrescerent, omniũ deniq; symptomatum conspiratio ferè vt hodie in lue Gallica siue Hispanica: nisi quòd tum materies biliosior, inflammatior, atq; ex erysipelatis, vel ignis sacri violentia celerius interirent; in hoc verò omnia salsam pituitam referant, vel adustum humorem ac melancholicum: mihi potius putrefacti seminis virulentia grassante potissimum in spiritũ fixum, & partes solidas consequi videantur, accedente supernorum corporum vi, quæ ad producendos eiusmodi morbos, vel extimulandos potius, imprimis est efficax: nam cũcta morborum semina

Virgineus furor.

Morbus gallicus tempore Hipp. visus.

femina in ipsius materiæ receptricis insolentia latent, & latuerunt hactenus, nunquam intermoritura, dum orbis permanet, sed in apertum proditura vbi à cognatis causis motricibus excitantur, vt superius declaratum est. Neque verò in morbis duntaxat quod rarum est maximè, quodq; diuinum scripto mandauit Hipp. sed & causas diuiniores annotans, apertè tum terræmotus, tum triniti syderis mentionem fecit, euentusq; conferens in humano corpore, viam in aliis obseruandi similiter commonstrauit. Sæpe & aliàs discẽdam non modò geometriam medico, & arithmeticam censet, (vt in epistola ad Thessalum filium, lib. De aëre, aquis & locis, lib. De flatibus, lib. 1. De diæta, & locis aliis infinitis) sed & sapientiæ, prudentiæ medicũ contubernalem facit: nec vspiã patitur illius artem à toto bonarum artium circulo, ab vlla facultatum superiorum cognatione seiungi. Galenus quoq; medicum non putat esse perfectum, nisi philosophiæ triplicis magnarumq; virtutum nominibus exornetur: virtutis autem ceu prima cunabula quisquam non malè forsitan in rerum diuinarum amore, & consyderatione sedula collocarit. quippe quæ mentem expurgat, nec trahi deorsum sinat, quæ perturbationes ex rebus aduersis molliat, atque componat, ex prosperis conceptam insolentiam frangat, retundat, rediget: ne animus luxu exuberãs submergatur, aut ambustus, aridus nimia cupiditate dissiliat, vel spe, metuq; semper anxius distrahatur: quæ denig; in omnibus, ad honestatis officia, ad modestiam, mansuetudinem, amorem patriæ, parentum, præceptorum, vinculum religionis & pacis, siue concordiam adhortetur: ægrota interim & sana pectora multiplici voluptate perfundens, dum præteritis præsentia, & futura comparat, in omnibus inuenit quo se roboret, recreet, consoletur; quoq; opificis sui gloriam, proüidentiam, curam; suam contrà anomaliam, negligentiam, atque torporem, suos mo-

Hipp. prodigia consyderauit.

Vsus cosmocrit. ad veram sapientiam comparandã.

res improbiſſimos, & malefactorum merita tanquã in ſpeculo apertiore cognoſcat. Quid quòd hoc munere (conuerſionis ſcilicet mentis in ſemetipſam) omnium tãdem bonorũ compotes ſimus? Plato enim incantamenti magici peritiam in oratione collocat, cui vis inſit à Deo, & à philoſophia ratio, vt audientibus quoque temperantiæ amorem poſſit inſerere, vis etiam qua mens in ſeipſam reflexa ad excantãdum Deum, incredibilem efficaciam conſequatur. His gradibus ille diuinus vates in pſalmis ſuis, per naturæ theatrum ampliſſimum ſurſum, deorſum, in orbem ſæpius ſeſe conuertens, diuino colloquio fruitur, æternorum particeps Deum votis alligat ſuis, Deum defixa meditatione contrectat, & in ipſum penetrans propè tranſmigrat: dum eius miranda opera, infanda prodigia cantat, dum totus amore diuino ac ſpeculatione temulentus, nunc queritur atque expoſtulat circa res humanas, nunc indignatur in impios, cum Deo tonãs & fulgurans, nunc laudat prouidentiam, extollit miſericordiam & veritatem, gratias agit, & ſpe futuræ felicitatis cõſolatur: his denig; gradibus à conſyderatione partium humanarum Galenus quantumuis gentilis, in Chriſtianam legem iniquus & impius, in vnius tamen opificis laudem euehitur tandem, hymnisq; concelebrat. Quanto verò id magis nos facere decuit, ſacro illius flumine & ſpiritu candidatos, redemptos ſanguine pretioſo, innumerisq; hactenus beneficiis auctos, etſi illius gloriæ vel momentum aliquod nec vlla capit ingenij vis neque oratio: quin Angeli Dei (nedum homines) eiuſdem intuitu penitus obſtupeſcant. Dicam cum Pſalmographo,

Oratio coram Deo fuſa incãtamenti magici vim habet.

Vſus coſmoc. ad aſcenſus animorum, deſcenſus, atque circuitus.

Concluſio operis.

Cæli enarrant gloriam Dei, &c.

PARA-

PARAPHRASIS
DEO OPT. MAX.

QVàm Deus æterna ſit maieſtate tremendus,
Quantus amor noſtri, qualis ſapiẽtia, ma-
gnum
Hoc animal (mũdum) iuſta quàm lege gubernet;
(Cur dubitent homines?) ſtellæ, cæliq́ loquũtur.
Ipſum opus artificem probat, hoc opus illius ingens
Auguſtum ſolido lucis curuamine templum.
Vim VERBI, *facies rerũ quo condita primũ eſt*
Vna dies aliæ eructat, nox altera nocti:
Ordine dum ſtabili cuncta, & ratione feruntur.
Non tamen humana videas ea voce profari,
Quam locus impediat, vel ſtricti terminus æui,
Quo minus arrectas volitando perſtuat aures,
Aut mentem ambiguam manifeſto in lumine firmet.
Illa agilis circum terras, circum æquora pontĩ
Labitur, & leni ſubiens cum murmure vaſtum
Qua patet, infandis implet concentibus orbem.
Nonne vides, vt in his magno ſit regia Soli;
Solis inacceſſi viuum teſtata decorem?
Qualis enim ardenti ſponſam complexus amore,
Vt circumfuſo fœcundum lumine pectus
Imbuerit, thalamis ſic ſe exerit impiger ille
Exiliens, fortiq́ inſiſtit mole gygantis,

Vt rapiat celeres extremo à cardine currus,
Dum toti insinuet mundo vitamq́, caloremq́,
Et cita præcipiti se voluerit orbita cliuo,
Rursus ad extremum incipiẽs iam velle reuerti.
Scilicet has leges, æternaq́, foedera rebus
Imposuit Deus, vt solidæ exemplaria legis,
Quæ cæcas hominum mẽtes, quæ squallida turpi
Corda luto lustrans, supera ad conuexa referret.
Lex ea LEX DOMINI *est, monitus sine la-*
be fideles,
In pueros sacræ saliens sapientia venæ.
His impressa boni vestigia, luce serena
Eripiunt noctemque oculis, animisque dolorem.
Sanctus es, O sanctus Domini timor, omnia vincis
Sæcula: iudicium Domini sine fraude doloque,
Res hominum numero, mẽsura & põdere versat:
Huic ego non aurum, non quas tulit India gẽmas
Prætulerim, aut quouis redimendos ære lapillos:
Non vel apum dulci saturata examina melle,
Non sequar ante vago fluitantes nectare riuos.
Nam tua summe parens, tua nobis alma volũtas
Hinc patet, atq; imis habitat signata medullis:
Vt quoties operum cultrix industria vero
Fixerit accliues animos, æquauerit orbeis
Vnius ad centri radium, temone sub vno,
Nulla dies iusto, nullum sine numere tempus
Prætereat. Quanquam nostri quæ gratia facti

Vt cæcos videat fandi, infandiq́ recessus?
Tu mihi qui potis es solus, tu pectus ab omni
Et liquido, & tecto vitiorum semine purga,
Antè ferox tenui quàm crescat fomite flamma,
Indomitasq́ trahant lentando incendia vires.
Tunc mihi læta domus, celeri subducta ruinæ
Solennes agitans pompas de more, trophæum
Eriget, & festos excussa labe triumphos.
Sint tamen hæ voces, alto hæc suspiria fundo
Ante aures, oculosq́ tuos, ante ora, manusq́,
O genitor, velut incensi pia victima cordis,
Quæ sursum assidue liquefacta carne vaporet.
Quando aliud non sit, quo te dominumq́ deumq́
Concelebrem, cuius flagranti spiritus aura
Dat vitam, redimitq́, & pectoraluce resignat.

DEO VNI TRINO GLORIA
IN EXCELSIS.

Non nobis Domine, non nobis: sed
nomini tuo da gloriam.

PIO LECTORI,

Ad equitandos errorum omnium, ac superstitionum scopulos, orationis lustratoriæ succincta μετάφρασις.

Propositio.

IAMDVDVM illud te Christianiss. lector etiam atque etiam admonitum volo, in huiuscemodi traditionibus plæraquè occurrere quę quamuis ad pietatis cultũ, ac Dei gloriam nobis præcipuè dirigatur, subinde tamen incautis ingeniis offensionis, erroriscq; multiplicis offensionem facilem subministrent: si prima duntaxat fronte plęraq; decerpta conspexerint, omissis cæteris quæ ad purgationem filo orationis perpetuo copulantur: si & animus antè vel superstitione praua, vel cupiditate infectus fuerit. Si contra Platonẽ, vel illius sectatores ex professo & quasi ab ineunte ætate suscepta sit concertatio. Nã eius doctrina quantumuis ad pietatem Christianam in multis accedat, in aliis tamen plærisq; vetustæ idololatriæ, & magicæ quædam vestigia reseruauit: ideoq; cum illa philosophia euangelica, ex fonte veri purissimo data, quamęgerrimè coalescit. Verùm ea offendiculi promptitudo sæpe non tam ex iis principiis veterum, ac traditionibus scriptis, quàm nostri iudicij mãca synceritate dependet: quoties nimirum ceu nodos in scirpo quęritãs ab obuiis quibusq; promptè sit irritabile: neq; aurum ex sterquilinio veterum ritè discernit, nec durius dicta mollius paulo velut secundum similitudinem vel allegoriam prodita, in vsum vitæ, atq; subsidium facultatis melioris possit arripere.

Platonis principia quàm cautè sint attingenda.

Quomodo sit illis vtẽdum.

Auctoris protestatio.

Proinde nequid alicubi videar extra vnius sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritatem asserere voluisse, testatum hoc retuli rursus ad operis calcem, ac velut in tabula comprehensum, quo contra calumnias hominum,

minum, optimarumq; rerum abuſus peſſimos equis & armis obſiſtam: me totum toti huic vni & ſoli in omnibus S. Eccleſiæ poſito faſtu, & mentis inani præſumptione ſubmittere: vt ſiquid inanius dictum aut minus decretis S. ſynodi conſentaneũ, velut non dictũ intelligant, aut lima aſperiore, aut forcipe lęuigãdum.

Platonis principia ſemper eorum numero duxi quo ſunt ancipites gladij, & ferramenta ſiue aculei oppidò penetrantes: quorum vſus inſignis, ſed pro abutẽtium modo oppidò periculoſus. Nam vt multi etiam præſtãtiſſimi viri circa doctrinam Chriſtianã eius ſęcuti ſint methodum & theoremata non tantùm non infeliciter, ſed & cautione ac dexteritate mirabili: ceu B. Dionyſius, Auguſt. Baſilius, Chryſoſtomus, Nazianzenus, Philo, &c. ſiç tamen in aliis eodem ductu ſæpe ad lapſus grauiores præcipitium venit: quod in Origene, Lactantio, Porphyrio & multis adeò iſtius ætatis hæreticis liquidò patet. Verùm vnius materię vitio, ambitionisq; merito illa effectionum contrarietas ſurgit, dum nullum in rebus intelligibilibus concipit modũ, ſed vltra humanæ cognitionis ſepta procurrit. Velim hîc diligenter perlegant omnes, atque examinẽt, quod philoſophus Areopagita ad Polyçarpum Smyrnę epiſcopum epiſtola 71. ſcribit his verbis: Tu autem dicis ſophiſtam illum Apollophanem in me maledicta cõgerere, meq; vocare parricidam, quaſi qui Græcorum ſententiis aduerſus Græcos prophanè ſim vſus. At certè verius hæc conueniebat nos inferre aduerſus eũ, nimirum quòd Græci aduerſus diuina minus ſanctè vtantur diuinis: quum per ſapientiam Dei adnitantur latriam veram, deíve cultum excludere. Ex eorum enim quæ vſquam ſunt cognitione (quæ ab ipſo non malè Philoſophia dicitur, & ab admirabili Paulo Dei ſapientia vocata eſt) conueniebat iſtos, ſi modò pergerent veri eſſe philoſophi, ad rerum omnium, omnisq; ſcientiæ auctorem principem promoueri.

Platonis doctrinam eſſe prout animus ſit illius qui poſſidet.

Scopuli Platonici.

Principiis Platonicis aliquã do non incõmodè res etiã diuinas maximè demonſtrari.

Artem itaque hanc conſtituimus in cõtemplatione

Cur contemplationem hanc diuinorũ artis vocabulo inſignierimus.

τῷ θεῷ, siue diuini: non quòd putemus id vllis humanis viribus comprehendi, vt sparsim ac locis pluribus demonstraui; sed tantùm quopacto diuini amoris, iustitiæ ac sapientiæ characteres in rebus naturæ conspicuis (si quando mittantur diuinitus, vel ab orbis initio sint insculpti) debeant animaduerti: non tam ad improbos vsus, prędictionémue certam aut definitam, quàm ad honorem opificis ex ipsis operibus æstimandum; ad præteritorum scelerum memoriam, ac pœnitentiam; ad suspicionem præsentis numinis venturæque punitionis aut præmij, iuxta apparentem, probabilem similitudinem, analogiam, aut conspirationem partium in vniuerso. Magna istius pars, vt nuper docuimus, planè est supra naturam, quò solus peruenit intellectus inspiratione diuina: ratio nõ attingit, nisi per abnegationem forsitan naturalium rerum. In purè naturalibus rationale iudiciũ vel maximè pręstat, verùm & notionibus intellectus & phãtasiæ inferioris simulacris sensibilibus alligatum. In illis verò quę locum medium sortiũtur, vti sunt ferè prodigia, portenta, insomnia, cautè admodum procedendum est. Nam sæpe ex ratione recta aptissimæ rerum similitudines fluunt: sępe has sibi confingit animus nequam, atque abutitur tum Dei muneribus, tum pernicitate ingenij sui. Quare distinctio veri atque apparẽtis tantùm, à Deo imprimis atque ab ecclesia in singulis expectanda est, iuxta illud, Probate spiritus num ex Deo sint: sæpe tamen iuuatur auspicio scalæ, quam nos iuxta Platonis methodum, imò totius naturæ ductũ in vniuersi systemate fabricamus.

Partes istius artificij tres natura oppidò diffidẽtes, similiter & inquisitionis instrumenta

Cùm mundum hunc animal vel in omnibus omnia definimus, idem est sermo qui quondã Platonicis fuit, quemque & Galenus vsurpat sibi in Oratione protreptica: quando in brutis appellat λόγον μὴ κτητὸν φωνὴν, ὃν ἐνδιάθετον ὀνομάζουσιν, ἀλλ' ὃν ἐνδιάθετον καλοῦσι. id est rationem non enũciatricem, sed occultam aliquam velut in diathesi: quæ sit nimirum iuxta ordinis analogiam:

Iuuatur hac arte res theologica, vti quoque per dialecticen aliasque literas humaniores. vide Nicephorum.

Mundus quo pacto animal non absurdè etiam à Christianis Platonicis appelletur, atq; omnia in omnibus esse dicantur.

Bruta rationalia.

giam: ſiue, vt planius loquar, ęquiuocè dicta, quęq; ab vno in infinitam materiem, certo participationis interſtitio ſit prorogata. Neque propterea vermes & pecora facimus verę conſortia rationis: hanc enim diſtinguit alterius generis ordo, qui ſecũdum categorias 10. ab Ariſtotele preſſius exaratur. neque propterea mũdi partibus Deum velut animam illigamus: ſed naturam quampiam, vel poteſtatem aſſiſtere ſuſpicamur, vt gubernatorem clauo, ex illius ſinu abditiſſimo profluentem. Deus enim omnia ſicut voluit fecit, neque deinceps his indiget inſtrumentis, vt quicquam amplius præſtet: verùm vtitur tantùm, ad exhibendam mortalibus ſuæ ſapientiæ vim, pulchriq́ue totius ordinis œconomiam: quò ſanè ſolummodo ars omnis eiuſmodi, & ratio ſiqua permittitur, penitus referenda eſt.

Quæ ſit anima mundi.

Non videtur adeò ab hiſce duobus axiomatibus vel artis nuper traditæ fundamentis, abeſſe diuinus vates pſalmo 138. Domine probaſti me, &c. Primò etenim vim diffuſam per omnia docet ita exclamans, quò ibo à ſpiritu tuo, & à facie tua quò fugiam? &c. Tenebræ non obſcurantur à te, & nox ſicut dies illuminabitur. Fortè nec illud ideis abſonum, (ſi quis dictum Platonis amicè ferat) Imperfectum meũ viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribẽtur: vertit Flaminius, & in libro tuo ſcripta ſunt omnia membra mea: B. Arias Montanus doctiſſimo carmine tranſtulit.

Confirmatio principiorum artis ex Dauidicis pſalmis aliiſq́ue auctoribus ſacris.

Indigeſta tuis maſſa mea & rudis
Perſpecta eſt oculis · membra libro in tuo
Deſcripta extiterant, ficta diebus in
Queîs nec defuit vnicum.

Verùm de hoc archetypo pluribus Philo lib. De opificio mundi.

Quòd autem in pluribus auctoritatem Mercurij, Procli, Iamblichi, aliorumq́; conſimilium preſſius ad excutiendos rerum conſenſus adduxerim, non ideò illorum vel ſacrificia vel ideas tanquam extra diuini luminis radium res perfectè ſubſiſtentes, ac ſeparatas

Quopacto liceat Chriſtiano philoſopho ritus ſuperſtitioſos veterum allegare atque ſententias.

accipimus,non compoſitiones magicas, non augurio-
rum,ominum,ſomniorumque obſeruationem vaniſ-
ſimam ſimpliciter approbamus:ſed tantùm pleraque
poëtico ſtylo ac per μετάβασιν in exemplum trahimus:
neque rurſus vt idem perpetuò in iiſdē generibus imi-
temur;ſed potius tranſlati à ludicris rebus ad res verè
diuinas,ſenſim aſſueſcamus in cunctis effectuum,cau
ſarumque conſenſionem pulcherrimam ſub rudiore
formula deſignare.Quòd ſi enim apud gentiles hacte-
nus dæmon in multis effecerit, vt apparentibus ſignis
effecta per notas myſticas conſentirent:ſanè hūc præ-
ſtitiſſe talia ad æternorum æmulationem aliquam ve-
ro ſimillimum eſt,cùm in omnibus diuina quàm fieri
poſſit veſtigiis proximioribus inſequatur. Quę tamen
ſi tulerit Deus à dęmone perpetrari in infidelium tur-
ba;quid vetat,hominibus Chriſtianis,adminiſtrātibus
angelis bonis,conſenſum hunc vniuerſi contemplabi-
lem permanere in quoddam ſubſidiū rationis, vt pau-
latim à ſenſibilibus ſimulacris ad verè intelligibiles
notiones,à ſenſu ad phantaſiam, ab hac ad rationem,
mentisque ampliſſimam lucem velut per gradus indu
cta conſuetudine peruolemus ? Sic tamen vt triplex
vbique ſit firmamentum;ne vel particulatius inquira-
tur quàm lex diuina & ratio iubet, vel ſine hypotheſi
quod illa minantur indicia ratū perpetuò cogitemus:
vel extra diuinam gloriam, noſtriq; correptionem fi-
nes alios arbitremur, ideoque inſanam in iis fiduciā,
aut ſpei metúſue defixam imaginem ſtatuamus : hoc
enim obſeruationis illicitę,vel περιεργιπήσεως nomine a-
pud ſacros antiſtites ſcriptum puto . cùm ſi nollent li-
teræ ſacræ ſtellas,portenta,prodigia ab hominibus cō-
templari: fruſtrà mehercule ab iiſdem ſignorum no-
minibus traderentur : fruſtrà ſit accuſandus Pharao,
Nabuchodonoſor,Balthazar:fruſtrà per nutus & ſig-
na ſit Deus cum ipſis terrigenis toties colloquiū ha-
biturus. Verùm quid multa moror?quātopere hęc ob-
ſeruatio ad Chriſti gloriam & propagationem fidei
ſemper

Natura ſpectabilis data in ſubſidium intellectus & rationis quādiu ſenſubus alligatur.

Obſeruationis piæ legitimus modus.

Signa non fruſtrà diuinitus præmonſtrari

Ad Chriſti gloriam ſpectare vt ſigna prærenta ac præſentia contemplemur

ſemper effecerit, docet Ignatius martyr epiſtola ad Epheſios: ſenſerunt olim 3. magi; ſenſit B. Dionyſius, vt præclarè teſtatur epiſtola ad Polycarpum, vbi & eclipſim ſolis quæ contigerit Chriſto in crucem acto, verbis ex obſeruatione propria planiſſimis explicauit, etiam mathematicis argumentis in ſubſidium aduocatis, quibus vrgeret ſophiſtã Apollophanem, eò vt totam fuiſſe perſpiceret ſupra naturam: atque ita paulatim ad veri Dei cognitionem eueheret.

Solis eclipſis tempore B. Dionyſij.

Verùm dices fortaſsis artem non eſſe niſi deſcendat in ſingularia, vel certa ratione definiat. Artis hanc definitionem profectò à noſtra longius, ac veterum Academicorum conſuetudine relegamus: cũ alioqui propter occultas proportiones, & quantitates nulla nobis hoc nomine vel certa ſcientia, vel artis integritas relinquatur: vt planius in apologia ſequentis libri, cõtra eos qui aſtrologiam vniuerſam iuſto acerbius inſectantur. Cunctarum artium ratio ſemper eſt vniuerſalis, operatio circa res ſingulas exercetur. Verùm & inter artes communiones alias aliis, ac velut ſubalternatas voluit Plato. Communiſſima cæterarum eſt metaphyſica, cui germanã fecimus ordinum doctrinãvtiliſſimã, quam cyclognomònicen appellaui. Deinde & hæc de diuinis characteriſmis ſuſcepta oratio, quòd vtraque ferè doctrinam metaphyſicen cum naturali & mathematica perpetua quadam cognatione deuinciant, vt qui nõ omnes ſaltem à limine ſalutarint, minus iidem in iſtis intelligant, præſertim quod ad ipſius doctrinæ præcipuum fundamentum.

Artis ratio vniuerſalis nõ neceſſariò ad ſingularia detorquetur, neque praxim poſtulat definitam.

Quòd naturæ quandoque beneficio dixerim vates naſci; conſpirare intelligo non neceſſariò quidem, ſed ſæpiſſimè, aptitudinem materię etiam cum aſpiratione diuina, vt figurarũ *συμμετρίων, συγκρασίων* paſſibilium qualitatum. Sic in obſeſſis vt plurimum fædus, tenebricoſus, ac lutulentus ſanguis apparet ceu bilis atræ turbidum craſſamentum; vates autem puriores, ferè & alterius generis melancholiam obtinent puram ac

Hanc artem ampliſſimam eſſe, & cæteras ferè ſuo ambitu ſuperare.

Vates naſci quopacto dixerimus.

defæ-

defæcatam non tam in humoribus ipſis quàm in habitu corporis, in ſplendore frigido ſicco ipſius cerebri vel partis pſalloeidis reſidentem, etſi prima intellectus agentis efficacia, virtutumque dimanatio ſit à Deo. Loquor enim hoc loco præcipuè de receptrice vi, ac poteſtate materiæ.

Portentum Ezechiæ regis aſtrologicæ rationi conſentiẽs latius explicatur.

Portentum Domini apud Ezechiã planè diuinũ & metaphyſicon fuiſſe nõ dubitamus: ſed voluiſſe Deũ, vt rebus cæleſtibus conueniret ſuſpicor tantùm, non audacter affirmo: neque enim à conſiliis fui: preſſius illud apud ſe cogitent ſtudioſi, quòd in plærisque directionibus aſcendentis, vel anatolici puncti, alteriúſue Aphetæ ad Anæretam, exactè quindecim gradus Zodiaci reſpondeant 10. gradibus, vel lineis æquatoris: quorum ſingulis ſingulos annos magna ex parte congruere non ſolùm Arabes, ac Græci aſtrologi prodiderunt, ſed etiam in multis confirmat experiẽtia. Deprehendes ita ſe rem habere, ſi in aſtrolabio vel planiſphęrio o ♎ in horoſcopo ſtatuas: ac tum à 29. ♉ in cæli medio conſtituto, directionem in æquatoris limbo retrogradam ducas. Certum eſt autem antiquitus horologia regum fuiſſe ad planę ſphęrę ſimilitudinem fabricata.

Excuſatio circa hiſtorias.

Prodigiorum generibus ſingulis quę mox ſequerentur celebriores hiſtorias copulaui: non quòd ſemper, vt cauſis effectus ſuos vel ſigna rebus ſignatis propria conſtituerim: ſed vt ad huius methodi normam, notionibus intellectus ad viuam hiſtoriam comparatis, altius apud ſe cogitent omnes, num tales euentus tali principio profluentes, tali indicio fuerint diuinitus præmonſtrati.

Epilogus.

Poſtremo ſit iſtuc & palam, & breuiter dictum: in cunctis naturæ partibus, non tam definiendi, prędicẽdi artem, aut operandi à nobis traditam eſſe, quâ contemplãdi rerum ſimilitudines, diſſimilitudines, (Græci ἀντιπαθείας καὶ συμπαθείας vocant) idque ad honorem altiſſimi, vtilitatem publicam, & ſubſidium artium aliarum,

rum, quibus vel maximè hoc opus eſt inſtrumento: quo ſi careant, mox vti corpora ſuo deſtituta ſucco & ſanguine contabeſcant. Quod autem ad obſeruationes definitrices, abſolutas, nullisque conditionum repagulis illigatas: teſtor cum Dauide,

Beatus vir cuius eſt Dominus ſpes eius, & non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas. Concluſio ſumma.

FINIS.

Hunc librum cenſeo catholicum eſſe, & varia eruditione refertum, nec quicquam habere offendiculi. Anno 1574, 2. Aprilis.

I. Molanus, Apoſtolicus & Regius cenſor.

D. CORNELIO

GEMMÆ ORNATISSIMO APVD LOVANIENSES MEDICINÆ PROFESSORI,

IACOBVS CARPENTARIVS S.

LITERÆ *tuæ Ornatiſs. Gemma, comites operis tui multarum vigiliarũ, cuius nos participes eſſe voluiſti, mihi ante aliquot menſes tam gratæ extiterunt, quàm iucundum eſſe debet homini ſedulò in rem literariam incumbenti, etiamſi in hac vix quicquam adhuc ſit conſecutus, apud eos bene audire qui in eadem ſint melioris notæ. Vtinam verò quippiam in prõptu eſſet, quod pro illo tuo amplisſimo munere poſſem reponere. Mitterem profectò lubentiſsimè, atque eo lubentius quo mihi grauius eſt hoc tibi tam diu debere. Sed publica horum temporũ calamitate ſic noſtræ Muſæ perturbatæ ſunt, vt quanquam nonnulla philoſophica, & medica habeamus in manibus, nihil tamen poſsimus edere, niſi ſole renaſcente rerum meliorum ſpes nobis affulgeat. Quin potius valde miramur, in ea perturbatione quæ vos paulo antè exercuit, tibi tam alacrem animum perſiſtere potuiſſe ad ea ſcribenda, quibus nihil vnquam legi ſubtilius,*

ſubtilius, nihil reconditum magis, ſiue cum veterum Platonicorum & Peripateticorum, ſiue cum recentiorum quorundam in eodem genere argumenti ſcriptis iſthæc ſint conferenda. vt me non mediocriter eo nobilitatum exiſtimẽ, quòd in tãti operis tui cyclognomici particulam potuerim irrepere, & in quæſtione de methodo ei aliqua ex parte placere, qui in eadem multa habet quibus longo interuallo alios ſuperaret. De quo plura ſcriberem, ſi mihi aliquid temporis is dediſſet qui tibi has redditurus: Qui quanquã iam iã viæ ſe committeret, nolui tamẽ vt abiret ſine literis, raptiſſimè quidem ſcriptis, ſed quas eſſe optaui teſtes deuinctæ meæ erga te voluntatis. Si quid erit apud nos quod Carpentarius tuo nomine poſſit, ſenties hominem in reſpondendo non ingratum, ſi modò tantum poſſit quantum tuo nomine lubens præſtabit. Bene vale Ornatiſs. Gemma. Datum ex Vrbe vij. Idus Iulij, Anni 1570.

FINIS.

CORNELII GEMMÆ
LOVANIENSIS REGII
MEDICINÆ PROFESSORIS

DE NATVRÆ DIVINIS CHARACTERISMIS;
SEV

Raris, & admirandis ſpectaculis in Vniuerſo;

TOMVS SECVNDVS,

quem

IANVM TRIFRONTEM *placuit appellari.*



ANTVERPIÆ,
Ex officina Chriſtophori Plantini,
Architypographi Regij.
M. D. LXXV.



PHAENOMENON SYDERIS NOVI ANNI MENSE NOVEMbri anni 1572. ad Aprilem 1574.

Quæritis ex vna duplex, ex duplice triplex
Cur data ſit facies, os, habitusque mihi?
Dum latebras hominum, dum facta, & præmia facti,
Quæ ſunt, quæ fuerint, quæque futura noto:
Infima dum mediis apto, mediumque ſupremis,
Nec facies faciunt, mille nec ora ſatis.

IANVS TRIFRONS,
SEV
PARAPHYSICÆ CONSYDERATIONIS PARS ALTERA:

Quæ ex mirandis noſtri ſæculi Phænomenis, res præſentes præteritis atque futuris comparans, ſupremos ſtatus, medios, infimosque vehementer erudit, rerumque humanarum conſenſus apertè demonſtrat, cum cæleſtibus atque diuinis.

I. PROOEMIVM ISAGOGIVM.

Contra calumniatores artis Coſmocriticæ, eosque qui vel prædictionem penitus nullam ferunt, vel vltra fas hominis moliuntur.

NATVRAM *cẽſet Hipp. lib. περὶ νούσων quamtumuis ſublimem, in ſalebroſis & aſperis collocatam, ad ſui tamen inquiſitionẽ certis quibuſdam gradibus iter planiſſimum ante ora mortalium fabricaſſe, quippe quæ rebus genitis totam ſe totam permiſceat, ordine certo & ſapientia omnia tranſformans ſeſe in miracula rerum. Eadem certè ſi his adfuerit qui mentem artibus applicarint, perfectos fieri, ac ceu fœcundo alicui ſolo commiſſa diuinitus rerum optimarum ſemina, in frugem præclaram adoleſcere demonſtrauit. Nam quòd diuinæ mentis particula molem hanc ampliſimã regat, verbo quoque explicuit dicẽs, νούσων φύσεις ἰητροί. Naturã ſcilicet nullo præceptore edoctã, καὶ αὐτοδίδακτον* prur-

Naturæ lex certum inquirendæ veritatis auſpicium.

Naturæ morborũ Medicæ.

prorſus ea quotidie facere, quæ ne excogitari quidem ab ingenioſiſſimo quouis artifice poſſint, nimirum auguſtius multo naturæ vocabulũ illic vſurpat ſibi, pro vniuerſitatis totius apice ſiue faſtigio. Vidit & huius vmbram Galenus, dum ſingularum in nobis partium vſus & facultates accurata induſtria perueſtigat. Vidit & noſter Maro vel in inſectis, & minimis quibusq; particulis mundi, ſic diſſerens Georg. 4.

Naturæ vis & ratio à ſummis vſque ad infima propagatur.

His moniti ſignis, atq; hæc exempla ſecuti,
Eſſe apibus partem diuinæ mentis, & hauſtus
Aethereos dixere: Deum namq; & ire per omnes
Terras q;, tractúſque maris, cælúmque profundum.
Hinc. &c.

Quò magis nunc miror inuenta hominum monſtra eiuſmodi, tam fera & barbara, quæ non ſolùm artes atque ſcientias naturæ præſtantiſſimas dotes, armis & equis proſundere ſint conati: ſed & obliuionẽ earum, odium atque contemptum venturis ſæculis offundere ſempiternum. Optauerim mihi (ſi verbis & eloquentiæ robore contra hoſce Gygantes ac θεομάχους ſit diſſerendum, quando horum Sophiſticis logis, ac rationibus bracteatis, non minus laboret interdum veritas, ac ſolis lumen obiectu craſſioris corporis interceptum) optarem, ſi non qualis in M. Tullio fuit, (quam multi inimitabilem dicunt) minimam tamen venam ex illo fonte vberrimo in noſtri ſubſidium dimanare. Illud imprimis ſtudio foret palam facere, quanto in errore verſentur (errorem rectiùs, an obſtinatam malitiam vocem, neſcio) qui non ſolùm nexus continuos rerum in vniuerſo non recipiunt, ſed ne facultatem quoque qua, ſi ſint, humano capi ingenio queant. vtqúe planius dicam, Aſtra cenſent tãtùm ornatus gratia à primo opifice facta; cælúmque tot claris luminibus inſignitum, vt ſint nobis in ſigna & tem-

Primus error circa Præſagij facultatem à natura inſtitutã.

Stellę in ſigna & tempora quomodo.

& tempora: quæ duo turpiter ita cõiungũt, ac si sit in verbis commissa nugatio, nec velit Moyses summus ille orator atque Philosophus aliud per tempora, aliud verò per signa intelligi; sed idem sonaret ac signa temporum, tot orbibus illis, atque luminibus esse descripta. Sed melius eam sententiam Philo cũ alijs interpretibus ingenij purioris. Volunt præterea præter Solem, ac Lunã, stellas cæteras propè nihil efficere: sed solis luminaribus magnis relicta calefaciendi, refrigerandi, siccandi, humectandiq; potestate, cætera tantùm vt otiosas statuas vel indicia quædam in littore constituta nobis (si dîs placet) viam ad superos commonstrare. Vident & confitentur certum in illis ordinem, quem etiam negarent forsitan, nisi tot Eclipses, & Synodi planetarum, ad certa horarũ scrupula definitæ illorum inuidiam & brutam cauillandi licentiam paululum refrenarent. Vident hæc, inquã, nec, nisi sensu careant, ire inficias possunt: verũ inesse proprias vires partibus ita discretis, & tamen certa sapientia colligatis, penitus negant: nec vident illud grauius esse, quàm si dicerent in homine vnam tantùm inesse vim communem, vitæ rectricem scilicet, diuersam verò instrumentorum compositionem, substantiã, numerũ, figuram, situm, magnitudinem atque connexũ, ad vnam spectare opificis laudem, & mundi minoris ornamentũ, nulla propria vel peculiari facultate donari. Equidem vt reor ex illa connexus difficultate de rebus præstantissimis desperandi primum occasio nata est, atque vt ex ignorantia nascitur odium, ex odio ferè calumnia, eo se spacij reuocat humana felicitas, vt circa res etiam naturales, non solũ seipsam angustis carceribus stringat, nihilq; diuinum amplius animaduertat, sed ne inuentum quidem ab alijs ferat. Quin noctuarum instar suus se tenebris muniant, nihil aliud prætexentes, quã quòd Deus sit omnium

Cælestiũ corporum ordo certissimus.

1. Argumenta in aduersarios.

Cõtemptum inscitiæ soboles esse.

potens, nullisq; indigeat instrumentis, operum diuinorum ratio nobis sit inaccessa, nec possit animus vnquã ad tantum splendorem æternæ lucis attingere. Vera quidem hæc scimus & profitemur, si de exacta & definita tum rerum cognitione, tum prædictione loquẽdum est. Nam & Hipp. diuersis operum suorum titulus distinxisse videtur πρόγνωσιν *vel* πρόρρησιν, *quasi vnum in mente potius, ideóque & in communi positum res futuras paulo definitius comprehendat; alterum in opere, in prolocutione magis sæpe etiam ad modos earundem, loci ac temporis momẽta trahantur. Quæ quidem ratio quanquam sit lubrica, erroribus multis obnoxia, non tamen penitus à doctissimorum hominum ac sapientium consuetudine in exilium relegata est: sed conatus horum plurimos cessisse fœliciter videas, vbi adiuti methodo, certísque finibus insistentes, inter superstitiosas artis regulas (quæ sunt innumeræ, præsertim si Genethliacos libros, aut Chiromanticos libet euoluere) intérque veras, naturæ consentaneas rectè discreuerint: quò imprimis conferre diximus diuinæ sapientiæ spiritum, cui rerum exactæ proportiones soli sunt explorate. Secundaria verò ratione naturæ vim cœlitus haustam, accedẽte corporis temperamento, conspirantibus denique primæ institutionis elementis ac præceptoribus, addictione animi & consuetudine, labore, vsu & obseruatis, cunctísque occasionibus exterarum rerum, vt eleganter libro de lege Hipp. monet, ac nos superiore libro plenius cap. 7. Quòd si vel propter impostorum abusus improbissimos, veletiã ex humanæ mentis delapsu in corpus (vt libro Sapiẽtiæ Sapientissimus inquit) artes quo sint præstantiores, eo & offusa grauiori caligine inuoluantur: non tamen idcirco tollendus est ordo, vel pulchritudinis œconomia ab vniuerso: neque rursus vestigandi artem propter tenuitatem virium, ceu*

Prædictionis discrimẽ atq; præsagij.

quo pacto humanæ prædictiones sint limitandæ.

3. Cõtra ea quæ propter abusus quorundã & impostura obiici consueuerunt.

cen penitus nullam, vel saltem suspectam pluribus reddere debuerunt. Quòd si enim ob humani iudicij difficultatem, subiecti infinitudinem, vitæ breuitatem, artes calumniam promerẽtur: tollamus certè & Medicinã, cuius auspicio sic est præfatus Hippocrates, ὁ βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρὴ, &c. non deterrendi studio, quod in tanto Philosopho absurdum foret, verũ vt iniectis stimulis fortiùs animaret: magis multo fugiamus & vastum pelagus iuris vtriusq;, cui numquam exhausti satis: vitentur & scopuli quibus impingit nunc magna mortalium pars, oratione, scripto, domi, publicè disserens de natura dæmonum, angelorum, de Deo ipso, ac formis quibuslibet à corpore separatis. Sin potius ex abutẽtium vitio, ambitione, temeritate, inscitia, rerum expendenda ratio est, dî boni quantis illi sese angustiis implicant, atque à vera fœlicitate exorbitant! quid non calumniæ atque dedecoris in cæteras ingruet facultates, in artium opera & instrumenta? quid tandem non in ipsos etiam status, vitaque humana ordines metuendũ est? Iam eò venturos video vt cũ Luciano vel Epicuro nullam vel artem, vel numen admittant: imo de bonis omnibus desperantes, cũ Timone Misanthropo sese in solitudinem abdant, & vitam exosi in tenebris trahant, vitam in non sapiendo, vel etiam in ipsa morte iucundissimam arbitrati: contra quã Anaxagoras, qui se solius solis, soli, cælique contemplandi gratia natum esse dicebat: omnem scilicet viuendi finem & regulam cum specie humana comparans, quòd figura corporis recta, os sublime datum sit, animus verò discurrendi facultate perniciissimus: vt non solùm cæteris animalibus vel fortissimis dominetur; sed & naturæ viscera, & cælos vltimos cogitatione transcendat. Quibus quisquis reclamat, non modò se hominem non esse demonstrat, sed & naturæ opifici, nostróque generi aduersarium

Omnis humana scientia proprè coniecturalis existit.

Contemptus artium forè in Misanthropiam definit.

4. Cur figura hominis recta.

quã pernitiosus reip. optimarũ artium esse contemptus solet.

facit, dignum profectò, cui in solis Insulis, inter monstra ac prodigia detur non infimus locus, cũ horum spiritu venenato magnum illud naturalis prouidentiæ donum in mortalibus obscuretur; ruant mehercule omnes affectus erga optimas disciplinas; ruat omnis penè iucunditas vitæ; ruat denique diuinorum operum æstimatio, quando illa præcipuè per gradus, cognationésque mutuas singularum quæ sunt in mundo partium roboretur, vt vel ex D. Augustini, & beati Dionysij, Basilij, Chrysostomi, Origenis, Nazianzeni præclaris operibus liquet. Sed nos sparsim & breuiter superiore libro istorum pleraq; attigimus, quæ cũ superstitione generis vtriusque pugnarent, intérque Morosophos λογοδαιδάλους tam qui nimium, quàm qui nihil tribuunt, rem alioqui præclarissimam ab ancipiti vindicarẽt. quanquam & ipsa veritas cogente natura, etiam inuitis pectoribus sese insinuet, interdum & violenter erumpat, nunquam pulchrior, quàm vbi non aliunde quæsitis ornatibus circumlita fuerit, sed suomet habitu, succo, & colore polita. Nunc tantum quia μεγάλην σύνταξιν vniuersi & superiore libro & sequente proponimus instar præcipui fundamenti, nequa institutum nostrum remorẽtur obstacula, hic murus aheneus contra arietes omnium, ac tela sufficiet. quæcũque ab aduersariis dici, aut colligi possunt, (ceu quæ 12. voluminibus consarcinatis vndiq; Picus Mirand. contra Astrologos scripsit, adeò vt nihil in hac materie reliquisse posteris videatur. sed huius simiæ vel plenas inde paginas suffurentur, vel ne plagium suboleſcat, cundẽ coquant & recoquant, condimento scilicet paululum immutato, dum noui ferculi speciem repræsentet.) omnia sanè ex vno fonte, ijsdémque principiis proficiscuntur, odio partim vt diximus, & artis ignorantia. Nam & Picus indignè tulit præmaturam mortem sibi fuisse prædictam, vt

Cõtra Picum Mirandulanum breuiter.

Carda-

Cardanus refert: & quanquam præſagio ad amuſſim re-
ſpondit euentus, iuſta fuit indignandi occaſio, vel ob teme-
ritatem hominis, qui rerum nõ modos tantùm & ſpecies,
ſed & temporis ſibi momẽta in ſola cælorum vertigine col-
locaret. multa enim prædicunt eiuſmodi, ſed impulſu for-
tuito magis, quã methodo rationali: ac tum primo vidẽtur
ſibi veriſſimi, cũ ſemel potuerint nõ mẽtiri. Verũ ille con-
ceptis ignibus inflammatior, tandem & remos, & vela in
omnes promiſcuè vates, atque Aſtrologos concitauit. Mul-
ta magno ſtudio cõquiſiuit, ſi verba & folia ſpectes: ſi rem
ipſam, penitus nihil. non enim vſpiam artis fundamenta
conuellit, ſed artifices nequam, ſcurras & circumforaneos
prorſus, vt olim Medicinæ cauillatores, quorum conſimili-
bus argumentis reſpondet eleganter Hipp. lib. De arte, ac
lib. De veteri Medicina. Quin ſi vſpiam in artis ſpeciem
inuehi videatur, quid aliud ille, quàm ſuo ſeſe compungit
acumine, ac parum memorem docet eorum quæ in Hepta-
plo dudum antè perſcripſit: vbi concentum partium ſingu-
larum in vniuerſo, quem Timæus prodidit, doctrinæ Moy-
ſaicæ conſentaneum facit: cælum vt marem, terram vt fœ-
minam vocat: vim Solis, Lunæ, aliorúmque ſyderum, in-
fluere lucem, calorem, motum vel impetum, atque omni-
genas ſpecies in hæc inferiora, permittit. Sed ſi perluſtres
ſingula, quid eſt quòd artem crimineturquam prorſus nõ
intellexit, putans nimirum eam in ſola cognitione ſyderũ,
& ſuperiorum corporum poſitam eſſe, quæ tamen in tota
rerum agentium, & paſſibilium proportione verſetur. No-
rat hanc Ptolemæus: ſed vt ignauum ſuci genus à præſe-
pibus arceretur, non ita quæ potuit, pro captu populari,
verbis planiſſimis exarauit. Proinde & plurimi nullo dele-
ctu, vel artificio ad iudicia prorumpentes, his tanquã im-
pacti cautibus naufragiũ patiuntur. freti duntaxat acerno

Vulgariũ Aſtrologorum inconſulta temeritas.

Picus ſeipſum conficit propriis argumentis.

In quo veraae legitima præſagiendi methodus ſtatuatur.

Aſtrologiæ ſcopuli.

canonum infinito, & malè ad calculum reductis moribus insistentes. Accedit & peruicacia quædam, & stulta persuasio: dum Chaldæorum vestigia contemplati, fontes naturæ deserunt, sectantur riuulos ac turbidos lacus, multa nimirum tum arrogantia, tum Idolatriæ superstitione fœdatos. Quo factum existimo, vt tandem omnes eiusdem professionis artifices malè audierint, veræ autem scientiæ ne quidē vmbra reliqua videatur. Quin ad summa impietatis notam illorum excreuit insania, vt mentis arbitrium cælis, Deum suis operibus obnoxium faciant, imò & scelerum fontes in bonum summum, capitali errore detorqueant. Sic enim sibi indulgent ex illa causarum atque effectuum serie longè pulcherrima, vt mundi corporei vinculis nimium tribuendo, præstantiorem copulam inter res intelligibiles non animaduertant. Scimus enim in humano corpore nexu singularum partium, & facultatum consonantiam demonstrari: sed cuiusmodi? earum scilicet quæ in corporibus sunt immersæ, vt in brutis vniuersæ, in hominibus omnes, excepta principe parte vel rationali, quæ cor-
pori assistit vt gubernator clauo, quæ Deo solo vel angelis regitur ac propria voluntate, quæ omnem cælorum ambitum sola rescindens, quãdo dominatur affectibus suis omnia secum à fatali rerum necessitudine liberat quã facillimè, sin suis sese pedissequis manciparit, obbrutescens illico transuersim rapitur, & causis facultate inferioribus implicatur: vt pulchrè Mercurius in Pimandro, atque illi cõsonans Maro,

Vicinæ ruptis inter se legibus orbes
Concurrunt, sæuit toto Mars impius orbe:
Vt cùm carceribus sese effudere quadrigæ,
Addunt se in spatia, & frustrà retinacula tendens
Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Idolatriæ fontes.

duplex ordo rerum atque connexio.

Mentis præstantia in hominibus.

Cense-

Censemus itaque boni speciem à solo Deo in angelos, animam, ac naturæ vniuersam faciem permansisse: vitia verò, errorem omnem atque ignorantiam, à corpore per peccatum. Purus & liquidus est boni fons, puri cælestes radij, omnes ad vsum aliquem in ortu, vel conseruatione rerum naturalium influentes; sed eos peruertit sæpe materies, vt speciem induãt peregrinam. Sic Saturni grauitas in morosam melancholiam, in auaritiam atque inuidiam plerumq; degenerat. Martis animosa indoles in crudelitatem barbaricam, furta ac latrocinia. & sic de cæteris. Nõ quòd idcirco astringant animum, aut protinus ineluctabili necessitate peruertant. Absit hoc sanè, absit: nihil indignius hominis dignitate, quam paulo inferiorem angelis fecit Deus: verùm in corpore sunt vitiorum semina quædã, velut igniculi sub alto cinere cõsepulti, propensiones alij vocant, antiqua labe contractas. Illæ quidem vt malæ sint, à peccato primi parentis obtinuerunt. Verùm vt huius generis, vel istius potius, quã alterius, vt ad inuidiam alij promptius, aut auaritiam, aut libidinẽ stimulentur; hoc à proprio pendet vnius corporis temperamẽto: cũ videamus statim à pueris, hanc aptitudinis differentiã nobis inesse: ideoque & Galenus crediderit animum sequi corporis temperaturam: etsi reuera idipsum de sola propensione intelligat, actus autem nefarios in nostra voluntate atque arbitrio positos esse, qui sanæ sit mentis dubitet nemo. Qui nimis Theologi sunt, omne hoc discrimen referunt ad occultum iudicium Dei, ac dum se nituntur ex hac sirpea extricare, magis inuoluunt: dum Deum nolunt videri causam mali, vt ipsum hoc asserant, eò propemodum delabuntur. Quid vetat Deum opificem boni, materiem vbi contaminata est vitio nostri, in illa facie permisisse, vt ea ipsa potentia vel aptitudo, etsi per se non habeat speciem boni, sit tamen

Deus fons boni, mali autẽ materies iuxta propẽlionis legem, nõ necessitatis.

animum sequi corporis temperaturã quomodo Galenus intelligat.

Bonum ex accidente.

tamen bona ex accidente, cũ vita ſit homini militia ſupra terram, nec niſi poſitione contrarij, virtutis gloria emteſcat. Verùm quid hæc ad ſupernorum corporum energeian? Certè ſi tanta vis temperaturæ, vt alios natura proniores ad iracundiã præſtet, alios ad torporem & deſidiam, (niſi funditus Medicinæ principia conuellamus) patet profectò quod demonſtrandum fuerat: nimirum & cælos ad valetudinem corporis, affectuúmque varietatem incredibilem plurimum poſſe. Sunt enim apta inter ſe, connexáque hæc omnia, vt ſuperiore opuſculo demonſtratum eſt. Nec ſolũ id omnibus Medicis Philoſophis in confeſſo eſt; ſed & ſenſus quotidie docet, mutari ſpecies animorum, & pectora motus nunc alios, alios dum nubila ventus agebat, concipere: cui & illud Chriſti conſonum eſt, Nunquid ſunt 24. horæ in die? Conſtat apertiùs ſecundũ doctrinam Hipp. corpus humanum ab ijſdem elementis quibus prodierit affici, quotidie immutari atque corrumpi: huc enim ſpectat vniuerſus liber tertius Aphoriſmorũ, innumeraque ſententiæ deſcriptæ in lib. Epid. Poſtremò conſtitutionem elementorum tempeſtatúmque viciſſitudines, ad ortus occaſúſque ſyderum multa obſeruatione reuinxit Hipp. lib. potiſſimum De aëre, aquis & locis: ac nos quotidie doctrinam illius veriſſimam experimur. Fateantur itaque nexum eſſe perpetuũ in toto mundi ſyntagmate, quo planè conuincam, non quidem aſtra efficere ſuapte natura, vt ſit quiſpiam malus, vel etiam ad malum propenſior: ſed quando peccati communiſſima ratio naturæ ſuſceptricis partibus inoleuit, futurũ vt iam agentibus cauſis etiam bonis, & ad vitioſam materiem applicatis, certo concurſu ſub vitæ prima cunabula, certam quoque propenſionis ſpeciem cõſequatur. Vnde genus vitij ad peccati genus communiſſimum ſpectat, peculiares aptitudinum differentiæ analogiam vitiatæ materiæ cum cæ-

Vnde animorum illa propenſio in ſingulis ſingulares.

Catena tractus in vniuerſo.

Communis propenſio à peccato Adæ ſed peculiaris à cauſarũ naturalium aptitudine quæ ferè à cæleſtibus promouetur.

cum cæleſtium corporum ſyzygijs. quanquam in ea rerum copula actus animæ rationalis omnem exuperet tum cæli, tum corporis poteſtatem, ac in reliqua parte naturæ cauſæ quidem proximiores à præcedentibus ordine moueantur; vt tamen quæ ſuis affectibus ſint vicinæ, per ſe magis agant impellántque fortius, multo minus verò quæ longius diſtant, quæ ſuis nõ tantũ viribus agunt, ſed per intermedios duces, quod Medici vocant ex accidente; quod non ſolũ in efficientiæ legibus, ſed & ſignorum in demonſtrandi genere locum habet. Eo igitur magis infida ratio eſt, quanto vel cauſa recipiẽs à pluribus principibus gubernatur, vel cauſæ effectricis vis & potentia per plures ordines prorogatur. Demonſtrationis vis cauſæ ordinẽ poteſtatemque conſequitur.

Quare ſic erat Aſtrologiæ vanitas caſtigãda, quòd ars difficilis, quòd nullæ ſatis induſtria, nulla ingenij vis ad exactam illam præſagij facultatem poſſit ſufficere: quòd propter ordinis longitudinem, cauſarumq; cõcurſum, quæ prima fronte ſignantur, ſuo fine fruſtrata vel prorſus nõ fiãt, vel non potenter agant, vel etiam aliter longè quã ex natura cæleſtium iudicetur. Verũ dum vitant ſtulti vitiũ, in contraria currunt, vt poëta cecinit; ideoque ſi terga præbuimus, merito nunc & illi vapulent, qui verberandi neſciunt modum. Quæram duntaxat ab illiuſmodi, an nullam artem exiſtiment, niſi quã ipſi norint, aut putent ab alio penitus comprehenſam: ſic planè ars nulla relinquitur. Quæram num ſeſe vel ſenſu præditos putent, vel cæleſtis luminis, aut micam ſanè mentis accepiſſe. quod ſi eſt: cur tam diuerſæ ſpecies lucis in ſtellis ſingulis? cur hæc figurarum, & magnitudinum tanta varietas? cur orbes innumeris orbibus implicati, quibus errãtia ſydera prorſum vorſum commeant, ſolemq; ſequuntur velut præcipuũ ducem? dicent vel fruſtrà diſſimilarem ſubſtãtiam eſſe creatam, vel ſolius ornatus gratia, vel etiam vt tempora diſtinguan-

Aſtrologiæ vanitas.

Rurſus cõtra eos qui artem è medio tollunt.

guantur. Nequicquã aliquid factum ne quidem barbari ac deorum gentilium cultores admittent: hoc enim cõclamatæ dementiæ foret, summum artificium ad certum finẽ minimè pertinere. Ornatus dumtaxat in causa esse nõ potest, cùm motus eiusmodi solo sensu exteriore nõ cognoscãtur, cùm etiã sensibilibus hisce spectaculis sit quiddam interius, facultatum copula scilicet atque connexio, quã nisi vel rudi minerua comprehenderimus, iam & veræ pulchritudinis flos, decor atque voluptas parte sui maiore propemodum emarcescit. Cicero quoque pulchritudinis ideam statuat nunquam ab vtilitatis ratione seiunctam. Definiendis temporibus inseruire imprimis & Solem, & Lunã & fixa cæli sydera fatentur omnes, norunt qúe vel idiotæ: sed eò nec numerus tantus, neque colorum diuersitas, aut magnitudinis est requisita; nec in planetis cæteris orbium concentricorum, excentricorum, æquantium, epicyclorum spectabat hic labyrinthus inextricabilis. Si nec ista conuicerint, quæram denique quid de Luna aut Sole constituãt, num in illis præter lucem quam vident, sit aliqua vis caloris, humiditatis, &c. quam tactu percipiant: num præterhas & altera sit magis occulta, cuius auspicio germinent, viuant, & conseruentur omnia, tempestatum vicissitudines fiant, moueantur humores & animalia, in animalibus morborum crises lege certissima prædicantur, purgationes menstruæ in fœminis, sanguinis fluctus in vulneribus, medullæ augmenta decrementaqúe in ossibus, in mari vasto fluxus, refluxusq; continui, æstus feruorisq; depressio, quæ nauita quispiam, vel bubulcus, vel Baucis pannucia tibi definiet. Si dicant agere quidem in elemẽta, sed calore tamũ & luce: quæram denuò, num calorem hunc simplicem & productiuum vnius generis velint, num qualitates primas, secundas, tertias ordine cohærere

Figurarũ atq; colorũ diuersitas quid designet in cælo.

Opera solis & lunæ mirãda ac sensibus manifesta.

Qualitatum cathena à Medicis obseruanda.

bærere permittant, vt ab omnibus Medicis demonſtratum eſt: num denique ſi lunæ id datur, abſurdum ſit alios ſtellis ſuperioribus loco, luce præſtantioribus, eandem ſi non actu perpetuo, ſaltẽ poteſtate efficaciã aſſignare, vt ſuo acceſſu receſſuq; ad ſolem, vel complexu mutuo, ex poteſtate aliquando in actum deducantur, quemadmodum omnia medicamina primũ operationis ſuæ momentum Gal. teſte cõcipiunt à calore noſtro, & partibus ipſis quibus applicãtur. Certè ſi nobis futurã tempeſtatem ex meteoris liceat præſagire, vel ipſo rerum domino teſte, quid abſurdum deinceps meteora à cauſis ordine ſuperioribus deſignari? & ſic cathenæ in certas anſulas coaptatæ rerum naturalium conſenſus pulcherrimos aperiri? Ipſi interpretes Pentateuchi Diodorus, Theodoretus, duce experientia farentur ſationis & meſſis, aliarúmque rerum agendarum tempora rectiſſimè ex illis cæleſtium corporum motibus obſeruari: imò ſtellas crinitas vel trabes cũ apparuerint, bellorũ furores, vel locuſtarum agmina, hominum vel beſtiarum peſtilentiam metuendam. Sed Genethliacos rident. Ridemus & nos: cũ multa irrepſerint ſuperſtitioſa penitus, & improba ex Arabum officinis, quæcunque ſcilicet ex apparẽte ſolã ſimilitudine, non autem ex ipſis cauſarum viſceribus eruuntur. vt quæ de domibus cæli, de vxore & liberis, de coniugio, mortis tẽpore, fortunáque dicuntur: multa enim vbique vanitas, fundamentum propè nullum vel ex eo colligi poteſt, quòd in iudicandis genituris vnum principiũ velint eorum quæ & corpus concernunt, & animum, atq; fortunam: cũ certè corporis initium ſit conceptus, fortuitarum rerum partus, (ſi legitimus ſtatui poſſit) animationis verò, vel Empſychoſeos primum tempus quo mouetur infans in vtero matris. Quare quæ de geminis contra Aſtrologos adferuntur, conceſſerim lubens, quòd eorum vanitatem

Planetæ quiã potiſſimum præſtent.

Teſtimonia ſacrorum interpretum.

Genethliacæ doctrinæ pars maxima vana.

Tria præcipuè in genethliacis præcipuè contemplanda, quæ tamen omiſerint hactenus.

tem valde redarguant. Verùm si certa suis rebus principia designentur, vt conceptus, & animatio: sententiam de plerisque probabiliter ferri posse, vel res ipsa loquitur. nec amplius habent aduersarij tanti quò confugiant: nam etsi vno partu sint editi, tamen vel diuersis temporibus sunt concepti, vel ex materie seminis non ijsdem cæli configurationibus animantur. Equidem vt cõcludam breuiter, ex Astrorum influxu si methodus adsit plurima præsagiri puto, quæ ad naturam corporis ac temperamentum pertinent, quæq; ad valetudinis statum. quæ verò ad propensiones animorum, ad hæc vel illa studia, & vitiorum semina referuntur, significari interdum, sed maiori virium interstitio, quo plurimum eneruantur, ac velut ex accidente pertingunt, præsertim quando immutent amplius parentum indoles, patria, consuetudo & educatio. Porro quod reliquum est, electiones operum in pluribus valent, vbi à natura maior materiæ exspectãda sit præparatio: in aliis error etiã multus, atque impietas latet. In meteoris prædicendis artem ego vel maximam collocaui, vsúsque illius amplissimus patet, à nobis alias non demonstratione sola, sed & opere cõfirmatus. Quare etiam supra doctrinam Crisium de morborum exortu, famis ac pestilẽtiæ statu, de animorum fluctu & propensione in commune multa prædicimus, nihil à scopo penitus aberrantes, nisi quantum ab artis perfectione recedimus. Magis multo hæc confirmantur, si et res insolitæ cõspirarint, vt mõstra, prodigia, quibus apertè monemur atq; diuinitus quidẽ, vt animũ alto in puluere dormiẽtẽ excitemus, attentiũq; teneamus in illa cõsensione causarũ atq; effectuũ in triplici mũdo, seu legis diuinæ, humanæ ac naturalis circa rẽpublicã. quod nũc strata paululũ via, ac Deo imprimis auspice me facturũ pro virili mea, atque hac ætate confido.

Contra obi: de partubus geminorum.

Temperaturæ cognitio per Astrologiam.

Elections per Astrolog. quantum valeant.

Meteorographia lõgè pulcherrima.

Morborum prædictiones, &c.

Prodigiorum consyderatio.

Φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστί, θύρας δ' ἐπίηλα βέβηλοι.

De diuinis spectaculis siue portentis, quæ factiones Galliæ, & inauditas calamitates hactenus præcesserunt, maximè verò ab anno supra millesimum, quingentesimum, quinquagesimo sexto.

CAPVT PRIMVM.

De humanis præsagiis summaria & certa sententia.

DE rebus ergo futuris vana est omnis mortalium, & superstitiosa prædictio, quæ neque in finem legitimum spectat, nec certis limitibus coercetur, neque natura duce, atque ipsius conditoris sapientia gubernatur, vt cũ Platone Aristoteles, aliorumq; rectè philosophantium turba demonstrat, magisq; multò confirmant literæ sacræ. Præclarum tamen existimo, atque homine christiano longè dignissimum, excelsa Dei magnalia, & prouidentiæ ipsius stupenda opera celebrare; quæ quamuis ex abyssо imperscrutabili, ac nondum angelis explorata in genus humanum indies proficiscuntur, perspicuum tamen diuini erga filios suos amoris exhibent characterem: contraq; defixos luto Epicureos palam demonstrant, quanto sit sibi mortalium cura, quàm clemens in admonendis, castigandísque liberis, quos malorum domitrix pœnitentia mollit, quíque maturè ex tenebris in apertam lucem sese conuertunt: quàm seuerus contrà in vindicandis aduersariis, qui vel admoniti sæpius, obstinatis animis vim cõtra leges atque Ecclesiam moliuntur. Nihil enim tantopere ad cõseruandam humanæ reipub. integritatem pertinebat, quàm (quia omni bono malum ex necessitate consitum fuit) in orbe hoc corruptibili alternæ rerum vicissitudines excitarentur; quæmodò ex vbertate & copia diffluentes animos stringerent atque reprimerent, modò depressos nimium, aut calamitatibus obrutos in spem fortunæ commodioris

Sequentis cõsyderationis summa vtilitas.

Fructꝰ vicissitudinis in rebus humanis.

erigerent. Omnis enimuerò ſtatus ad extremorum alterum vergens, imprimis (vel teſte Hipp.) eſt periculoſus: dum alter in lubrico poſitus mole & viribus ſuis, caſúque ſubito in perniciem ruit; alter coactus nimium aduerſi fati velut iniectis manibus ſuffocatur. non ſecus quã in humano corpore natiuus calor vel ſeſe diffundens nimium (vt propter boni affluentiam) diſſipatur, vel in anguſtum aduerſa impulſione coactus opprimitur, vt (quemadmodum in metu immoderato, ac mœrore contingit) tranſpirare non poſſit. Quare cùm vterque motus ſit neceſſarius, vtrimque tamen ad ſumma naturam videas vix abſque periculo peruenire, aut ſi peruenerit non poſſe conſiſtere; opus eſt procul dubio, idqúe à diuis videtur præ cæteris exoptandum, vt reductione quadã ad medium illa nimis diuulſa Chriſtianæ reipub. membra in εὐφυΐαν, καὶ εὐλομελίαν priſtinam reſtituantur. Quod futurum maximè, ſi ex oraculo pluſquam Delphico, primũ in ſe quiſque deſcendat, deinde vbi morbum cognouerit ſuum, ac ſeſe vt inter calamitatis publicæ cauſas partem non minimam iudicarit, ita & fortunæ publicæ ſeſe conſortem eſſe æquo animo patiatur: illud inſuper cogitans, non prius effectum tolli quã cauſa deleatur, neque à nobis furoris diuini calicem amouendum, quã nos ipſius miſericordia dignos tum fide & ſpe, tum mutuæ charitate præſtemus: quòd hiſce nunc velut extinctis, vel oppreſſis potius, ille pluſquam hybernus aquilo, quicquid in nobis boni eſt prorſus exurat, quicquid in vita ſucci melioris, abſorbeat. Quin ita ſe omnino res habere videtur, ac ſi vel pectus, vel caput, vel inguina ſæuum obſideat carcinoma, (Latini cancrũ vocant) cui antequam germinaſcit, ſæpe tum euacuatione, tum reuulſione ſuccurritur: at vbi inualuit, idem præſidiis lenibus non facilè cedit; aſperioribus irritatur. Tentandũ ſæpe nunc ferro, nunc igne, quamuis non

a. præcipui motus recti caloris inſiti cum fortunæ motibus cõparantur.

Vnde motuũ petenda ſit moderatio.

Malorũ præcipui fontes.

Medica ſimilitudo.

uis non abſque periculo manifeſto, ob dolores, febres, & ſanguinis immoderata profluuia: quibus accedit mox humanæ compagis diſſolutio, humorum atque ſpirituum πανολεθρία. *Curantur tamen interdum, ſi prius iſtæc purgatis corporibus fiant, ac dum vna in parte vruntur ſecanturq́, adhibitis interim anodynis foueantur, quæ loca exaſperata molliant, quæ ſpiritus labentes reuocent, quæ ſugientem ſanguinem ſiſtant reficiántque. Quare tria concludimus ad curationem imprimis neceſſaria; Inuocationẽ ſcilicet patris luminum, à quo omne bonum ceu iugi fonte dimanat: mox in ægrotis animis, luſtrandiſq́, pectoribus præparamentum, cuiuſmodi potiſſimũ in confeſſione, tolerantia, rectiq́, propoſiti firma comprehenſione ſpectatur: Poſtremò dexteritatem Medici, qui naturas omnium & hominum, & affectionum, & locorum, & temporum, & præſidiorum habeat exploratas, & iuxta proportionem agentium rerum ad paſſibilem illam materiæ vim, ſimilia ſimilibus ſeruet, contraria contrariis frangat, atque propellat: in ipſo opere manuali aciem rationis intendẽs, quod patidum eſt ſiue corruptum, ſumma cum moderatione excindat; quod integrum verò & melioris ſpei, non ſolũ non amputandum cogitet, verùm & omni induſtria, & clementiæ antidoto meliore tum ab interitu, & ſerpente indies corruptela, tum ab inflammationis periculo ac dolore conſeruet: quemadmodum imprimis nunc fore ſperamus, poſtquam percuſſis vtraq́ Dei manu, paſſim mortalia corda per gẽtes humiles ſtrauit pauor, ille flagrãti aut Athon, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo deiecit: ingeminent Auſtri, & denſiſſimus imber. Vt poëta maximus ait, Omnia ventorum concurrere prælia cernens.*

Tria curandæ Reip. nunc ægrotæ præcepta ſaluberrima.

1.
2.
3.

Hæc ex doctrina cap. 3. prioris libri clarius liquẽt.

Status præſens Reip.

Quæ quidem vniuerſim vt certo apud nos numine & ſingulari prouidentia fieri conſtet, non ſolùm præteritos ca-

Cur à paucis annis tot prodigia viſa.

ſus atque præſentes obiecit Deus, ſed & futurorum certa prænuncia in cœlo, in aëre, in terris, in hominum pectoribus exarauit: nequando vel ipſe oblitus humani generis videatur, vel nobis ob prætextum ignorantiæ ſit excuſandis criminibus vllus relictus locus. Longum eſſet rem vniuerſam à primis ſuis cunabulis, ac velut ab ouo penitus auſpicari. Pauca duntaxat pro Dei opt. Max. celebranda maieſtate ſufficiant. Cõſtat hunc eſſe rerum humanarum circulum, non tam cæli quàm animorum operumq; noſtrorum vertigine circumſcriptum,

Circulus rerum.

Virtutum ſoboles pax eſt, at copia pacis,
Vbertas luxum peperit, luxuria bellum,
Bello pauperies ſata, regno paupere virtus.

Nec illud incognitum, quòd & Franciæ regnum, & totam hanc Belgicam regionem, vnà cum affluentia rerum omnium ſumma ambitio & auaritia, ſummus luxus & inſolentia, ſummus denique erga Deum & proximum charitatis torpor inuaſerit. Hæc iram erga nos diuinam protinus, hæc morbos innumeros, peſtilentiam, ſterilitatem frugum atque bonorum operum, hæc bella, ſeditiones, cædes atque tyrannidem, hæc odia & accuſationes mutuas, hæc latrocinia, furta, direptiones tãquam ex Atequapiam aut Pandoræ pyxide prouocarunt. Spargunt hæc ſeſe, & modis multiplicant infinitis, ſola propemodum ſpe relicta nobis in calicis fundo. Ac variè quidem de hiſce priuſquam fierent admoniti ſumus; ſed iacent informes animæ, ac fulgore priſtino deſtitutæ, poſtquam ab vnitate in multitudinem defluxere, illa etiã quæ ante oculos, ante pedes quotidie fiũt, non animaduertunt, cùm tamen ſollicitæ ſemper nouis rumoribus inhient, atque expectatione futuri inter ſpémque metúmque rerum inanes fluctuent, de conuerſione ſui ad lucem veram, quæ totius circuitus centrum eſt, ne quidem

Cathena rerũ maximarũ in tractu Belgico.

per,

per somniũ cogitantes. Ea verò diuini numinis prouidentia est, vt quãuis & vates sacri, & pristini sæcli exẽpla ac dogmata ad institutionem nostri sufficere potuissent, quotidie tamen nunc suæ benignitatis atque clementiæ, nunc iræ atque furoris argumenta exhibeat noua, hos quidem prouocans vltrò, illos etiam ad meliora compellens. Nam si quis altius repetat ante hæc bella plusquam ciuilia cuiusmodi terrarum motus, aquarum eruptiones vel cataclysmos, cometas in aëre, & faces ardẽtes vidimus? quæ si quis inuicem comparet atque componat, Deum profectò censebit res futuras non solùm in nube obscura siue ænigmate, sed & in speculo planè illustri, inque apertiore tabula spectandas ante omnium ora constituisse.

Dei benignitas.

Mundus vt tabula diuinæ prouidentiæ.

Quanquam verò de his potissimum quæ ab anno 1555. huc vsque notauerim nobis sit institutus sermo, quòd tum prius insignis in Belgico tractu sit omnium rerum secuta mutatio: non abs re fuerit tamen pleraque attingere breuiter, quæ quãuis paulò antè præcesserint, fortassis & huius præsentis sæculi faciem non obscura prælusione cõmonstrent. Memini piæ memoriæ patrem, cùm ex tyrannide calculi per annos 7. aut amplius miserrimè cõflictatus, iam sibi fatalem diem immimere sensisset, (obiit enim hoc anno 1555.) Maij 25. tum semel ad me conuersum alto suspirio plurima protulisse, ex eorum genere primũ quæ ad virtutem excolendam, & ad timorem Domini, quæque ad obseruantiam antiquæ & catholicæ Ecclesiæ acrius hortarentur; deinde quibus & literarum cultus, studiorũ via & ratio, ac vitæ vniuersa felicitas cõtinerentur. Inter alia verò quæ de prosequẽdis disciplinis exactissimè differebat, medicinam mathematicæ comparãs, facultatis vtriusque connubium vsque ad cælos extollebat. verùm quòd mihi in eo genere non tam calcaribus quàm freno opus esse perspiceret,

Propositio.

Præsagium Gẽmæ Frisij paulò ante obitum de vẽturo sæculo.

Admonitio Philosopho digna.

ceret, quodq; cognoſceret multos mathematum voluptate diſtractos à ſublimiorum facultatũ muniis excidiſſe, quandoq; velut loto paſto aut ad Syrenum cantus altius delinitos, acrerum ſuarum naufragos in egeſtatis ſcopulum impegiſſe: Ego (inquit) mathematum ſtudia nulla tibi ratione diſſuaſerim; ſed modum poſtulo, vt hæc nõ tanquam prima ſecteris, ſed ſobriè tantùm, atque in ſubſidium Medicinæ. Suffecerit enim tibi ad hanc vtilitatem vel mediocriter in illis eſſe verſatum: præſertim quòd & medicina magis ad vſum publicum ſpectet, quòd ad hanc facultatem excolendam non ſolùm per me tibi ſtrata ſit via, ſed & à genitura cælitus tum plures multo, tum præſtantiores ſtimuli dati, (credo tunc obiter alluſiſſe ad copulam Iouis, Martis, Mercurij in Aquario culminante oculo Tauri anno 1535. vltima Feb. hora 4.40. m.p. m.) & iacta iam fundamenta maius etiam quiddam ſi auſcultes mea expectatione promittant. Hæc ille credo potius animandi gratia, quàm quòd ita ſenſerit: verùm illud duximus annotandum, quò magis feruorem antè conceptum erga mathemata temperaret, Quorſum, ait, tantopere nũc illuc aſpires? cùm ad eam perfectionem quã nos attigimus tute in eadem diſciplina minimè ſis peruenturus; in medicina non ſolùm aſſequi poſſis, ſed ſi operam des, fortaſſis etiam ſuperare. Videor præterea videre tempus nunc oculis meis (nec longè abfore puto) quo nõ ſolùm Mathematicæ artes languentes oppido ſeſe ſubducãt, exilium penè ſpontaneum ſuſceptũræ: ſed & cuiuſuis altioris philoſophiæ ſtudia (quæ neque ad oſtentationẽ, neque ad marſupium maximopere faciunt) profligata penitus, protritaq; pedibus conculcentur. Noſtra ætate hactenus pars quædam vel imago aurei ſæculi viſa eſt, quæ tamen diu ſeipſam ſuſtinere non poſſit: vereor deinceps, ne illud vobis in ore ſit frequens,

Quouſque medico ſit mathematicis incumbendũ.

Mathemata nunc minus in pretio ſunt.

Vaticinium.

Viuite

Viuite felices, quibus est fortuna peracta
Iam sua, nos alia ex aliis in fata vocamur.
Imò ne & illud iure dicatis,
Fuimus Troës, fuit Ilium, & ingens
Gloria Belgarum.

Nescio an hæc ille tum temporis (quæ nunc verissimæ comperimus) ex naturali potius indagatione prædixerit, qua quantum præstiterit, omnes norunt; an afflatu diuinâ numinis, cui iam moribundus propior fuit, cuiúsque velut attactu diuinus animus futurorum conscius ardescebat, vt & in vultu loquentis tum mihi quiddam non mortale relucens oculos meos, animumq; fortissimè commoueret. Credo tamen & rei venturæ imaginem, prius tum ex communi tabula mundi, ac reipub. statu quï præsens aderat, tum ex prodigiorum, coniunctionumq; præteritarum symphonia, fuisse in eius visceribus exaratam.

Terræmotus in Belgio.

Rarum est imprimis regionibus nostris terrarum motus persentiscere, neque ab annis pluribus quicquã de his maiorum industria designauit. Vehemens tamen concussio fuit anno Domini 1554. primum 21. Martij, hora 12. noctis, vt multis locis vasa in sublimi constituta deciderint. erat, vt rectè memini, cum tremore mugitus ingens, ac velut ahæneus clangor multorum curruum qui concitato agmine præterirent. Alter successit 22. Martij, hora quarta post meridiem, bis validè subsiliente solo: multis metu ferè sanguis obriguit, arrectæq; horrore comæ, & vox faucibus hæsit. quanquam fortius iterum Aprilis 30. hora quinta p.m. vsque ad tres vices continuas. Erat circa ingressum Solis in Arietem connexus omnium planetarum, permixtis mutuò radiis in admirabilem symmetriã, circa extremas partes dodecat: Virginis & Piscium. nam sub eodem signo decurrẽtibus Saturno, Marte, Sole, Venere, Mercurio, Luna, opponebatur om-

Ratio astronomica.

quid ferè portenderit.

nibus Iouis sydus exactè circa æquinoctiale punctum Libræ, quod religionis statui apta similitudine correspondet: in quo & cometam apparuisse ferunt tempore Natiuitatis Dominicæ, ac rursus anno 1556. de quo mox ordine discurremus. Nec dubium, quin & ille cometes hoc vno fonte profluxerit, Sole ad idem punctum reuerso post annos duos: accedẽte tum in ijsdem ferè locis oppositione Saturni & Martis: subsequẽtibus è vestigio, ante ingressum Solis in Arietem, coniunctionibus alternatis Saturni, Veneris, Solis, Mercurij, Iouis, cum oppositu Martis, circa punctum æquinoctij verni. Stabat eodem tempore Iupiter in 4. Scorpij, cui oppositus est è diametro locus stellæ peregrinæ quæ nunc apparet in signo Tauri. Sed hæc prolixius, vt & fontes signorum, consensusq; mutuos, & significationis amplitudinem clarius cum euentus specie comparemus. Norunt autem vel mediocriter in arte versati, cuius ordinis statum Iupiter repræsentet, cuius & planetæ cæteri. Ipso certè primi terræmotus tẽpore erat oppositio exacta Iouis & Mercurij secũdum Copernicum, cuius calculo semper plus tribui. erat oppositus Saturni Iouis 26. April. cuius punctum cùm ex plenilunio præcedente directio Horoscopi attigisset, iã tertio mota est terra. Quis dubitat non solùm ab illa astrorum conspiratione mirabili, terræ concussiones per vniuersam Belgicam terrã præsagiri (etiam in locis maritimis) potuisse, verũ & mutationes publici status atque priuati, legum sacrarum & humanarum corruptelas, & quæ deinceps vno errore alterum trahẽte, vsque ad excidium fortunarum omnium sunt consecuta?

Niuiũ & ventorum tempestas admiranda.

Non multum dissimilis radiorum vicissitudo & complicatio anno 1552. paulò ante diluuium ingens mensis Ianuarij die 12. quo concurrentibus vndique ventis maxima niuis copia instar densissimæ nubis cælo decidit, vnáque & grando & pluuia, horrenda fulgura atque tonitrua, dixisses

mundo

mundo instare extremum diem. Hæc paulò ante grauissimas clades, irrumpente Gallorum exercitu versus Luxenburgum & Lotharingiam, antè hostiles machinas Alberti atque Mauritij in Imp. Carolum, atque obsidionem ciuitatis Metensis, subuersionem ciuitatis Terrouanæ atque arcis Hesdinæ.

euentus mox secuti.

Post terræmotus autem toto bellorum turbine in Franciam conuerso, nobis anni duo, trésue ab omni propemodũ insignirerum concussione liberi permansere. Nec tamen idcirco non sua signis resulsit imago loco & tempore quo debuerat. Sparguntur hîc prima semina, quæ progressu radiorum postea & per analogos rerum cælestiũ status, ante omnium ora atque oculos elucescent.

Tranquillitas Reip. imprimis suspecta.

occulta malorum semina.

Quin eodem anno 1554. post lustrationem exercitus Gallici, quam prima Feb. rex institui iussit, ignis incendiũ vehemens ab ortu versus occasum properans lunæ corpori magnæ se instar facis obiecit, magno fragore in scintillas plurimas hinc inde dissiliens, quales è candenti ferro inter tractãdum solent absistere. 26. Maij sanguinem pluit non procul ab oppido Dunkelspuel. Nec procul à Norinberga 11. Iunij sol visus velut temone sanguineo per medium dissecari, concurrentibus vndique globulis coloris cælestis, quos multa equitum turma vexillis eiusdem coloris instructa sequebatur, tanto impetu concurrentium, vt horror spectantibus cum voce vitam propè eliserit. Duos quoque spectatos memorant cataphractos in aëre non procul à Palatinatu Rheni superioris, inter se acerrimè cõcertantes: sed huius spectaculi plures alij meminerunt. Mihi ab eo tempore videntur totius tempestatis quæ nunc est, paulatim sparsa præludia. Quẽadmodum & illud de Balenæ capite reperto Genuæ, cuius à Cardano facta est mentio, quod eius iudicio non aliud præsagium videretur, quàm Cyrna

Ostentum in Luna mirabile.

Sanguinis pluuia.

Ostentum in Sole.

Simulachra variata aëre visa.

Balenæ caput.

amissa, caput truncum velut amisso corpore permansurũ. Item quod de duabus columnis vtrimq; ad latus solis consistentibus visum eodem anno, iuxta Zopedæ oppidum meminerunt, vbi Sol rubens penitus, tanquam sub flagranti porticu cõstitutus, mutationem quæ pòst secuta est in Carolo Imp. absque dubio demonstrauit: quando ille vir planè diuinus ad vitam monasticam sese conuertit (quod & pater aliquando ex illius genesi præsagiuit) abdicata omnium rerum humanarum cura, atque imperij potestate translata in filium, (quod reliquum videbatur) ex heroë fortissimo in diuinam penitus immortalémque speciem transmigraret.

Aliud in sole prodigium.

Euentus à tot tantisque prodigiis.

Scribunt & in Misnia spectatã esse venturi Iudicis ceu pro tribunali sedentis imaginem.

Christus in nubibus visus.

Atqui, quod vel maximè ad institutũ quadrat, 12. Iulij, anno 1555. Nebræ in Thuringia hoc infandum accidit, vt Lycosthenes refert: cõiugem sutoris cuiusdam cùm triduo parturisset, obstetricibus variis ob difficultatem negotij conuocatis, tandem enixam fœtum mortuum. In ipsa autem contentione, nixuq; præcipuo, cũ iam infans vmbilico tenus promineret, ingens auditus est ab vtero fragor velut excusso tormento bellico: mox & flamma exiliens tum obstetricis manus, tum pueri nates ambussit, atque excitatis vesiculis insigniuit. Sed venio nũc ad ea quæ paulò post patris obitũ monstrata diuinitus, quæ certioribus notis nostrorum temporum mores, & vestigia persequuntur.

Partus prodigiosus.

Occurrit imprimis dirum illud cometæ portẽtum, quod biennio ferè post terræmotus apparuit, anno salutis 1556. à principio Martij (vt plures asserunt) vsque ad 23. Aprilis. Polus Fabritius huius cursum obseruauit quam diligentissimè: sed tantũ à 4. Martij vsque ad 13. Equidem tũ paulò supinior in mathematicis aduerti animum, sed nõ æquè ad sin-

Cometes mirabilis, qui ferè sequẽtium calamit. per Galliã, & Belgium vniuersum fuit præcipuus index.


ad ſingulos dies induſtriam obſeruationis adhibui. Hoc tamen à me notatũ repperi, tertia Martij non procul ab ipſo Zodiaco conſtitiſſe circa Libram, cauda prælonga verſus occaſum exporrecta, ſecundũ rectam lineam à ſolis corpore per cometæ caput in oppoſitam partem. Paulò antè quàm ſolis vicinia eius æſpectum nobis eriperet, itinere propemodum per polũ Zodiaci facto, ad ſedem Caſſiopæ peruenisſe circa Aprilis 18. diem. Ego cùm poſtremo locum inſtrumẽtis adhibitis exploraſſem, reperi non procul à ſigniferi polo, ſed tamẽ in Leonis dodecatemorio, ſi ad Zodiacum referatur. Qui rectiùs explorarunt, cenſent expiraſſe non procul ab eo loco quem nunc obtinet ſydus nouum, idqúe potius reor: cùm alia quadam tabella ſeorſim inuenerim ſcriptum manibus meis, ſpectatum eſſe cometam vſque ad 23. Aprilis diem. Credo & caput ipſius antequam ſe nobis obtulerit, ſigniferum pertrãſiſſe. Cœpit autẽ ab initio Martij, ex Libræ ſigno moueri ſurſum verſus polum: obliquè verò, & in poſteriora ſecũdum longitudinem verſus principium Libræ. peragebat interdum 8. aut 9. gradus in latitudinem, nunc paulò tardior, nunc concitatior. tertio die 6. tantùm gradibus diſtabat à ſpica, rectæ linea prorſus inter ſpicam, & inferiorem ſub cingulo Virginis caudæ ſpectante verſus alam ſiniſtram. Hinc ferè ſecundũ rectam lineam ſcandẽs, vſque ad tropicum venit, ſeu declin. 23. graduum circa octauum diem. Tum ad aliquot gradus retrogreſſa repentè verſus finem Leonis, aliam rectam lineam diſcurſus in latitudinem auſpicata eſt vſque ad vigeſimum tertiũ diſcurrens rectà ad Zodiaci polum (à quo non procul abfuit) raptim per omnes angulos ſignorum Leonis, Cancri, Geminorum peruagata, donec ad alterum orbis quadrantem, ſignúmq; Tauri non procul à Caſſiope peruenisſet. Quanquam nobis nec eo tẽpore deflagraſſe videatur, ſed ob vici-

Theoria loci & motus vniuerſi.

niam

niam ſolis (cùm manè tantùm hora tertia ſpectaretur) obſcuratam ab oculis vanuiſſe. Mouebatur multò citatius circa polos, neque iam in fine apparitionis ſuæ, multũ diminutus magnitudine videbatur. Cauda ſemper Hiſpaniam verſus in principio, pòſt magis magíſque verſus occiduam plagam, ac poſtremò menſe Aprilis exactiſſimè verſus Zodiaci polum, ſole tunc cum ſydere Martis poſito in rectam lineam cum cometæ corpore, & Zodiaci polo. Sic enim verſus ſuſceptorẽ atq; parentem ſuũ ſeſe recipiẽs, ortus interitúſque ſui primum tempus ac vltimum voluit occultari.

SCHEMA TOTIVS PHAENOMENI
Circa cometen anni 1556. ab initio Martij ferè vſque ad finem Aprilis.



Quanquam verò doctiſſimus vir Fabritius paruum ſe obſer-

obſeruaſſe ſcripſerit, nobis tamen corpus illius primum Io- Color & magnitudo.
uis ſtella non inferius, quo ad magnitudinem viſum eſt. ſed
caudaferè 4. gradus in lõgitudinem occupabat. Color erat
Martius, ex ruffo paulatim in pallidum elangueſcens. Sed Decreti genus vnde ſit colligendum.
expectabis quænã eius decreta in rebus humanis ſint ani-
maduerſa. Iam penè ex illa oppoſitione Saturni & Iouis
circa æquinoctium vernum anni 1554. ſi hanc crinitam
ſobolem conferamus, ſignificati genus & ſpecies vtcumque
diducitur. Fuit enim excurſus iſtius ſyderis à Libræ ſigno
ferè conſimilis illi quo ſacroſanctæ Eccleſiæ cœptæ, ac pro- Significatum cometæ.
greſſa diuulſio eſt: quo factiones hæreticæ, tumultus popu-
lares, cum cæteris appendicibus viguerunt: quo & ſumma
rerum cõfuſio venit à Francia primùm per Galliam dein-
ceps, omnémque tractum ſuperiorẽ terreſtrem, ac mariti-
mum quamcelerrimè peruagata. Sed iſtiuſmodi tem- Notabis hæc de tarditate effectus.
ſtatum ſemina paulißper occulta, ac velut defoſſa latuerãt,
donec per criticos annos in apertam lucem ſeſe profunde-
rent. Nam quarto pòſt anno, ſeptimo, nono, vndecimo, dî
boni quantopere vires exercuit ſuas, accedentibus inſuper
aliis diuorum portentis, & admirandis ſyderum ſyzygiis!
Nam Iouis ſtella ſingulis annis ſignum abſoluens vnicum Vide caput quartũ ſuperioris libri.
ferè, idem per annorum plurium circuitus efficit quod ſol in
menſibus, & circa criſes luna in diebus & ſeptimanis. Idẽ
verò ſecundũ analogiam motus de aliis eſto iudicium: quæ
ſola ratio eſt, quare criniti ſyderis, aut alterius cuiuſcuma3
vires atque decreta pauci huc vſque perceperint: ea dun-
taxat euentuum genera componentes, quæ à Phænomenis
non admodum vel loci, vel temporis intercapedine diſſide-
rent. cùm Deus futurorum ſigna ſæpius dudum antequam
res appareant, ob oculos ponat; antè minetur, quàm fe-
riat: ne more noſtrorum principum ad iram præcipitãtur,
nullum putetur vel ſuo furori, vel examinandæ conſcientiæ

ſpatium

Duplicia critica signa, proxima scilicet & præcedētia.

spatium reliquisse. Sunt igitur signorum plæraq; verè critica, quæ decernunt protinus, vt ex libri superioris tabula liquet: alia verò, ceu cometæ, ac synodirariores, criticorum prænuntia potius, licet proximis illis, & verè criticis dignitate sæpius præferantur. Nec tamen interea vis cometæ penitus otiosa: nam & eodem anno per vniuersam æstatem immensa siccitas fuit, spirante vt plurimũ nunc Euro, nunc Aquilone. Vidimus ipsi ardentis lampadis instar magnam in cælo facem, vndecima Aprilis: sed quæ vt subitò nata, sic & in ignem horrendum longè latéque dispersa, subitò vanescebat.

effectus proximi cometarum.

Lampas cælo visa.

Nubes instar iridis.

15. Maij à Septentrione ad meridiem vsque, visa est diu nubes clarissima miro fulgore, & colorum varietate inæqualiter exornata, instar arcus continui, sensim tamen angustior circa Austrum & Boream. perstitit illa plus horis 4. ac tandem aliquot transuersim incidentibus lineolis rarefacta discessit. Sed hoc naturale, & fortasse fortuitum. Sũt qui velint terræmotus futuri præsagium esse. Diræ admodum cælo tempestates incidērũt die Aprilis 23 Bruxellis: cùm tamen tum aura nobis serenior foret: vi grandinis excussas aiebant fenestras vitreas, stratas arbores, vndam torrētis more ostiatim profluxisse. Similis & Gandaui 25. Iunij cum tonitruis & fulguribus per dies, noctésque ferè continuas duas. Multæ mulieres metu aborsum passæ, multis accensa ædificia memorantur. Coeperunt febres ardentes, continuæ, atq; hemitritæi plurimi, cum morbillis, papulis, paulatim in apertam pestis, ac lenticulatæ febris speciem deuergentes: quæ ita grassari populariter cœpit vt vix tertia pars mortalium à febre immunis euaserit: pestilentibus autem morbis aliquot millia sint sublata. Hæc latius retuli propter causarum effectuúmque similitudinem hoc anno 1573. de cuius Epidimica lue paulò pòst latius disseretur.

Tempestates horrendæ & quæ quantitatis nomine locum prodigij tenuerunt.

Febres ardentes & pestilentes.

retur. Quotquot in quartanam inciderunt, (nam ea tum frequentissima fuit) nusquam ante anni circuitum iudicabantur: quæres humorem in aliis valde corruptum, in aliis adustum vi præcedentis syderis ostendebat. Quin & illa quæ per vniuersam Germaniam anno sequente fuit annonæ caritas summa, velut ab vno capitè causarum plurium tenorem perpetuum insecuta est. nam modij pars octaua tribus florenis cum semisse Louanij vænit, ac tandem vix argento parabilis visa est. Neque quicquam ita admirabile fuit, quàm inter tot calamitates rudem atque effrenem populũ potuisse hactenus à seditionibus tẽperari. Fortasse tunc illud erat, quod à Sencca verissimè dictum est, curæ leues loquuntur, ingẽtes stupent. Mittam hoc loco quæ de capto oppido S. Quintini, deq; expugnatione arcis Cisletanæ, sub principium autumni 1557. à Chronographis memorantur. Illa quidem virtutis, ac fœlicitatis regiæ argumenta, quæ nulla posteritas præteribit. Verùm nobis non omnibus immorandũ est, ne nimis à philosophicis exundãtes, in alienos agros irruptionẽ facere videamur. Proinde non tam deinceps historiæ singulatim omnes referentur, sed capita tantùm, ac præcipuè illiusmodi quarũ species cũ prodigiorum vi, & contentione respondent.

Quartana ex humore adusto longissima.

Annonæ caritas summa.

Virtutis ac felicitatis Regiæ monumenta.

Authoris excusatio circa historiam.

Tempestas memorabilis certè, quam G. Paradinus anno 1557. circa 10. Sept. in Languedocia contigisse testatur, tanta effusione aquarum, tonitruorum, fulgurũ, grandinis, vt ab antiqua hominum memoria, simile nullum diluuij genus ab incolis visum asserat. Quanta verò mortales & clade, ac terrore affecerit, ab ipso plenius enarratũ est.

Tempestas in Languedocia.

Præcesserat in Iulio miranda quædam copula Saturni, Martis, Solis, Veneris, Mercurij. Horrenda quoque Eclipsis Solis mense Nouembris 1556. die secunda, qua directione gradus Horoscopi tunc ad □ loci ecliptici pertingebat. ac-

Ratio Astrologica.

cedente

Morbi populares post humidissimam ætatum.

cedente nunc & Saturni, Martis, Mercurij copula, circa Sept. initia, quæ prioris systematis vires in actum prouocabat. Verùm post humiditates assiduas, sub cor. sima biemis atque autumni, catarrhi genus prodigiosum populariter viguit, magna serpens contagij vi, neminem ferè præteriẽs. aderãt inf.ndi capitis dolores, penè vsque ad delirium fluxus vehemẽs, acer, mordax ad oculos, aures, fauces, nares, stomachum. pectus, obuias partes erodens atque excoriãs, in omnibus verò appetitum extremè deiiciens, vnde id genus mali Gallico vocabulo nomen inuenit, ac Paradino teste le coqueluche appellatum est, si bene conferis morbum quem ille describit anno 1515. Habet hic suas crises manifestas, ac rudimentum febris continuæ, sed satis obscurum, iudicabantur ferè nono vel septimo die, sed his qui sobriè viuerent, multis alioqui in tabem, aut inflammationem aliquam deuergebant. Cõtigit eadem hoc anno 1573. circa autumnum, ac ferè vidimus illius quandam imaginem subobscuram, aliis pluriq; annis, post continuos austros, vbi & pluuiarum, & caliginis frequentia conspirasset. præsertim verò quoties post fœtentes nebulas, dierum pluriũ frigus acre, & vehemens superuenit. Cœlestis ratio ferè deprehensa est in connexu diuturno Saturni, Martis, Veneris ac Mercurij: præsertim circa stellas fixas, quæ nebulosæ ab Astronomis vocitantur.

Catarrhus contagiosus.

Dies critici etiam in catarrhis.

Ratio morbi istius popularis tum, physica tum Astrologica.

Præterire non possum horrendæ illius tempestatis historiam, quæ 15. Iulij anni 1558. statim hora prima (quo tempore exactè nouilunium fuit) coorta subitò, magnam Galliæ partem incredibili celeritate percurrit, prodigioso turbine, quem nubes euomuit atrior pice, cum vrore terribili, (vt ipsus animaduerti) arbores passim, ædificia sublimiora, sed potissimum templa ac turres innumeras secum abripiens atque prosternens. quæ fanè quid aliud immuit, quàm

Admirandus vortex ventorum per vniuersam Galliam Belgiam, &c.

quàm quod poëtis ſemper in ore, atque expreſſius ab Horatio dictum fuit:

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celſæ grauiore caſu
Decidunt turres, feriuntq; ſummos
Fulmina montes. Ode 10. *lib.* 2.

Allegoria vētorum & fulgurum.

Qui mõtes quibus procellis ſtrati, ac fulminibus cõflagrarint, procedẽtis fabulæ vel ſola cataſtrophe nobis aperiet. Hãc tẽpeſtatẽ cæli ad certũ diẽ, atq; horam prædixit Gallicus quidã vates; eadẽ penitus forma qua per vniuerſam Franciã, atq; inferiorẽ Germaniã cõſecuta eſt: tantamq; hac ſola prædictione fidẽ ſibi apud mortales peperit, vt quæ deinceps ſcripſerit, licet plerũq; vaniſſima, vulgo tamẽ interpretarẽtur oraculi loco. Præceſſerat paulò antè Sextilis radius Martis, Saturni, cõiunctio Solis & Mercurij: Saturnus cũ Pleiadibus, ac ipſo nouilunij tempore, Luna ab aſpectu Saturni ac Martis defluebat ad coniunctionẽ Mercurij ac Solis. Præceſſerat menſe Aprilis, die ſecũda, pleniluniũ eclipticũ, in quo vigebat quadratura Iouis Saturni, itẽ Iouis & Martis, ac poſtremo congreſſus Saturni Martis in 8. Tauri: quã ſyzygiam puto per cõſimiles ſchematiſmos tum primo fuiſſe excitatã, vnáq; & cometẽ alterũ procreaſſe; cuius nunc ſubiicienda deliniatio eſt.

Vulgi deceptio.

Ratio aſtrologica.

Fulſit itaque criniũ ſydus circa occaſum veſperi, multò pallidius eo quod præceſſerat. †*Locum illius vidi primùm in* 12. *Virginis gradu, anno* 1558. *Auguſti* 17. *diſtabat* 20.

Alius Cometa Nat. Saturniæ.

die vesperi, ab arcturo 50. gradibus, 32. minutis, ab extremitate caudæ vrsæ maioris 28. partibus, 33. min. Stabat in occasu tristi admodũ et lugubri vultu, naturæ videlicet Saturninæ, caudam porrigens versus Orientalem plagam: neque diu conspectus est, vt motũ obseruare potuerim. superuenientibus enim pluuiis ante 7. dies expirauit. Obseruabis istic & raros conuentus syderum qui antecesserunt mense Maij, præsertim Martis ac Mercurij, cum intuitu Iouis circa lacteum circulum. Fuit hoc sydus ceu prodromus quispiam, paulò ante Herois obitum inuictissimi scilicet Imperat. Caroli. is enim secutus est è vestigio 29. Sept. eiusdem anni 1558. cum quo propemodũ occidit vniuersæ reipub. salus, quam ille supra communem hominum sortẽ, duabus virtutibus potissimum cõseruauit, clementia summa, atq; iustitia, in speciem vnam æquabili mistione contemperatis. ac iam forsitan actum foret, nisi iure quodam hæreditario, eundem characterismum diuinitatis suæ Philippo filio ac regi nostro catholico, fidei sacrosanctæ propugnatori acerrimo, reliquisset: cuius quidem velut Solis præsentia, cuncta germinant, atque prouentum vberem faciunt; absentia vel recessu, quæ prius florida fuerant, languescunt protinus, ac propè resoluta in puluerem contabescunt: ruinam hanc vniuersam vno ipsius iucundissimi nominis radio, vna spe atque memoria solitæ erga populũ suum benignitatis atque dulcedinis hactenus sustinente. Velim mihi nũc, velim Triptolemi currus, vnũq; posse illud in aurem dicere, quod sæpe verissimum sensi in arte mea: vt oculo domini pascitur equus, ager agricolæ pedibus fermẽtatur; ita & medici vultu curari ægrotos. Nam vt sæpe fons boni sit fertilissimus, vanescit tamẽ virtus, adulteratur sæpius atque peruertitur eo magis, quanto discerpta ab vnitate per plures riuos & brachia deriuatur. Viderũt hæc

Ratio astrologica.

Obitus Caroli quinti.

Virtutes Caroli.

Philippus rex paternarum virtutum hæres.

Optimũ quicquid per pauciora media fit, minusque ab vno recedit in multitudinem.

hæc priſci Platonici, viderunt clariſſimi poëtæ & oratores. Men mutire nefas? nec clam, nec cũ ſcrobe, nuſquam? hîc tamẽ infodiã. Regnarũt hoc anno febres innumeræ, cõtinuæ, ardẽtes, tertianæ, quartanæ, quotidianæ, atq; erraticæ. Vidi tum primùm & quintanam, & ſeptimanam febrem, quarum in Epidem. mentionem fecit Hipp. mortui ſunt plurimi, ſed imprimis iuuenes: mulieres abortiebant ex minima cauſa. Secuta eſt hiems aſſiduè ventoſa & humida, præter ſententiam eorum qui putant cometis omnibus vim adeſſe perpetuam ad ſquallores immodicos. Imò, quod magis mirum, toto hoc anno & ſequenti rerum omnium fuit vbertas maxima, vbique luxus viguit & petulantia, pompæ & ſpectacula & arcus triumphales, tandem in nefariam libidinem, ambitionem, in hæreſes varias & conciliabula quædam occultiora prorumpens. Id enim eſt quod Celſus ait in negotio medico, Tunc cùm bene habitus eſt adoleſcens, corpore florido, carnoſo, ſucculento; tunc debere vel maximè opes habere ſuſpectas ſuas. Ideóque nec in valetudine proſperiore aduerſæ præſidia conſumenda. quod vtinam non prius in nobis experientia, quàm matura ratio deprehendiſſet. ſed rectè Epimetheo fratrem Promethea fabulæ coniunxerunt.

Morbipopulares.

Quintanę febres & ſeptimanæ ex aduſtionis vehementia ſupra nat. humoris melanch.

Malorum ſemina prima.

In optuma valetudine de aduerſa maximè cogitandum.

Porrò cùm annus ageretur à prioris cometæ phænomeno quartus, à Chriſto nato 1559. mortuo rege Gallorum Henrico (cuius ſplendorem eximium, virtutes, ac ſpiritus generoſos ſuſpexit Francia vt ſolem in vniuerſo) mox inteſtina bella propter religionẽ, & principum mutuas ſimultates, ſupra quàm dici poſſit horrẽda, per vniuerſam Galliam pullulaſcunt. nã illius oculo lethale vulnus inflictum, & fidei, cuius protector acerrimus fuit, alterum quoq; lumen extinctum iri non obſcura imagine portendebat. Sic hominum ludos, extremáque gaudia luctus Occupat, ex-

Henrici Gall. regis fatũ prodigioſum.

Circuitus rerum.

terna sic tempestate remota, Interior flagrat. Sequitur sic vnius ortu, Exitium alterius. nõ vsquam firma salutis Anchora, ni prorsus animo in sublime reducto. Patuit rei veritas in Romana historia: sed tum maximè, cùm Carthago deleta funditus, materiem exercẽdæ virtutis Italiæ subtraxisset. Nam ita ad bellum & seditiones prona est malitia mundi, vt quemadmodum in vlcere cacoëthe, nisi foris incũbat, quò vires exerceat suas, ipsum paulatim sese exedat, atq; conficiat: nec aliter in mutuam cædem mortales inhient, quàm ille taurus Virgilianus, qui

Frondibus hirsutis, & carice pastus acuta,
Et tentat sese, atque irasci in cornua discit,
Arboris obnixus trunco, ventosq; lacessit
Ictibus, &c. Georg. 3.

Mundus lite & amicitia constat.

Ostentũ crucis in arboris trunco.

Narrat Surius ostentũ mirabile anno hoc 1559. mense Martio, spectatum in ea Angliæ regione quam veteres Cambriam, hodie Valliam appellarunt. Annosa quædã fraxinus per medium immani tempestate dissecta, dominicæ crucis effigiem prodit affabrè velut exculptam, & vndiq; tum figura, tum coloris specie circumscriptam, magnitudine pedis humani. Relicta est hæc ibidem ad spectaculum pluribus annis: atque, vt idem chronographus rectè dixerit, ad infigendam pectoribus nostris crucis memoriam, tempore sceleratissimo, quó q; illius hostes atrocissimi propius imminerent. Illud sanè prodigium ex intumo diuinæ benignitatis, ac misericordiæ sinu profectum puto: ac si ita nobiscũ

Quomodo Deus loquatur cum hominibus.

loqueretur: Agant inimici, insaniant, tumultuentur vt lubet: tantũ aberit vt veræ religionis stigmata, crucisq; piã memoriam ex humanis pectoribus deleant funditus, quin prius caudices arborum vel summa tempestate diuulsi sint eius ideam imis in penetralibus seruaturi. Quid verò vnquam absurdius homini christiano, quàm illud persequi contu-

contumeliis, quo viuus ille pependit nostræ salutis author, omnemq; & contumeliam, & mortis supplicium humeris suscipiens suis, patri sese vt victimam atque ἀνάθημα humani generis consecrauit? Certè præter crucẽ Domini nihil se scire Paulus quantũuis in literis ac disciplinis versatissimus, fatebatur: in vna cruce omnis spes nobis relicta est, solius & viuæ Philosophiæ fons, & ratio aperitur: omnis moderatio vtriusque fortunæ, omnis nostrorum vulnerum cura, fastus, cupiditatis, luxus, torporis, iræ inuidiæq; remedia delitescunt. Sed pluribus rem eandẽ Surius: qui sub idem tẽpus alterius ferè cõsimilis prodigij meminit, Crucis speciẽ in simbria nobilioris fœminæ natã. cõtigit hoc in alia quadã Angliæ parte (Cantuã vocãt) Nos frustrà his describẽdis latius immoramur. Secuti sunt annis proximis, præsertim 1561. ac deinceps, in Frãcia tãti armorũ fremitus, tot seditiones, rapinæ, cædes, excidia templorum, ciuitatũ, aliorúmq; monumentorũ insignium, vt vna hæc perturbatio reip. Christianæ, ceu sæua Tisiphone terris immissa, trã gædis omnibus sufficientem materiem facilè subministret.

Crucis dominicæ vis & gloria.

Aliud ostentũ crucis in vestis simbria.

Euentus.

Sed & ista ex illo terribili Solis defectu anni 1560. mense Augusto, lunæq; labore 1562. ab Astronomiæ vtcunque peritis, licet sub rudiore forma, ac typo duntaxat vniuersali, poterant præsagiri. Fuit autem Solis Eclipsis 21. Augusti, statim post vndecimam horam ante Meridiem; finis post primam, min. 23. contra quàm tabulæ monstrãt. locus in septimo gradu Virginis, magnit. punct. 7. cum dimidio ferè. Ita & Lunæ obscuratio 12. Martij à nobis obseruata, multum absuit ab Alphonsino calculo. cœpit enim hora tertia, m. 40. Visa est eodem anno lux ingens 30. Ian. hora 9. vesperi, cũ subobscuro terræmotu. Totius anni status ventosus admodum, tempestatibus multis atque procellis infestus. Mira tempestas grandinis, fulgurum, tonitruorum

Solis defectus terribilis.

Lunæ defectus.

Variameteora.

Papilionum exercitus.


truorum Leodij, 5. Iunij, homines & pecora multa oppreſſit. Venti vehemẽtiſſimi 3. Auguſt. Papilionũ exercitus circa 15. Auguſti. volabãt hæc animalcula propter aquas, ea frequẽtia vt curſum fluminis obſcurarẽt, potiſſimũ poſt occaſum Solis: hinc ſeſe ſub noctẽ referentes, per vicos velut inſtructis copiis vagabantur, nihil ferè à tineis differentes.

Ratio tum Phyſica tum Aſtrologica.

Parens in Ephemeridibus ſuis adnotat idem viſum anno 1551. Auguſt. 16. anni 1718. nosq́3 tertio iã, & quarto annotauimus ſemper cũ apparerent, eadẽ anni parte ſpectatũ, circa Aug. mediũ ſcilicet, poſt conſtitutionẽ æſtatis omnino conſimilem, per ſchematiſmos Saturni & Veneris. An quicquam in prodigiorũ genere valeat nec ne, nondum mihi ſatis eſt exploratum, præſertim quãdo cauſarũ præcedentium conſtans analogia, ſit ſatis ex naturæ viſceribus deprehenſa.

Iris inuerſa.

Septẽbris anni 1560. die 25. manè arcus cæleſtis inſignẽ ſpeciẽ vidi, coloris, fulgoris ac poſitionis inſuetæ. ſtabat enim cõuexa parte Solẽ verſus, cõcaua verò verſus cuiuſdã parilij ſubobſcurum typũ, qui quaſi ad Circium annuebat. Color puniceus ea parte qua Solem intuebatur, ſed viridis qua ſpectabat occaſum. quæ res planè prodigioſa, ſed



tamẽ à paucioribus animaduerſa, quorſum tetẽderit, inue-
nire facillimum eſt. Solent enim ex illiuſmodi ſimulachris
conuẽtiones & fœdera aliena à regis animo præſagiri; quã-
quam fortaſsis & naturalis ratio in duplicata reflexione
ſtatui poſsit. Fatis conceſsit rex Francorum mẽſe Decem-
bris ex tumore gutturis repentino. Obiit & Ferdinandus
Imperator. Incruduerunt paſsim ſeditiones, factiones hære-
ticæ: multisq; è medio clam, publicitúſue ſublatis, infiniti
denuò tanquam ex Hydræ præſectis capitibus germinarũt.
Sæuitum eſt vtrimq; in Gallia ſupra omnem humanitatis
ſpeciem, nedum pietatis Chriſtianæ. Eò enim furor ille pro-
ceſsit, vt neque fœmìneo ſexui, neque imbelli puerorum ge-
neri, imò ne quidem grauidis parceretur. Diris ſe inuicem
ſuppliciis illuſtres familiæ perſequuntur, nullo obſtante ve-
teri religionis, aut ordinis, ſanguinis aut amicitiæ iure. Nõ
ille ſeruor propagandæ, vel aſſerendæ ſidei fuit, ſed vindictæ
furor atque æſtrum immedicabile: vbi præter humanas le-
ges atque diuinas, tumultuante imprimis ignobili vulgo,
modò ſublimes in crucem aguntur alij, nulla impacta cri-
minis nota, niſi quæ pridem conceptis odiis viſa eſt, quæque
habendi aut vlciſcendi rabie ſingi atque prætendi poteſt;
modò truncatis auribus, genitalibus, exectíſque viſceribus
viuam anatomen horrendo ſpectaculo præbent; modò per
vicos raptitum viri, tum fœminæ nudæ magno horrore pa-
riter, pudore ac ſcandalo ſexus vtriuſque, vulturibus expo-
nuntur, aut palo affixi, multisq; cõfoſsi vulneribus, natan-
tes in ſanguine ſuo in lacus, in flumina, in puteos præcipi-
tãtur. Iã mihi nõ amplius prodigioſa eſt animaliũ trãsfor-
matio, poſtquã & homines nõ dico in ſaxa, in ſpeciẽ brutã
leonis, aut tigridis, (quæ hominũ cõparatione ſunt huma-
niſsima) ſed in teterrimũ cacodæmonem, aut quid deterius
(etiã ſub pietatis, iuſtitiæ, religionis titulo) tranſmutãtur.

Quid ſignificet.

Furor prodigioſus.

De raris & prodigiosis diuinæ iustitiæ, ac prouidentiæ characterismis circa tumultus Belgicos, & nunquam satis deplorãda dissidia.

CAPVT II.

VErùm si certa sententia est suam cuique rem verti, paries cùm proximus ardet: eatur nunc ad illa quæ terras nostras florentémque hactenus reip. statum propius vrgent, quæ velut afflatu quodam, & contagij vi paulatim ex paruis scintillulis, in ferox incendium excreuerunt. Apparuere primũ & notæ inferioris prodigia, velut quæ 27. Decembris 1560. visa est ignea trabs, manè circa horam quintam. Eam præcipuè spectarũt Angli, & qui prope Insulas, Namurcum, tractúsque finitimos degunt. Ardebat cælo summo conspicua, per 2. propemodũ horas, vltrò citróque discurrens, brachij longitudine, tanto fulgore vt meridies videretur.

Trabsignita.

Horrendæ ventorum tempestates anno 1562. 21. 22. 23. Ian. sed longè maxima circa ingressum Solis in Arietem 11. Martij, ex copula Saturni, Iouis, Martis, Solis, Mercurij: fuitq; annus tempestuosus, instabilis. Multa clades illata maritimis locis; morbi à fluxionibus oriundi, populariter grassabãtur supra modum, vermes, abortus, sicca puerperia, inflammationes subitæ, dysenteriæ, lues quoque infanda pecoris in Hollandia, natis vermibus passim circa hepatis regionem. præsertim hac hyeme contigerunt, anni totius cursu ad Austrum, & pluuias ferè continuas inclinato. Vlyssonæ tanta caligo diebus natalitiis Christi, vt pũtent Pharaonis tenebris comparandã. Secuta lues infanda multorum milium. Vidi ipse die 25. festo scilicet natalis Domini, hora tertia p. m. sub Sole lineam tenuem, nigram, quæ in raram longitudinem exporrecta diu permansit.

Tempestas horrenda.

Vermes in hepate.

Caligo Pharaonica.

Pestis.

manſit. Sol autem in nube æquali, denſa, radios nigerrimos ſpargens, interdum velut ſubſilire videbatur, credo ex vaporibus interiectis. Secutus eſt, vti tum præſagierã, terræmotus die 17. Ian. anni 1563. cum fulminibus, quæ poſt ventos atrociſſimos, tandem in maximas ac diuturnas pluuias eruperunt. Hæc ferè quo tempore ſumma contentio inter Guiſianam & Condeanam familiam ardeſcebat, multis vtrimq; cædibus in miſerandum totius Franciæ excidium perpetratis. Capto tandem Condeo, non multò pòſt Guiſianus occubuit, tormento præter expectationem omnium repentè ſublatus. Ita ſuis ſe viribus confecit Francia: tantúmque abeſt vt periculũ faciant qui viuis ſunt relicti, quin efferati amplius incendantur: tandem & rabidi properent pulchram per vulnera mortem. Libet his illud accinere, ὦ δόξα, δόξα, μυρίοσι δὴ βροτῶν, ὅσ' ἐν γεγῶσι, βίοτον ὤγκωσας μέγαν. O gloria gloria infinitis mortaliũ, ἐφ' οὐδενὶ exiſtentibus, vitam tumido extudiſti ſpiritu, vt apud Eurip. in Androm. vbi & polycratiã aperta oratione condemnans, ſic ſubiungit, ἃ δ' ἐν πόλεσι δ' ἴσοτυχοι τυραννίδες μιᾶς ἀμείνονες φέρειν. quod & in nautis, & medicis, & fabris vtcunque perſpicuum eſt. Quare mox ita concludit, ſapientium multitudinem (affectus ſcilicet varietate diſtractam) vno ſibi cohærente imbecilliorem exiſtere, minúſque valere tum publicè, tum domi. Memorandæ clades à tempeſtatibus multis narrantur Hollandiæ, cæteríſque locis maritimis accidiſſe, præſertim 10. Iulij. Vix vnquam memini me tot tantáſque tempeſtates, atq; duobus menſibus hiſce continuis obſeruaſſe: præſertim 6. Iulij, 8. 10. Aug. 1. 11. 16. 20. 22. Sed hæc tantũ vt ludicra, ſi ad illa conferantur quæ mox ſe terris noſtris aperiunt.

Viſum in ſole.

Terræmotus.

Gallia ſuiſmet viribus ruit.

Polycratiæ noxa.

Laus Monarchiæ.

Diluuia & clades Holl. Zel. Friſiæ.

Anno 1564. ille cõgreſſus planetarum ſuperiorũ trium, Saturni, Iouis, Martis, ac ferè cæterorũ omnium, in Leonis

Rara ſynodus planetarum ſuperiorum.

veſtibulo, iuxta Copernicum, vel, vt Alphonſini volunt, in finibus Cancri quàm admirabilis? vbi continuus lunæ progreſſus à coniunctione planetæ vnius ad coniunctionem alterius, donec per ſingulos filo quodam perpetuo volueretur. Huc, huc primum, huc animorum acies dirigatur: nõ quòd à ſignis cæli quæ gentes timent, ſit nobis ſimiliter metuendum: ſed ne diuinos monitus, bonitatiſq; , & prouidentiæ illa quantumuis obſcura veſtigia in poſterum contemnamus. Hæc enim vix abſque ſequenti rerum omnium metamorphoſi maxima ſieri conſueuerũt, circa quas minimũ transferuntur quicunque obtulerint Deo compoſitum ius, fáſque animi, ſanctóſque receſſus mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto.

Vis ♃♄♀♂ in annos plurimos prorogatur.

Perſianum.

Chaſmata.

Viſa ſunt anno eodem chaſmata & hiatus, cuiuſmodi noſtra hæc ætas quampauciſſimos animaduertit. Semel menſis Feb. 18. die, circa 10. noctis: ſemel Octobris 7. die figura propemodum, modo & duratione conſimili. Nube enim illuſtri, quæ Lunæ claritatem vinceret, intra limbum obſcurum atque ſubliuidum comprehenſa, alternis excuſſi radij, alternis flammæ ad ſingulos ventorum impetus excurrebant, qui ſubinde velut in haſtæ ſpeciem debiſcente cælo, ceu vaſta ingluuie ſorpturi terras, & maria videbantur. *

Hiatus deſcriptio.

Hiems ſupra modum prodigioſa.


Acceſſit his omnibus hyems illa præ portentis cæteris, ob aſperitatem frigoris, admiranda: quæ modò ventorum Aquilonarium tyrãnide diuturna, modò diluuiis, & ſupra modum fluminibus auctis non homines tãtùm è vita ſuſtulit, ſed & ſata in terris, ſupra terram annoſas arbores radicitus deuaſtabat. Cœpit hæc primùm anno 1564. à 9. Decemb. die. vix planè deſiit ante Aprilem: Dilatet concreuit, bis inundauit niuibus repentè ſolutus, præſertim 6. Ian. atque 11. Feb. ſed poſterior fluminis huius incurſus

me-

CAPVT

CHASMATIS DIVERSA

EFFLVVIA



memorandæ cladis vestigia nobis impressit. Circa natalem Domini tãta erat frigoris penetratio, vt & muccus in naribus concresceret, atque apposita foco fercula à gelu vindicari vix possent: quin passim pauperioribus aures, pedes, manúsque & putrefacta genitalia decidebãt, vbi extincto prius calore natiuo ad gangrænam, siue sphacelon immedicabilem peruenissent. Ea fuit vbique rerum facies atque miseria, vt omnem scribendi, dicendíque facultatem longè exuperet. Moriebantur indies non tantùm homines atque armenta, sed & aues concretæ frigore decidebant. Periere passim annosæ nuces, pyri, persicæ, mori, ficus, rosarum frutices: vites quoque relictis ad propaginem solis radicibus, quæ supra terram extabant, penitus marcuerunt. Quare nec tantùm vini secuta est ingens caritas, sed & annona sese intendit supra modum, destituẽte nos omni copia tum fructuum, tum leguminum. Quod autem non minus mirandum, Bruxellis aliisque pluribus locis pestilentia sæuit acerrimè, credo propter astrictionem immodicam sanguinis atque humorum, quæ prohibuerint quò trãspirare minimè possent. Vigebant alterius generis morbi innumeri, sed potissimum phlegmones faucium, siue anginæ, celeriter interimentes: Item phrenitides malignæ, pleuritides, peripneumoniæ, sanguine nimirum per ἀντιπερίστασιν vehementius inflammato, offensisq; à frigido multo tum neruosis partibus, tum respirationis instrumentis. Hoc enim nobis vsu assiduo nunc exploratum est, vtcũque in alijs regionibus pluuiæ assiduæ morbos plurimos creent, apud nos tamen vel propter assuetudinem, vel naturarum sympathiam, hoc statu commodius degi: nisi quòd fœminæ tũ vermibus magis obnoxiæ, & pueri, qui natura sint humidiores. Verùm in diuturnis squalloribus, præsertim si adsit vehemens calor, aut frigus, tum demum medicorum messis vber-

Caritas rerũ omnium.

Pestilentia.

Morbi varij & difficiles.

Cur nostræ regioni diuturnæ siccitates imbribus magis periculosæ.

vberrima. Hyemis tantam ferociã plures ad cauſas Aſtro-
nomicas referre conati, parum præſtiterũt. Verùm vniuer-
ſalis ratio potißimum latuit in illa ſynodo Satur. Iouis,
circa fines Cãcri: acceſſerunt ſuccẽturiatæ minores, ac præ-
cipuè diuturna copula Martis Mercurij circa lacteum cir-
culum, in principio Sagitt. Mercurio circa ſtationem, vel
longit. mediam Epicycli, gradum deinceps ſic promouente,
vt in coniunctione Martis quãdiutißimè permaneret. In-
cidebat autẽ tum temporis & trigonus Saturni, Solis; verũ
quòd Mars gelu impẽſius præſtet, præſertim Mercurio iun-
ctus, nemo miretur: moment enim tum ferè Eteſias flatu
ſicco & Aquilonio terræ ſuperficiem incruſtante, vt ſemel
impreſſa frigidi vis ægrè deinceps à cauſis contrarijs caſti-
getur, verùm vel leuißimis obſequens modo conſentaneis,
magnæ tamẽ efficaciæ momẽta vel ex vna ſucceſſione ſimi-
lium conſequatur. Sed vt verior ratio conſtet, ac magis in-
genuo corde profecta, vnde rectius deduci potuit, quàm à
nobismetipſis? Frigebant dudum in hominum præcordiis,
inqúe viſceribus intimis ſtudia pietatis chriſtianæ, chari-
tatis venæ erga proximum quemque in Scythicam glaciẽ,
imò in cryſtallum, aut illo quid durius obriguerãt. Vna pars
alteri faceſſẽs negotium, propter philautiam, nihil nec ſa-
num in toto, nec integrum permittebat: vnde & bonorum
operum ſurculi, ac melioris fortunæ ſemina putruerunt.
Poſtremò tum veræ gloriæ, tum æſtimationis antiquæ ar-
bores, ad radicem vſque conſumptæ, & aridæ, vix aliò ſpe-
ctant, quàm vt putentur tempore ſuo: vtqúe quemadmo-
dum Dominus ait, in faſces, & ſarmenta diſſectæ æternis
ignibus deſtinentur; niſi concepto ſpiritu nouo, ac diuinæ
mente perfuſæ, rurſus in ſuccum turgeant meliorem, fru-
ctúſque cæleſti lumine dignos ferant: quò nos iuuabit qui
poteſt, atque inuitat vltrò, ſi nobismetipſis nõ defuerimus.

Cæ-

Cauſa hiemis tam portentoſæ Aſtrologica.

Eteſiæ.

Ratio theologica cũ prælagio vel ſignificatione prodigij.

Cæterum illud inter tot cohærentia mala visum est singulare, dignúmque quod à medicis expendatur? A prima ætatis nostræ memoria nunquam æquè grassatum in regione Belgica morbũ, qui Plinio à symptomatibus dictus est stomacace, vel schelotyrbe. Videtur autem proximè ad magnos lienes Hipp. pertinere, vel fortassis ad Ictericiam nigram. oritur enim putrefacto sanguine melancholico, potissimum in mesenterij vasis, ac circa splenem. Induit hic, quando obstruitur, naturam malignam, oppido vrentem, & venenatæ affectionis indicia prodit imprimis in ore: nã dentes cũ gingiuis nigrescunt, ac penitus relaxantur, cum habitu tetro, qui multos contagio sæpe affecit; deinde verò & in crure, maculis paruis & magnis valde liuẽtibus, velut in sugillatis, cum dolore hypochondrij, spinæ ac ventris totius. Durat vt plurimum aliquot menses: medicamentis durioribus irritatur: peculiare antidotum inuenit experientia nunc in decocto scordij, cochleariæ, nasturtij, sisymbrij aquatici, herbæ Iberidis, nũc radicis smilacis asperæ vel guaiaci, nec ferè aliter quàm per vrinas commodè vacuatur. Sæpissimè id genus occurrit, paulatim nobis nunc familiarius, cũ primò tamen & Frisiis solis atque maritimis ἐνδήμιος videretur. Sed nunquam vt diximus ita sæuiit atque huius anni mensibus primis, ac toto vere vsque in æstatem. Credo etenim sanguinem vniuersum vi frigoris, multorum in venis fuisse concretum: & si quando aliàs idem visus est morbus, ferè post diuturnas, vel asperiores hyemes solet emergere, præsertim his quibus res angusta domi est, victúque succi deterioris aluntur, velut oleribus, leguminibus, fructubus, carnibus porcinis, perfumatis: vide Hipp. in Epidemiis.

Morbus stomacaces & schelotyrbes mirãbilis.

Causæ.

Indicia.

Antidota & curatio.

Ratio cur hoc anno vigueris populariter.

Viderer mihi piaculum merituras, si paterer silentio noctis inuolui splendidũ illud miraculi genus (quo quis nomine

Mulieris obsessæ prodigiosa historia.

mine vocet, non laboro) quod in vrbe Laudinensi Galliæ ad veritatis firmamentum, ante tot millium ora, atq; oculos testatum voluit Deus. Ætatis & formæ floridæ mulier, Nicolaa d'Aubrij, iam primùm connubio iuncta, vitæ & religionis integerrimæ, correpta dæmonio est secundo Nouemb. die, anni nũc labentis à Christo nato 1565. Quæ verò prodigiosa ipsius affectus specie, quantis artibus dæmõ quos ludos ediderit, quanta cum admiratione populi, cum Sacramenti CHRISTI IESV *maiestate & gloria, plenius hi scripserunt, qui præsentes omnia contemplatiregendæ, custodiendæque mulieri præfuere. Nam & horum vnus fide dignissimus vir, Cononicus d'Espinoij, mihi ob curationem antiqua necessitudine iunctus, & rem narrauit ordine, cùm licuit coram: idémque paulò pòst absens libellis Gallicis exaratam dono misit, aliorum quoque. celeberrimorum hominum testimoniis, præcipuè tamen authoritate, atque sigillo Parisiensis episcopi confirmatam. Quod præcipuum est dicam breuiter. Ostendit se prius fœminæ hic genius malus in forma defuncti siue cædaueris, auum sese illius esse dictitans. postquam verò per sacerdotem vi verbi sacri exæstuans, dæmonem se professus fuit, iam niger, hirsutus, ac longè supra quàm dudum terribili specie rursus inuisit, subreptámque semel & iterum, de loco in locum transtulit, demũ post multa foris oblata phantasmata, præcipuè cati, aut scarabæi, crabronis, ipsummet iuuenculæ corpus obsedit. Hîc blandius inter initia notos, ignotos pariter, suis quemq; nominibus compellare, multis qui confessione sacra sese non expiassent, fanda, infandáq; detegere palam: donec exhibita per sacerdotem hostia sacra, velut iniecto freno conticesceret. Nec tamen penitus cessit, Deo sic ad maiorem potentiæ suæ gloriam permittente. Quin hostis ille humani generis, quò laboranti fœminæ*

Dæmonis prima aggressio & ludibria.

Signa affectus.

Antidotum singulare.

omnem

omnem remedij ſaluberrimi viam interciperet, eandem ſæpe momento temporis oculorum, auriũm, oris officio, & facultate priuarat: Sed appoſitus ille cæleſtis, ſiue angelicus panis mox omni actionum earum vinculo liberauit. Viſum operæpretium fuit laborantem theatro publico, & in conſpectu plurium collocare. vbi diuerſa vice verbis diuinis per antiſtites ſacros exagitatus ſpiritus nequã, ſeſe ſecundum à lucifero dixit: nec ſolum habitare hoc domicilio, ſed omnium numerum eſſe triginta: quod & expreſſis ſignis, pro vero habitum fuit: cùm tranſlata paulò pòſt ad Eccleſiam

Miraculum inſigne.

D. virginis, effuſis precibus repẽtè dæmones 26. vno agmine, atque in nimbi nigrantis ſpeciem diffluxere: quod matris Chriſti pietate in genus humanum, atque interceſſione datum diuinitus, nemo vel cæcus non animaduertat. Verè etenim tu nobis quodcunque bonum eſt, tu ſceptra Iouémque concilias, tu das epulis accumbere diuũm, nimborumq; facis, tempeſtatumq; potentes. Non multo pòſt 3. alij in æde ſanctorum omnium magno ſtrepitu obſeſſam mulierem reliquerunt: eos fuiſſe ordinis tertij à lucifero, ex ipſorum profeſſione conſtabat. Permanſit omnium princeps quamuis inuitus, (vt ipſe coactus prodidit) prædicens inſuper, quibus ſignis quiſque diſceſſum ſuum, plenamq; liberationem mulieris in proximo eſſe cognoſceret; neque id prius futurũ eſſe, quàm Laudunenſis Epiſcopi opera pelleretur. Interea non ceſſabant publici ritus, & ſacra ſolemnia: quibus quando intererat, tanta mox figurarum in habitu fœminæ ſecuta peruerſio, tam horrẽda facies viſa eſt,

Symptomata prodigioſa.

vt omnem ſcribendi vim, omnémque tranſcendat mortalium fidem. iã moles triplo, quadruplo auctior; iam nares, oculi recurui, flammei, horrendum intuentes, oui quantitatẽ extuberant foras: lingua oris hiatu ampliſſimo nunc ad ſternum pectoris vſque, nunc ad aures, & tempora in om-

omnem dimensionẽ vibrata torquetur: caput orbiculatim spinam versus, & crura conuulsum rapitur: vt nisi octo aut nouẽ ministris coercita teneatur, rursus abrepta cunctorum oculos & manus euadat. Vnum asylum his omnibus in salutari nectare corporis Dei viui: cuius prapotenti radio, ceu Solis accessu, raptim illæ nocturnæ tenebræ vanescebant. Quanquã tum risu, tum admiratione dignissimũ, quòd interrogatus subinde cur vultum auerteret fœminæ, cùm sacra fierent: Quia me (inquit) Iohannis candidi ternet imago, quem tamen ægrè nunc dominum, atque magistrum agnosco meum. Sed cur eum sic nominas? respondit, Sic nominare docui professores Euangelij nouos, quanquam istic sit tamen HOC *: ita abrupta periodo illud innuens, Hoc est corpus meum, &c. Sed rursus cùm tute mẽdaciorum sis omnium parens & artifex, quis tibi vel vera dicenti credet? Verùm (ait) natura non eloquor, sed veritatem nunc coactus aliunde vt mutuò sumpsi. Momordit hic lusus insigniter quibus de veritate Sacramenti contraria insedit opinio. Conati sunt alij ad artem magicam, alij ad naturalem affectionis speciem relegare, sed nequicquã. Magnus erat concursus vndique spectatorum: complentur vici, fora, templa, porticus: ac penè de causa disceptantibus variè, ad seditionem res progressa est. Luctatam semel mulierem cum ipso medico ferunt, quem & pugnis affectum dimisit cum ignominia, palam pòst confitente dæmone, quopacto medicus idem, cum magno discrimine laborantis, octo grana antimonij clam in os iecisset, quæ quia non satis comminuta porrexerit, per vomitum reddidisse, alioqui per posticam exitura. Adhibitæ sunt & ligaturæ, & frictiones, cucurbitæ, sectiones variæ, vnguenta, emplastra, antidota, tẽtatæ omnes Machaonis artes. Nulla viam fortuna regit, cessere magistri Phyllirides, Chiron, Ama-*

Asylum in Eucharistia.

Iocus dæmonis.

Quopacto dæmon malus interdum vera loquatur.

Controuersia in populo.

Ridicula medicorũ iactãtia In rebus planè diuinis.

thæoniusq3 Melampus : vna ſalus in corpore ſaluatoris. nã demum oblato Sacramento dies continuos 3. per Epiſcopũ Lauedinenſem, tum precibus aliisq3 diuinis officiis, ita compreſſus ſpiritus nequam, qui ſe Beelſebub nominarat, vt quanquam paulò antè ſupra ſolitum efferatior, concuſſam mulierem fatigaſſet : nunc ſubitò tamen 8. Februarij, die Veneris (ſed prius edito ſigno quod prædixerat dudum) vi-ctus erupit, terribili tonitru, vlulatu, fumo, flãmáque ſulphurea tẽpli faſtigiũ cõplens, vt vel à multis ab vrbe paſſibus audiretur. ac tum primò (quod nunquam antè pro arbitrio mouerat) ſiniſtro brachio reſtituto, certum liberationis ſuæ argumentũ mulier dedit, adductis manibus crucis amplexa imaginem, toto corpore in genua reclinato, roruentos oculos ad ſydera ſubrigebat, vultu inſuper ipſo iã non mortale quid amplius relucente, ſed cuiuſdã diuinitatis radio, ac ſplendore pulchritudinis aucto ſupra modum. Lachrymæ præ gaudio tum parentibus atque amicis, tum ſpectatoribus Chriſto fidelibus exilierunt. Multis eo ſpectaculo mẽtis oculi ſunt aperti: multis, ad ſupplicij grauitatẽ, animus factus eſt obſtinatior. Pompæ, & gratiarum actiones habitæ meritò beneficij tanti, quæ victoriam verbi ac veritatis tam apertam contra ſathanam eiusq3 prætextatos, aut hominum ſpecie laruatos artifices celebrarent. Viuit incolumis hæc eo quo ſcripſi tempore, valetq3 pancraticè, cum marito iucundiſſimè degens, vt iam tertiæ prolis enixu fœcunda mater exiſtat anno hoc 1573. Diuturnus illi à liberatione ſpiritus mali, reſidebat in corpore languor, per vices increſcens, qui tamen à medicamentis acerbior factus, à ſacris officijs denuò miteſcebat. Vnde res agitata amplius per hæreticos, Condeum principẽ mouit, eoq3 delata mulier prædictorum omnium fidem fecit. Multis præterea malorum machinis vltrò citróq3 iactata miſerè, regis tandem

Liberatio mulieris obſeſſæ imprimis prodigioſa.

Nota tempus obſidionis exactiſs. 14. Septemb. à 2. Nouemb. ad 8. Febr.

Prodigioſa mutatio circa formã muliẽris reſtitutæ.

Triũphus verbi diuini.

Curatio morbi & languoris ex ſathanæ afflictione relicti.

tandem Caroli, qui ipſus Laundinum venit, auctoritate componitur, omniq; deinceps bonorum cumulo reſtituta eſt. Quanquam verò vnius miraculi nomen huic hiſtoriæ competat, tamen ſi paulò penitius cuncta perpendas, forſan & futurorum aliquod arcanum latuit inuolucrum: ſi ſtatum Eccleſiæ Gallicæ nunc afflictiſſimæ; ſi perturbationem, atque implacabilẽ morbũ reip. Chriſtianæ; ſi perſecutiones innumeras, contumelias, cruces; ſi tremendam ſpeciem poſt annos aliquot diuino rurſus fulgore, ac pulchritudine decorandam; ſi dæmoniorum principem cum tribus aliis notæ inferioris, ac 26. pedisſequis è Stygia fauce laxatum; ſi & rerum geſtarum ordinem vniuerſum, ſi formas affectionis prodigioſæ, & tempora compæremus. Rarò etenim hi numeri 1.3.9.26. aut 27.30. certo myſterio carẽt. Eſt quidam in illo diuinum maximè, poteſtates dæmonum primò ceſsiſſe, qui & ordine fuerint inferiores: primò 26. inde 3. velut duces: poſtremò & regem omnium: tanto maiori cũ ſtrepitu, & terrore mortalium, quanto quiq; maioris nominis videbantur. Atqui rarò ante 30. annos ſemel exagitatæ inſigniter reſpublicæ in formam priſtinam reuoluuntur: quod multi ad congreſſus Sat. & Iouis, ſeu motionum cæleſtium periodos referunt. Sed latet his aliud magis reconditum, atque omnium primum, abyſſus inexplicabilis Adraſtiæ: nec eſt noſtrum ſcire momenta, vt alias dictũ eſt; aſt vbi euenerint, ſignisq; reſponderint ſuis, benignitatem & ſapientiam Dei extollere verum quemque, ſeu Chriſtianum philoſophum decet. Videbitis porrò non ſolùm in rebus externis ideam futurorum, ſed & in fatis vnius regionis fata quodãmodo alterius eſſe depicta: vt quò ſe animus in altiores cogitationum anguſtias recipit, magis ſemper, magisq; quod in ordinibus mundi miretur, inueniat, vt ſemetipſum alieno periculo corrigat, ſuis erroribus

Allegoria præſentis Eccleſiæ ſtatus.

Vide de numero 30. Eſdræ vaticinia lib. 9. cap. 4. de reliquis numeris, præcedentis lib. caput 4.

Circuitus 30 annorum.

Contra eos qui temporũ momenta inquirunt.

Fata vnius regionis in fatis alterius exarantur.

tempestiuè, sibíque perniciosis affectibus libellum repudij mittat. Audiunt multi, auscultant pauci: dicam cum Persio,

Magne pater diuûm, sæuos punire tyrannos
Haud alia ratione velis, cùm dira libido
Mouerit ingenium, ferueuti tincta veneno:
Virtutem videant, intabescuntq; relicta.
Anne magis Siculi gemuerunt æra iuuenci,
Et magis auratis pendens laquearibus ensis
Purpureus subter ceruices terruit: imus,
Imus præcipites, quàm si sibi dicat, & intus
Palleat, infelix quòd proxima nesciat vxor?

Tempestas admodũ prodigiosa.

Ac ne festinantius iusto ab huius anni diuinis spectaculis prouehamur, lubens adiecerim extremè terribile tẽpestatis genus, tonitruorum, fulminum, grandinis: quæ Louanij à Solis occasu, ad medium noctis incanduit, anno eodem 1565. *mensis Iulij die* 24. *Ascendit ex euronotho terrima nubes, diuersis coloribus interfusis variè, velut Orci aut Acherontis voraginẽ præ se ferens: cõtinuò in plurimas rimas deductis faucibus scintillarum ingens copia, per vices absistunt, tanquam è fornace, aut ferro cùm incudi appositum malleis agitatur. Tum verò vbi ad verticem venit, Deum immortalẽ quantus vbique pauor! quanta ferocia! vnum ferè continuum murmur auditum est, acsi cælo tellus & syluis maria miscerentur, vnum quoque continuum fulmen atque hiatus, ac si iniectis facibus mũdus vndique conflagraret: tum oui magnitudine grando increbuit: tum (quod animus meminisse horret) dirus in aëre fremuit vlulatus, qui nec hominem sonaret, nec vllum bruti animantis genus; sed tamen proximus fuit, qui catis catulientibus solet, cum tinnitu, qualis à vasis aheneis vbi pulsantur, editum dicas. Non dubito applausum & choreã cacoda-*

Dæmones tẽpestati permixti.

cacodæmonum adfuisse, qui spe futurorũ nunc arrecti amplius, festos dies ac bacchanalia celebrarint.

Propemodum è vestigio cœptæ sunt Belgicæ factiones, & inter principes sata dissensio, cuius & fumus & flamma in hodiernum diem vsque perdurans, necdum vel cum funesto totius exitio conquieuit. Orta enim inter gubernatores ex æmulatione dissensio, ex animorũ dissensione contentio, secum & vulgus ignobile concitauit, iam inde paulatim ab anno 1565. qua progressa latius anno 1566. paritérque in spẽ sublatis hæreticis, agitata est funditus malignorum hominum fæx, cui tunc primum optabilis vitæ est, opésque & dignitates affluunt, cùm sursum deorsum voluuntur omnia. Secuti sunt igitur ex cõsimilibus causis, quæ regna Franciæ, Angliæ, Germaniæ, aliarúmque nationum, vrbes, & populos subuerterunt, euentus quoque consimiles totius Belgicæ olim fœlicissimis terris: quarũ vbertati & gloriæ vti tum gentes finitimæ inuiderunt; ita nũc afflictissimæ suísque ruenti viribus, propè ad desperationẽ fortunæ melioris insultant, fatalis cuiusdam tituli velut omine diro, sontes pariter atque insontes ad veri mendicabuli speciem pertrahente. Quemadmodum verò inter violenti vorticis fluctum, atque aduersi syderis tempestatem, prudentia nautæ nec non insignis dexteritas elucescit; sic sanè & illustrissimæ Parmẽsis fœminæ spectata est virtus eximia, quæ vix absque virilis sexus pudore proferri in medium potest, sed nec absque nota ingratitudinis præteriri. Stabat illa immobilis, incõcussa, hærens scopulis, & quantum vertice ad auras æthereas, tantum radice in Tartara tendens. Quid memorem nostræ tum ciuitatis, tum academiæ Louaniensis raram in antiqua religione constantiam? quid vulgi, ac magistratus, & studiosorum adolescentum, quid hominum ætatis cuiuscumque, & sexus, & cõditionis

Discordia virorum principum ingens ruinæ publicæ seminarium.

Nomẽ fatale.

Muliebris cõstãtiæ exemplum.

Diuinus impetus animorum in republica.

ardentissimam pietatem, fidémque in Deum, regem, patriã, in patrias leges, & cõsuetudines? quid sumptus supra quàm sua sors ferret, labores, vigilias, bellandi obsistendiq; spiritus, supra quàm militaris disciplinæ insolentia pateretur? cùm nihil à Musis Marte sit alienius, vicit profectò diuini amoris flamma in imis pectoribus habitans, impellénsque acrius, quàm quoties torto volitat sub verbere turbo. Fuit ille seditiosorum hominum furor vehemens inter initia, dum se nobilium patrocinio tutos arbitrarèntur: sed idem fortunæ aduersis fluctibus paulatim fractus elanguit, vbi præter spem suam, multis hinc inde oppressis atque pessundatis, etiam quos sibi velut duces, aut antesignanos ad scelerum suorum licentiam dubia quadã imaginatione conceperant, nunc aduersari maximè, nunc terga vertere cognouissent. Nam & magnatum plurimos, dum supra studium suum natas tragœdias animaduertũt, malè auspicatæ rei seram iam pœnitentia cepit: deinde & anceps æstus incertos rapuit, vt sæua rapidi bella cùm venti gerũt, vtrimque fluctus maria discordes agunt. Quare quãtumuis illa semel effusa in omnem licentiæ campum humana temeritas vix vllis repagulis legum, atque armorum obiectis copiis potuerit cohiberi: cessit tamen in vnum iam conspirante magnorum principum manu circa medium Martij 1567. postquam scilicet Hantwerpiæ primùm edicto Principis, magistratus, & Catholicorum obnixu præpotẽti spes maleuolorum fracta intercidit. Tarda quidem occurrit hæc sapientia rebus propemodum deploratis: sed quæ nisi venisset, vno momento omnem in Belgio toto felicitatem pristinam, ac veræ religionis cultum ruinæ perpetuæ cõcessisset. Hallensis ciuitas, & Valencenæ suis sese principibus & maiestati regiæ dediderunt.

Error popularis & funesta præsumptio.

Sera pœnitẽtia.

Hoc omitti non decet, anni huius 1566. Iulij 18. paulo

ante

ante Iconomachiam rursus horrendæ nubis imaginem su- Nubes prodi-
pra finitorem conscendisse. Huic nullum coloris abfuit ge- giosa.
nus, testor ipsus ex αὐτοψία, dixisses illius antiqui chaos imaginem, vt à poëtis maximè celebratur. Vbi ad verticem constitisset, ingentia quidem fulgura cum grandine iacu-lata est, sed expectatione minora, cùm in illo quidam insi-gniter rutilans ac velut ardentis Ilij flammeus color, mun-do conflagrationem propè minitaretur. Sed eneruatæ sen-sim species tam prima fronte terribiles in ventos acres & pluuias desierunt.

Eclipsis Solis ingens die 9. April. h. 10. min. 12. ante Eclipsis pro-
Merid. cœpit anni 1567. in vigore cõstitit h. 11. min. 40. digiosa.
desiit paulò post medium primæ p. m. punctis ferè 9. cum medio totius diametri obscuratis. Lumen pallidum valde, terris fortasse portendens deliquium maius, quàm vnquam cælo conspectum fuit. Cœpit ab occasu ac parte Solis infe-riore, nullis tamen apparentibus stellis, nisi quòd tempus vespertinũ videretur. Ascendit vigoris tempore 11. Leonis. Ipsus defectus in 28. Arietis. vnde non abest multum quæ modò ceu noua ac peregrina fax terris illuxit, quã mox in Tauri principio describemus. Iã castigatis impiis, & inau-spicatis cœtubus dissolutis, sperabat respublica sese prope-diẽ in integrũ posse restitui: verũ ea peccata sanè grauissi- Diuini furo-
ma, quæ vix centenis annorum anfractubus expiantur, non ris magnitu-
poterant non ineffabile diuini furoris flagellum in turbam do.
mortalium (sontes pariter atque insontes) cælitus excita-re. Nam vt liquatis niuibus sensim torrentis vnda exube-rans; sic ira diuorũ minatur diu prius quàm impetum fa-ciat, obuia quæque corripiẽs: at semel immissa, vel dormiẽ-tibus nobis, vel ob veternum portitoris ruptis aggeribus, latè deuastat omnia proterítque: si quare linquit, ea tum multo madore perflua, tum fluctubus exoluta (nisi de nouo

ſubſtruas) in cariem ducit, ac ruinæ periculis obijcit ſempiternis.

Venturæ calamitatis dira præludia.

Anno itaque 1567. de cunctis certior facta regia maieſtas, miſit Albanum ducem, hoſtibus ipſis vel ſola antiqua geſtorum fama ac memoria metuendum: cuius potenti dextra quicquid in ſua ditione corruptum ac putidũ reſtet, ad viuam vſque radicem amputaretur. Erat fortaſsis illa diuinæ iuſtitiæ lex, certúmque conſilium, quale interdum & Medici inflammatis viſceribus, aliiſque in morbus difficillimis imitantur, dum vel authore Hipp. vel Galeno affluentem ſanguinem non modò reuellunt, ſed & ad animi vſque defectum ſæpe euacuant. Nec vno tantùm iudicio mundani ſpiritus propinquũ fabulæ totius cardinem præluſerunt: Iam & terrarum, & pelagi vultus neſcio quid dirum ac turbidum minitabantur.

Pluuia frumenti, aliaq; portẽta varia.

Pluiſſe triticum ferunt non procul à Lutzenburgo. Aquæ exorbitantes amplius inundarunt, corrumpuntur agri, ſata læta, boúmque labores. In hominibus ipſis contrariorum affectuum pugna (ceu mixta dolore voluptas) vix tertium quemque conſiſtere

Morbi populares ex horrore mortalium nati.

paticbatur. Nunquam tot ſubitò morbis comitialibus, apoplecticis ſunt extincti. Nam poſt niues plurimas ſuperueniente cõtinuo gelu, fluxiones è capite ceu manu compreſſis ſpongiis defluebant celerrimè ſuffocantes. augebat vehementiam mali conſtrictus metu ſiue anguſtia ſpiritus, tum ſanguis ipſe in vaſis ſenſu præſentium, præteritarum rerum memoria, ac futurarum horrore concretus, quo nihil vel ad putredinem vel obſtructionem, atque ex conſequenti ad febres peſtilentes, inflammationéſque eſt efficacius. Conſentiebant aſtronomicæ cauſæ, quas referre nunc ſuperuacaneũ duxi. Guilhelmus Naſſouius Princeps Aranſinus, ſedata ſeditione Hantwerpiæ, ſummóque diſcrimine ſuperato, multa reputans cum animo ſuo, ac malè ſecurus,

magna

magna nobilium caterua comitante discessit, April. 21, anni 1567. scilicet tutam pauperiem, atque exilium præferens possessioni ancipiti, ac nimis periculosæ. Monitus erat & comes Egmondanus aperto satis oraculo: nam vbi exemplo suo ad permanendum reliquos hortaretur, responsum illi quasi per lusum ferũt, ipsum & latioribus humeris, lumbísque robustioribus præditum esse, vt insultorum possit aduersos impetus sustinere. Verùm quid agas vbi certo numine res aguntur, ac semel ereptus animo splendor humani consilij vires, fortunámq; destituit? Fata oberant, placidáque viri Deus obstruit aures. Ita certissimum ferè præsagij genus nunc ab ipsis interdum præcordiis hominum quibus intenditur, nunc & ab increbescente strepitu vulgi vim veritatis obtinuit, iuxta dictum Prophetæ, vox populi vox Dei.

Fuga periculi tempestiua.

Animus sæpe ex confidentia cœcus.

Præcessit & aliud portentum admirabile, verũ à paucis animaduersum: nam post squallores diuturnos æstatis à 21. Maij ad medium Iulij 1567. repentè 14. die ortus est ventus vehemẽs, eius generis quæ λευκονότε nomine Hipp. insigniuit. is enim sereno aëre spirans ex Austro Africo tãta violentia in fruges iam pluſquã maturas ingruit, vt cõcussis calamis partim, partímq; diffractis, (quæ verè calamitas appellanda est) vniuersum propè frumenti genus sterneretur, porcis & auibus, cæterísque animalibus peregrinis in vitæ subsidium cedens. Quo quidem ostento quid aliud innuit peccatoribus Deus, quã quod apud inferos olim turba gentilium in vno Tantalo per figuram poëticam lusit? quàm quod in sacris tot indefessa voce declamant vates? quod legem & fœdus suum relinquẽtibus ipse per suos ministros ac nũcios sæpe minatur Deus: seſe videlicet vt pueris delinquentibus ostensurum quidem plurima bona, ac velut in manus daturum, quæ tamen priusquam labra

Venti aridioris impetus, portentosus.

contingant, possessor auferat alienus: vt vos non vobis vellera fertis oues. Liberet è sublimi specula nunc illud altius exclamare,

En quò discordia ciues

Concordia res paruas crescere, discordia maximas quatque dilabi.

Perduxit miseros, en queis consueuimus agros. Sed & ista propter affectus humanos semper instabiles, suã quoq; vicissitudinem habent: ne quis vel in gurgitem iræ diuinæ præcipitatus vnquam dum vixerit, de clementia eiusdem atque inexhausta bonitate desperet: τὸ γὰρ φέρον ἐκ θεοῦ, καλῶς φέρειν χρή. Vt autem redeamus vnde digressa fuit oratio, venit in Belgicam terram regis exercitus. Decimo enim die Augusti 1567. præcursores Germani primum per Louanium iter fecerunt Hantwerpiam versus: secutus est dux Albanus multis tum Hispanorum, tum Italorum antiquæ militiæ milibus comitatus.

Vicissitudinis in rebus humanis exemplum admirabile.

Capti sunt 9. Sept. 1567. & coniecti in carcerem illi quorum nomina vt virtus olim ac rerum bene gestarum gloria ad dignitatis fastigium semel euexit, ita nunc casus inopinatus, subitus, exemplo maximè formidando, acerbam sui memoriam, terrorémq; ineffabilem in hominum sensus atque ora diffudit. Eodem tempore Gallicæ pacis ac fidei disrupto fœdere (quod inter pugnantes hæreses, cultusq; religionis ita difformes rarò vel tutum esse potest, vel diuturnum) nouæ rursus in Francorum regem exortæ seditiones, & quæ sepultæ hactenus videbantur simultates, velut excusso cinere subitò in maximum incendium proruperum. Mirum certè, imò præ aliis admirandũ, duos monarchas orbis Christiani potentissimos, tuendæ religionis, concordiæ, æquitatis maximè studiosos, acerbis tamen seditionum fluctibus ita iactatos hactenus atq; exercitos, vt naturam vtriusque pulcherrimam credas meritò cum fortuna aduersa duello propè perpetuo laborasse. Sed hoc illud est

Religio vinculum pacis.

quod

quod breui oraculo constat, magnis magna cõmittit Deus. Non est quòd inspectandæ deinceps fabulæ humanæ causa se quispiam in regiones conferat peregrinas, totúmque orbem circumiens & mores hominum, & casus perlustret & vrbes. Pauci qui deinceps sequuntur anni multorũ vel millium instar omnem fortunæ vtriusque effigiem optimè circumscribunt: tot repentè mutationes incidunt, aliis ex humili casa in sublime subuectis, aliis in præceps è fastigio deturbatis, iuxta illud, tollimur in cælos curuato gurgite, & ijdem subducti ad manes imos descendimus vnda. Multis celebrioribus tum Flandriæ, tum Brabantiæ locis, vt Gandaui, Namurci, Valencenis, Bruxellis, Hantwerpiæ, omnia complentur armato milite: vbique luctus & pauor, aliis nunc è conuiuio, è strato molli atque complexubus parentum, fratrum, coniugum, liberorum repentè ad carcerẽ ductis; aliis è carcere ad mortem, aut carnificinam morte crudeliorem: lamentis; gemitúque, & fœmineo vlulatu tecta sonant, resonat magnis plangoribus æther. Iam hæc sunt illa æterna diuinĩ furoris, atque iustitiæ monumenta: hæc spretæ in nobis pietati præmia certa restabant: hæc denique morbis extremis summa remedia, vbi pro claris triumphis irent obscuri & lugubres dies, pro pompis lætitiæ quotidiana funera, pro vini fontibus effusi sanguinis riui ante ora mortalium fluitarent. Sed ego hæc latius, & supra quàm proposueram tragico stilo, vt istuc attentius intuens vel sera posteritas discat in rebus prosperis illum qui author est omnium reuereri, ac tum in terra, cælisq; amicos sibi parare cùm res in tuto esse crediderit, vt quando excideris fallente vestigio, præstò sint qui subrigant protinus, fulcróque solidiore confirment. Id verò nusquã nisi in vnitate credentium, quæ certo duntaxat ordine, ac longè pulcherrimo, ab vno vertice CHRISTO IESV *per Apostolos*

Prodigiosa in publicis rebus fortunæ vtriusq; mutatio.

Contẽptæ religionis ac pietatis tragicus finis.

Felicitatis anchora in vnitate consistit.

ſtalos ſuos & ſucceſſores, per manus & membra reliquæ vnius Eccleſiæ hactenus in continuum prorogatur. Felices ter & amplius quos irrupta tenet copula, nec malis diuulſus querimoniis ſuprema citius ſoluet amor die. Verùm vix noſtræ tragœdiæ actus ſecundus præterit. Cœpta eſt ſub idẽ tempus, nimirum 28. Octob. 1567. arcis delineatio prima, in fronte ciuitatis Hantwerpianæ: Incidebat tum & lunæ eclipſis punct. 4. cum triente, quæ cœpit paulò ante primã, fuit in vigore circa ſecũdam, min. 50. poſt tertiam ſtatim decreſcens ambobus luminaribus afflictis radio viriuſque malefici Sat. & Martis. Vigebat nunc quoque ſecundũ directionis curſum elapſa dudũ obſcuratio Solis. Nec minus in Gallia concitatis inter ſe copiis pugnatur acerrimè, vt q3 hîc ſupplicio capitali, illic fortuna belli multorum milium ſtrages editæ terram humano ſanguine fermentarunt.

Defectus luminum.

Seditionũ, exempla grauiſſima.

Scilicet & tempus veniet, cùm finibus illis
Agricola incuruo terram molitus aratro
Exeſa inueniet ſcabra rubigine pila:
Aut grauibus raſtris galeas pulſabit inertes,
Grandiáq3 effoſſis mirabitur oſſa ſepulchris.

Regis Galliarum copiæ circa finem anni in angustum admodum ab aduerſariis rediguntur. ſed tandem obtinuit pietas, ſeruatúſque diuino numine incolumem ſeſe ab hoſtium ſuorum machinis expediuit. Concilij ſanctiſſimi Tridentini decretum Louanij promulgatum eſt Nouemb. 29. Interea & principis filius Comes Buranus, præclaræ inſtitutionis ac generoſæ indolis adoleſcẽs, ſubitò acceſſitus Louanio in Hiſpaniã ducitur 16. Feb. 1568. Diſceſſit paulò pòſt optima Gubernatrix, rerumq3 reliquit habenas. Plures illam nunc abſentem queſtu, & iuſtis laudibus proſequũtur, quam præſentem aliquando vix tulerũt: vt ferè in rebus humanis ſolet, atque elegantiranarũ apo-

Caſuſi multiplex varietas.

logo

logo fabulator Phrygius præmonſtrauit. Prope Dalenſem ciuitatem collecta Gallorum manus menſe Iulij 1568. occulto molimine vagabatur: ſed callidus miles Hiſpanus vt ſuboleuerat, maturè impetu facto vicit, oppreſsisq; ad internecionẽ vltimã triumphauit. Mox & Bruxellis capite plectuntur è captis nobiliſsimi quiq;, vſque ad 18. aut plures numero. Circa 20. Maij in Friſiam comes Lodouicus irrumpit: occidit fato crudeli, ſed ſibi decoro, atq; huius prouinciæ luctuoſo, comes Arenburgenſis: cadit ex altera parte principis frater, comes Adolphus. Accepta clade fortiſsimorum militum, regalem curiam cum luctu nõ mediocris terror inceſsit. Quintæ verò Iunij in profeſto Pentecoſtes, plectuntur & illi quorum illuſtris natalium ſplendor mortis terribilem famam velut momento in orbem ſparſerat vniuerſum: raptus eſt imperio regij nominis, qui dextrum regis ipſius latus ſæpiſsimè clauſit, domitúſque & placidus inſtar agni, fato ſeſe ac diuinæ prouidentiæ ſubdidit, cuius aliquando vultum inſtar leonis pauit Gallia. Sed ego iam meimet penè oblitus nimium in contexendis hiſtoriis pedem fixi, quod reliquum eſt ſcribat poſteritas, cui licebit & planius multo & tutius: quanquam nec ipſus eò vſque progrederer, niſi me fortius iſtic iræ diuinæ veſtigia commouerent: quò nimirum conſtet quàm ſui ſignorũ omnium, euentuum, atque cauſarum apta connexio: quamq; omnia in omnibus hactenus diuina pariter atque humana conſentiant. Nam & ante tot funera, tot cædes atque conflictus, teſtis erat ceu futurorum index certiſsimus conuerſa ſolis facies in orbem rutilum ac ferè ſanguineum, omnì ſplendore priſtino deſtitutum, qualis à nobis, aliisq; pluribus ſereno aëre, diu ante occaſum viſus eſt anno 1567, Sept. 20. die. Confer nunc vniuerſum hiſtoriæ curſum, vide quàm viris nobilibus, præſertim nono pòſt menſe hic illæta-

Aeſopus omnium tũ præſentiũ tũ futurorũ certiſsimus vates.

Fortunæ ſublimioris horrendũ præcipitiũ ac funeſta cataſtrophe.

Solis prodigioſa facies.

illætabilis annus atque exitialis extiterit.

Pluuia sanguinis per multa Brabãtiæ loca.

Illud modò non citra horrorem maximum, ac triste mentis præsagium scribi potest, quòd ipso Pentecostes die, quo maiestas æterni spiritus olim in homines fusa, vsque in mundi extremos angulos permanauit, nunc atri sanguinis guttæ innumeris locis ingenti copia sint repertæ, præsertim non procul Louanio, & sacri montis archiuo. Testes sunt infiniti qui ad memoriam rei, ramos ingentes vlmorum, & quercuum succo purpureo grauidos retulerunt. Ipsæ & humiles herbæ, & gramina cum celsis arboribus passim per syluas diu huius cruenti sæculi notas, ac stigmata tenuerunt. Quicquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.

Pestilentia cũ aliis epidimicis morbis.

Interea & pestis Louanij sæuiit, sed magis in proximos pagos. aliis contagiosæ febres, cum sopore, delyrio, atque exanthematibus variis cõtigerunt. Sed quò contextus rerum atque ordo perpetuus constet, dux Albanus animoso spiritu præceps in hostem cum toto agmine vertitur. Simul atque in Frisiam venit, aduersariorũ copias mira tum celeritate

Celeritas in rebellica.

negotij, tum loci, rerúmque oportunitate confecit 21. Iulij,


Perfidiæ militaris exemplum.

cæsis prope Groeningam multis Germanorum milibus, qui & comitem penè prodiderant, dum more suo pecuniam in ipso conflictus turbine postularent. Ferunt comitem vicini fluminis cursu nudum sibi salutis viam ac natandi peritiæ reperisse. Celebrata est victoria cum triumpho memorabili Bruxellis, omni velut iam tempestate fugata. Sed nondum finis. vt enim in hominum moribus sunt circuitus certi, sic & in signis siue prodigiis, inq; omnirerum mutatione docuimus.

Chasma horrendũ in cælis visum.

Mox ante infaustam irruptionem militum Germanorum, nónne eadem portenta in aëre visa, quæ paulò ante confœderationis auspicium? Nam & hiatus, siue vorago cæli circa Septentrionem velut excussis hastis ardentibus, telis,

telis, atque flammarum globis, vniuersum aërem per noctem integram illustrauit, 1568. *Sept.* 25. *nec multò pòst Princeps Aransinus Mosam transgressus non parum huic regioni terroris inuexit.* * *Verùm illa maiestas nominis*



regij & constans populi erga eandem fides in hisce tumultubus non secus quàm aurum ignibus explorata est, nec secus quàm puluis à vento, à Solis potenti radio niues atque caligines discuti solent, ita & nostrorum aduentu coacta tempestas celeriter expirauit. Multa quidẽ in ea expeditione contigerant, quæ referre singula non patitur locus.

Fides & constantia populi erga regem.

Secuta est hyems asperrima vsque in medium mensis Martij 1569. *Inundatio facta Louanij præceps mense Ian. die* 13. *Templa Arscotij, Thenis, aliisq; cõpluribus locis igne percussa cælitus accenduntur. Viguit rursus & stomacace, & schelotyrbe: sed ante alios morbos melancholia hypochondriaca, multis tum horrore assiduo marcescentibus indies,*

Inundatio.

Morbi populares.

indies, tum insolenti rerum nouatione attonitis. Paulò pòst Condeus occubat, traiectus in acie tormento bellico, quem certis occasionibus irritatum in regiam maiestatem multi velut tragœdiæ caput atque choragum ẽsse voluerant. Vsq; adeò ad generũ Cereris sine cæde & sanguine pauci descẽdunt reges.

Eclipsis Lunæ satis horrẽda.

Mensis eiusdem die qui præcesserat tertio, hora tertia, manè Phœbe eclipsim horrendam patitur, diris coloribus insignita. primò etenim fuscus, inde sanguineus fulsit, mox & puniceus, & virens, & liuidus, ac tandem incredibili varietate deformis. Iris expressa noctu hora 12. visa est Martij 12. cælo sereno ac temperato, spirantibus Cauris.

Aëris inclemẽtia.

Stabat hæc diu suis perfectè coloribus insignita. Accessit gelu prodigiosum, subitum, lõgè acerrimum, à 14. Martij, vsque ad 16. diem. per syngamiam Sat. Solis, Martis, Mercurij. Secutus est è vestigio terræmotus 14. Maij, circa 12. noctis, cum rauco murmure. Ferebant tum tẽporis & spectra rursus in aërẽ peruagata. Equidẽ hora secunda, m. 40. transactis, concussionem quoque alteram sensi, bis continuè, quarum vltima ad spatium 3. aut 4. minutorum circiter perdurabat: colores tum in aëre vidi varios, incerta specie, valdè terribiles. Puto huc aspirasse radios antè dictos circa ingressum Solis in Arietem, accedente nunc apta connexione per trigonũ Iouis, Martis, atque Mercurij. Ferè sub idem tempus coram principibus terræ Belgicæ, proposita primũ census regalis inuestigandi ratio difficillima, confragoso murmure, plebem in diuersas sententias concitauit.

Terræmotus.

Causa Astrologica.

Hos terræmotus exceperunt maximæ tempestates. Prima vẽtorum, fulminum, grãdinis, cui vix vllius pugni amplitudo certauerit, (aiebant in plerisque fuisse & capitis molem) in agro Heuriensi prope Louanium, die 13. mensis Iulij:

Grando prodigiosa.

Iulij: altera tonitruorum, & procellarum, mense Aug. die 18. quæ tanquã ruptis nubibus, effusisq; cæli catarrhactis hiatum protentosum terræ, simulq; arenæ alluuiem incredibilem circa Parcense cœnobium inuexerũt. Domus passim in pago Vinkebosch in terram ad fauces vsque demersæ, arbores altæ iuxta viam consitæ ita subuersæ à radicibus, vt capite in terram reuoluto, infernæ partes ad syderæ prospectarent, vt & in hunc vsque diem residua quædam monumenta testantur. Non dubium quin ex antè defixis castris eadem in regione, idola quædam siue phantasmata inter se colluserint, inuitus discessura à mœnibus nostris, dum velut chorea circumducta rursus hostili exercitu repetantur, quod ante finem anni fore cognouerant. Interea propter necessitatem bellici nerui, multis hinc inde difficultatibus ortis, exulcerata plebs insolescit mirum in modũ.

Tempestas prodigiosa cũ hiatu atque arenarũ alluuione mirabili.


Veniunt Hispani milites Louanium 24. die Aug. 1569. vixerunt cum ciuibus modestißimè, ac supra quàm quisq; metuerat, credo vt ipse Musarũ attactus emollijt. Sed antè quàm philosophiam plenè perceperant, discesserunt, Sept. 22. querelis precibusq; apud ducis excellentiam fusis, imprimis verò intercessione clarissimi dominì Doctoris B. Ariæ Montani, S. paginæ interpretis regij, quem & in aliis infinitis patronum sibi insignem tum ciuitas, tum vniuersitas sensit.

Mars inter Musas.

Porrò Sept. 10. die anni 1569. portentum aliud, dum apud nos agerent, Hispanis militibus visum, vti ex pluriũ (qui fortè tunc agebant excubias) narratione didicimus.

Hiatus cæli mirabilis.

** Primo circa vndecimam noctis, ab Hellesponto cælum quasi perfusum sanguine, eius tamen fulgoris vt legi quæuis potuerint. inde cum luce infanda, crux orta rubicunda, octogona: postremò crux alba, splendoris admirandi, vt conspectum oculi vix sustinerẽt: tum & cælum discindi visum*



visum est, & stellæ discurrentes ordine perturbato flammas inuicem iaculari: capiat hæc qui mente valuerit, inq3 craterem illum Mercurij sese demerserit. Sed confer obsecro effusionem sanguinis quæ pòst secuta est: & mox phænomenon syderis noui in speciem crucis fulgidissimæ constitutum. certè hæc omnia non nisi à communi quadam intelligentia rerum gubernatrice profecta intelliges, dum (vt libro superiore latius dictum est) miserta generis nostri, ideas aduentantium rerum Minerua quadam rudiore depingit, vt mali præsagus animus nunc somnianti-bus nobis, nunc vigilantibus per similitudines sæpe præmonstrat.

Cõsensus partium vna lex in vtroque mundo.

Vtq3 attentius istæc mortalium oculis insiderent, accessit alter cometa pallidus circa Nouembris initium, cauda vibrata longius in Subsolanum, qui profesto Martini (octauo scilicet die) paulò altior visus, sed mox increbrescentibus ventis cum imbre cõtinuo, dissolutus euanuit.

Cometa Saturnius.

Anno



Anno ſequente 1570. *mira in rebus plerisq; mutatio, ceu inſolentioris fortunæ ludibria cõtigerunt. (ſed obſeruãda hîc non ſupinis oculis radiorum illa mirabilis ſymphonia, quæ contigit ſtatim poſt medium menſis Maij) Spectata ſunt varia cælo chaſmata, præſertim prima Aprilis, & 4. Aug. multi quibus pridem in alios vitæ necisq; poteſtas data, abuſi gratia Ducis, in crucem aguntur. ſed nos conſultò illorum nomina prætèrimus. Germani milites, quòd ſuo comiti cùm Valencenis agerẽt durius reſtitiſſent, perductæ Hantwerpiam, atque inſidiis circumuenti, argentum ferro, vitam morte commutant.* 16. *Iulij regali theatro magnificè ſtructo dux illuſtriſſimũ donum regalis clementiæ promulgauit. Anna Auſtriaca, inuictiſſimi Imperatoris filia, Philippo regi ſereniſſimo deſpõſata, ventis ſecũdis mare ingreditur, nauigat in Hiſpaniam. Menſis verò Nouembris diebus ſecunda & tertia cùm ab illa cometæ ſuperioris apparitione nũc anni exacti circulus volueretur, dira ſuccеſſit clades Hollandiæ, Zelandiæ, Friſiæ; dum euerſis aggeribus, pagis, armentis obrutis, hominum quoque multorum millia vi diluuij ſunt abſorpta; quo tamẽ propediem velut in nube depictum, ac multo ijſdem crudelius alterũ imminueret. Obſerua hîc ſedulò continuatã temporis ſymphoniam, acſi fatali ſerie in eundem diem multa ſucceſſerint non paruam admirationem apud poſteros habitura. Nam & anno ſequenti in Friſiæ tractu ſanguinem pluiſſe mox audies: anno deinceps altero in Geldriam venit exercitus regis, & prima tantarũ cædium auſpicia his regionibus extiterunt. Cùm itaque præter alias tempeſtates inſolitas,*

Rariores copulæ planetarum.

Rerũ humanarum viciſſitudines crebræ & prodigioſæ.

Diluuium oppidòmiſerandum.

Calamitatum in idem tẽpus incidentiũ ſeries propè fatalis.

Prodigiorum assiduitas portentosa.

solitas, diluuia ignis & aquæ, monstra, prodigia, vix vnquam ab auis & atauis tot congestæ diuorum minæ, tam filo perpetuo conspirarint: credibile fuit nũc imminere denuò rerum æstus ex imo fundo inenarrabiles, ac status publici metamorphoseis: præsertim regionibus illis ad quas diuorum nuntij mittebantur. Aquæ etenim rursus insolescentes Louanij bis via vi facta & vicos humiles, & tecta perrumpũt. Semel anni huius 1571. Feb. 5. atq; iterũ æstate media Augusti. 23. per diuturnas copulas Sat. Solis, Veneris, Mercurij, ex auctis imbribus præter communem

Exorbitationes fluminũ.

Aëris intemperies rara.

naturæ, & temporis cursum. Vix vnquam procellas ita cõtinuas vidi atque à 15. vsque ad 23. sed maximè vigesimo primo, per diem ac noctem integram, acsi reclusis omnibus valuis Deucalioneum sæculum impendisset. Ingens vbique iactura & calamitas irreparabilis, quanquam nesciam sanè in eo genere an plus incuriæ, aut quorundam insciticæ, an pernicaciæ potius circa ostiorum negotium, an materiæ affluentis exuberãtiæ fuerit tribuẽdum. Vt vt est, ita dis visum fuit, illudq; verissimum patet, quicquid delyrent reges plectuntur Achiui. Ferè sub idem tempus (si magnis parua conferre licet) turris amplissima D. Petri collapsa lateris vnius parte versus Thenensem portam, seu plagam Orientalem, diu ruinam horrendam ciuibus minitata est, sed & mansit immota pòst, & vt curetur expectat, quamuis non tam medici desint, quàm nerui & curationis apta materies. At hæc inopia cum Musis habitãs duros ac sobrios in plerisq;, in multis verò nos tutos hactenus, atque securos fecit. Sunt ista ex ominum potius quàm prodigiorum genere, in quibus tamen propter concentum se consequentium rerum inclusa persæpe diuinitas latet. Nos huius acerui cætera, quòd superstitionem propius visa sint redolere, prætermittenda putauimus. Interea febres acutæ admo-

Ominis exemplum apud Louanienses.

Secura paupertas.

admodum cum delyriis, morbilli, dysenteriæ, vermes supra numerum grassabantur: tum plurimi passim pestilenti cõtagio perierunt, præsertim Bruxellis, Hantwerpiæ, mensibus Iunio, Iul. Aug. Sept. Octobri. Sed nunc maiora in medium proferamus: non omnes arbusta iuuant, humilésque myricæ. Alius nũc rerum ordo, alia facies aperitur. Ortus enim paulatim fremitus popularis, anno 1571. ob causas omnibus manifestas, sensim vires & pabula sumpsit. Regina Angliæ grauiter periclitata, tamẽ euasit. Cũ verò multa pecuniæ vis absumpta in vsus bellicos, nouam exigendi occasionem præbuisset, proposita res vulgi iam dudũ incẽsos animos inflammauit.

Morbi populares.

Vox populi.

Itaque eiusdem anni Sept. 11. die vesperi, post atrocissimam tempestatem, tertium chasma in aëris parte quæ circium spectat, prioribus non absimile nobis effulsit, externorum hostium irruptionem alteram præsignificans, ab eodem cardine scilicet vnde corpus illud prælucidum, nigranti peripheria clausum, vibratos vndiq; velut è centro flammarum radios exerebat. Anni vero sequentis primo statim vestibulo (nimirum Ian. 1572.) turbarum summa φλόγωσις incanduit, obstinatis animis tumultuatur ignobilis plebs. Aperit se verò nunc primùm philosophandi è sensibilibus rebus opulenta materies: quã sanè liberet velis ingredi plenioribus; sed neque historiam tracto, neque me fugit quod ad Asinium Pollionẽ scribit Horatius, qui belli causas, vitia & modos, graues q; principum amicitias, & arma nondum expiatis vncta cruoribus periculosæ plenum opus aleæ tractat, incedere per ignes suppositos cineri doloso. Quare quæ licet in istis qua modestia, vel apathiæ rabore possum, attingam breuiter, quò cõstet quãtopere nauilorum sese myriades, ceu iunctis ansulis trahant, vbi maioris indies infelicitatis authores inuenit temporis opportunitas.

Alius hiatus cæli.

Animorũ ferreus rigor.

Præclara admonitio.

Scopus authoris in historiarum capitibus referendis.

tunitas. cùm enim res ad seditionem spectare nunc propiùs videretur, parati mox plurimi inter exules in loca maritima perruperunt April. initio 1572. vbi primùm sub libertatis amplissimæ titulo, nullum propè vel anarchiæ vel insolentiæ genus omissum ferunt. Sic sanè sic miserãdo mortalium generi contingit ab uno infelicitatis extremo in alterum volutari, atque dum medium quærũt, dextrũ Scylla latus, læuũ implacata Charybdis obsidet. Loquor de his potissimùm qui rebellandi prædandiq; studio Deum in lingua, Martem cruentũ & Furias dextra effundere consueuerũt; aut pacem orare, manu prætendere puppibus arma. hi enim sunt qui secum innoxios perdunt, & venia dignis omnem ferè salutis aditum intercludunt. Quàm verò durum sit homini contra stimulum calces vrgere, non minus ex huius liquet commenti diris successibus, quàm quõdam substructæ in cælũ arcis Babylonicæ, vel per aggestũ Pelion Ossæ. Rebus concussis vndique, status Belgici maturo cõsilio mittuntur è cœtu nobilium, atque ordine sacri, ad Regiam maiestatem. Interea & Principis frater comes Lodovicus, militaris astutiæ strenuus architectus, ac minimè segnis, celeritate mirabili Montes Hannoniæ cepit. Eodem temporis puncto & Valencenæ repentè ab hostibus occupatæ, qui tamen obiectæ arcis violentia denuò repelluntur, non absque infanda ciuium clade, cùm mox in reliquam turbam ea tempestatis atrocia verteretur. Cesserant paulò antè consimilibus dolis & ciuitas Vlyssingana atque Verensis, in tractu Zelandiæ. Paulatim & in Hollandiam se tota effudit eluuies: multæ vrbes, & arces viriliter restiterũt: seductæ plurimæ, aut spe metúue compulsæ, in potestatem hostibus concessere, vita iam vniuersim, atq; fortunæ bonis quasi in fritillum quempiam amandatis. Sic sanè progressus est hic miseriarum omnium rapidissimus

Inflammationis vigor.

Astutiæ ac celeritatis in rebus gerendis exemplum memorabile.

Calamitatum cathena quædã perpetua.

vortex,

vortex, ceu summa ἐπίτασις, donec pestilenti contagio in Transyssellaniam, Frisiam, & Geldriam vsque peruenerit. Interea plerisque locis vastantur & ædes sacræ, fugantur probi & improbi, vertũtur ima summis, sua cuiq; Deus fit dira cupido. Infracti animi dux Albanus, causæ & potestati regiæ fidens, parum turbari hactenus, aut festinãtius agere; sed dissimulare sedulò, paulatim duntaxat vires colligere, captare tempus idoneum, quo se minore periculo, maiore facilitate expediat. Successit illico, quod vel optanti diuûm promittere nemo audeat. Collecta Francorum turba (ferè sex millium) circa medium Iulij, cùm iter in ciuitatis Montensis præsidium destinasset, errore viarum atque indicis dolo lapsi in insidias hostium, deletiq; funditus, fato miserrimo perierunt. Dux ouans insignem expeditionis suæ promouet apparatum. Interea Princeps Aransinus à suis impulsus, vt occasionem tam præclaram non negligeret, qua & votis potiri suis, (vti persuasum fuit) ac periclitanti iam fratri ob illius causam, maturè posset occurrere, peditum equitumq; multis instructus millibus, paulò antè quàm Francorum edita strages, Ruremondensem ciuitatẽ ad Mosam cõsitam vi aggreditur, atque expugnat, Gallis militibus, ciuiumq; nonnullis (qui tunc armati occurrerint) interfectis: quod reliquum, ferè in prædam militibus datum est. Eares Brabantiam, oraq; finitimas tremere fecit; agrestes & sacerdotum plurimi in fugam vndique se coniiciũt. Mechlinienses læuæ mentis auspicio, cũ præhorrore militum Hispanorum paulò antè oblatum à duce præsidium recusassent, clam vna nocte inimicam illuuiem recepere. Paucorum sanè id conspiratio fecit, præter consensum vel expectationem optimorum ciuium ac magistratus. Sed semel immissa tempestas vniuersim pernagatur, nec tam subinde foricas, ac domos lenonias, quàm sacras

Lentè festinandum.

Strages memoranda.

Homo proponit, disponit Deus, qui solus nouit quid serus vesper vehat.

Animus ex anteactæ rei conscientia de salute desperans quid faciat vide.

ædes, aras, atque suggesta conuellit. Factum id annotauimus anno hoc 1572. Aug. 20. die, atq; tum verè locus oraculo fuit ex Aeneid. 2. Scandit fatalis machina muros, fœta armis, circum pueri, &c. Dux Bruxellas deserens, Bergensem obsidionem seriò iam aggressus, Ludowicum comitem, eiúsque præsidiarias turmas tormentis bellicis nocte dieq; satigat. Erat autem instructus ingenti exercitu Gallorum, Germanorum, præsertim pedestris armaturæ, cum antiquioris cohortis prætoriæ equitatu. Die autem 27. fama ad nos peruenit de cæde horrenda principis Admiraldi; peremptum callidè tanquam vocatum ad nuptias ferunt 24. Aug. profesto D. Bartholomæi: Quis stragem illius noctis, quis funera fando explicet? Nam ad exemplum Sichemitarũ in historia Dinæ, vno quasi momẽto plura cecidisse quinquàginta millibus arbitrantur tum Lutetiæ, tum alibi, fato crudelissimo & laniena virorum, coniugum, liberorum, omnis sexus, conditionis atque ætatis, his quidem traiectis globo, gladióue consossis, illis in præceps datis, aut furca, aut saxi congerie, aut vortice fluminis suffocatis, vt quondam aliàs de Tẽplariorum excidio, & Siculæ noctis infandis tragœdiis monumenta historica prodiderunt. Sed isto tam inopinato cardine, atque inter alios extremè formidabili casu, edocti cæteri, iam nutare amplius, iam serò sapere, iam præteritorum pœnitentia duci, ac propè institutum prius cum animis despondere: iam penè quo filo ciuitates antè defecerant, post Montensem deditam (vti mox audies) paulatim sese & aliæ in potestatẽ regiæ manus ceu post liminio recepere. At quænam rerum facies? quàm sæuo turbine & ima sursum, & summa deorsum rapta voluuntur! nunc illud est quod poëta Tragicus clamat,

Panicus furor.

Tragicus rebellionũ finis nulli exemplo hactenus horroris magnitudine comparandus.

Noctes Siculæ in prouerbiũ abierunt.

Sera pœnitẽtia.

Digressio politica.

Tardè licet
Veniat, venit tamen horrido pede cælitus

Delapsa

Delapſa tandem plaga, eoſq; corripit,
Pietate qui ſpreta, atque honeſti vinculis
Ruptis, ruunt dirum in furorem.

Vt elegãter ex OEdipo Col. Soph. vertit doctoſsimè Ratallerus. Sed vt idẽ cecinit, πόνος πόνῳ πόνον φέρει. *Ac ne digrediamur longius, non eſt cur noſtræ ruinæ cauſam quæramus alibi quàm in nobismetipſis. Sæpe meloris exẽplo, indemnes deteriores vocat ad pœnitentiam Deus, qui non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur ac viuat. Verũ (vt ingenuè dicam) cedimus, imq; vicem præbemus crura ſagittis. Ignouiſſe putamus Iouem quia cũ tonat, ilex ocyus quã nos domuſq; noſtræ percuſſæ fulgure cõflagrarint. Meritò ſic eos videt Satyricus:*

An quia non fibris ouium, Ergennaq; iubente
Triſte iaces lucis euitandumq; bidental,
Idcirco ſtolidam præbet tibi vellere barbam
Iupiter? aut quidnam eſt qua tu mercede deorum
Emeris auriculas? pulmone aut lactibus vnctis?

Inhumanitas efficitque neglectus tũ erga Deũ tum proximũ calamitatũ omnium cauſa.

Sic in calamitate publica quiſq; authorem quæritat, quẽ tamen nocte media, nullius luminis ope, in conclaui ſuo, inter propria ſtrata & veſtimenta fortaſsis inueniet. Hoc ibi fit vbi non verè viuitur, vbi quiſque ſuo emolumento metitur publicum bonum, vbi ſaluti ẽ propriam alterius duntaxat excidio meditatur: vbi omnis iuſtitia torpet, omnis ordo & diſciplina diſcerpitur, fides abrũpitur, luxata pietas omnis, & erga proximum quemq; humanitas pluſquã barbarica feritate refrixerit. Dum enim vnius reip. membrum alterum alteri non compatitur, (vt in illo Romani oratoris apologo) marceſcit totum atq; in tabum diffluit: vnde paulatim lege conſortij vel leuiculus dolor in pedis pollice natus, ſi manu adhibita durius infeſtetur, ſerpit momento temporis cor, hepar, cerebrum, vniuerſos humores,

Apologus Menenij Agrippæ de ventre & reliquis partibus vnius corporis. Cõſule Liuiũ Dec. 1. lib. 2.

ſpiritus, corporisq; particulas ſecum in conſenſum trahens, vt & eleganter Hipp. lib. De locis. Spectatum iam id ſatis ſupérque in ciuitatibus ſingulis, quarum fortuna plusquã Troiani excidij miſeranda cùm per ſe ipſa loquatur, hodie profectò (vt olim in depingendo Iphigeniæ ſacrificio feciſſe Timantem Valerius refert lib. 8. cap. 12.) non tam fortaſſis orationi aut ſcripto, quàm ſtupori atque vni propè ſilentio permittenda eſt, ijs dunt axat in memoriam reuocatis quæ 28. Deuteron. per ſapientiſs. Moyſen æterna verbi ſapientia in cõmune prædixit: Eo quòd non ſeruieris domino Deo tuo in gaudio, cordíſque lætitia, propter rerum omnium abundantiam, ſeruies inimico tuo quem Deus immittet, in fame, & ſiti, & nuditate. is iugum ferreum imponet ceruicituæ, donec te conterat; adducet ſuper te gentem de extremis finibus terræ, cuius linguam non intelliges, quæ nec rationem habeat ſenis, nec miſereatur paruulorum, ſed deuoret fruges terræ tuæ: ipſe erit in caput, tu illi in caudã, &c. quæ longo ordine tum præcedunt, tum conſequuntur. Nunquid & noſtræ reip. fortunæ, ac moribus ſatis hæc cõſentanea? nunquid Deum oſcitare ſemper, & ſui non meminiſſe dicemus? aut hæc prædicta diuinis oraculis quiſquã neget? præterea aut ſupplex aris imponat honorem?

Antiquum oraculum & perpetuò verum.

Digreſſio ad fortunã reip. Louanienſis, ac prodigioſam Dei clementiam erga mortales.

At hæc æternæ quidem iuſtitiæ, quam propter peccata prouocauimus, vindictæ quam promeruimus aperta ſunt teſtimonia: vultis & bonitatis ſuæ ſiue clementiæ (quã tamen neglexim us) præſens argumentum? Quæ pridem Louanienſi ciuitati fortuna contigerit, omnibus palam eſt: ſed protectori noſtro quid debeatur, non æquè omnes intelligunt: quare ne crimen ingratitudinis (quo nullum turpius vel oſcitantibus nobis obrepit) diuinarum laudum neglecta occaſione committam, rurſum nunc in priora conuertar, vt quæ præceſſerint aduentantis tempeſtatis ſigna commemorem:

morem: iamq; ille character viuax, & indelebilis diuinæ erga nos philostorgiæ clarius eluceſcat. Præter diluuia quædam, ruinas, hiatus, fulgura, terræmotus, aliáque vel omina, vel portenta ſuperius enarrata, quorum pars magna tum noſtra huic vrbi, tum locis finitimis peculiariter viſa ſunt minitari, vnum præ cæteris nunc in mentem venit: quod in puella quapiam nobis vicina, ætatis annorum 14. ſedulò eſt animaduerſum. Ea hoc anno 1571. in Ianuario, poſt inexplicabiles cruciatus ventris, & tormina ſub hypochondrio dextro, viuam anguillam cubiti longitudine inter alui excrementa deiecit. Geſtarat illum velut fœtũ per nouem menſes, ſuis incluſum propriis inuolucris, vt ex conſequentibus ſatis apparuit. Nam & mẽbranas formæ prodigioſæ pòſt excreuit, & liquores diuerſiſſimos quantitatis incredibilis, omne miraculum ſuperantes, imo & lapides, & ligna, & oſſa, & pilos omnis generis. Caſum hunc vniuerſum propter inſignem omnium raritatẽ particulatius explicatum ad calcem operis relegaui, ne nobis aliò properantibus ſit in mora. Cùm id genus morbi primũ à pluribus ſpectaretur tum medicis, tum idiotis; alij cauſam in veneficio poſuerunt, alij (quorum pars magna fui) naturam ſeſe in illo quamuis reconditam, ratione tamen eruere poſſe ſperabant: ſed victi ſymptomatum magnitudine, ac ſpecie nimis infanda, totum quoq; in præſtigiis reliquerunt. Equidem vbi quæ pòſt acciderant, cum huius hiſteriæ tam nouis ſpectaculis comparaſſem, altius reuoluens ſingula cum animo meo, videre viſus ſum mihi pulcherrimum typum eius procellæ quæ quaſi è veſtigio noſtram nil tale verentem remp. perturbauit. Viſum eſt denuò chaſma huius anni 1572. menſis Iunij die 15. hora 11. veſperi, exactè à cæli parte quæ ſubſolanum reſpicit. huius interior quædã vorago nigrior occurrebat, foris admodum luminoſa, ſecus

Affectus plenè prodigioſus in puella Louanienſi.

Chaſma in cælo conſpectum.

quàm

Grando prodigiosa cũ vẽtis atque fulguribus.

quàm in prioribus obseruaui, flammæ inter radios singulos ceu leuis armaturæ milites discurrebant. In ciuitate Aelstensi tantus ventorum, fulminum, grandinis furor increbuit 24 Iunij, vt omnes metuerint mundo supremũ diem.

Nubes instar iridis.

Quo tempore ferè visa est Louanij clarissima nubes, cælo sereno, ab ortu versus Africum exporrecta, miris coloribus intertexta, quæ sensim se versus meridiem inclinãs, diu instar Iridis stetit, paulò pòst transuersim incidentibus radiis exoluta, humanis oculis sese abripuit. Hãc & hostilis acies sese obseruasse testata est, priusquam nostris mœniis minacem flammam atque arietes admouisset. Sed amore paterni soli supra propositos fines, & consuetudinem altius feror, rei gestæ historiam admirandam, signisq; iam dictis consentaneam (& quæ sit ipsa forsitan respectu futurorũ, maioris cuiusdam prodigij loco) hinc ordine narraturus.

Digressio ad historiã obsidionis Louaniensis, in qua prodigiosa clementia Dei erga mortales rebus desperatissimus aperitur.

Interea dum dux Albanus mirabili quadam industria rei militaris, nec non infracta castrensis ærumnæ tolerantia multos in ciuitatem Mõtensem cuniculos agit, assiduis tormentorum ictubus tonat ac fulgurat, hostiles copias excursu frequentiore ac velitatione comminuit, viamq; reddidit quassatis mœnibus ad impressionem militis planiorẽ: Lodowicus ex aduersa peruigil & opes omnes, & artes in vnum conuocat, fidas vbiq; excubias locat, ciuium perculsos animos mulcet, spe aduentantis à fratre subsidij consolatur, sæpes & aggeres intra ciuitatem instar labyrinthi rectos, obliquos atque transuersos non parua ingenij deteritate concinnat. Princeps Ruremondensi oppido superato, trans Mosam exercitum ducit, iter versus Albani castra instituens. Vt verò Diesthensem ciuitatem, ac Thenas, aliosq; vicinos & pagos & territoria paruo obstaculo peragrauit: à cursu proposito nonnihil reuulsis copiis, potiundi Louanij inauspicata cupiditas cepit: credo persua-

Exempla militaris industriæ.

Maleuolorum hominũ inconsulta suggestio.

sione

ſione quorundam, quibus fortè in vrbem hanc indignatio maior, minus tamen tum animi ciuium explorati, tum rei gerẽdæ opportunitas fuerit conſtituta. Dum enim iſtic lentando vires confecit ſuas, equitum turmæ Colonienſis Epiſcopi (quæ tum circiter 1400. numero incertis animis, atque inſignibus præterlapſi in Hannoniam peruenere) acceſſu ſuo deſyderatiſſimo ducis Albani copias admodũ roborarunt. Iam verò inter tot clades, defectiones atque diuortia ciuitatum, illa etiam ad nos ventantis exercitus numeroſi ſparſim ſe fama diffuderat, aures omnium animóſque percellens impetu primo: dum ſæpe & vires acquirit eundo, ingrediturq; ſolo, & caput inter nubila condit, vt poëtæ verbis vtar. Louanienſis magiſtratus & vniuerſitas, dudum antè de ſeligendo milite, firmandis mœnibus, aduocandoq; præſidio foris, & inſtruendo belli totius apparatu in medium conſulebant. Studioſorum maxima pars impleta rumoribus, ſe cum nonnullis aliis aliò conferebant: multíque conſarcinatis omnibus, nil niſi ſedes in vrbe vacuas reliquerunt: quippe fortaſſis ad cytharæ pulſum magis aſſueti, aut vbi curua choros inuitat tibia Bacchi. Hinc & inter plebeos orta pauperies ſenſim, velut arido vento cuncta depaſcens, obmurmurãdi, oblatrandiq; occaſionẽ maiorem indies excitauit. Nec tamen ea recipiendi præſidij difficultas è populo nata tantum valuit, quin prudenti conſilio magiſtratus, & Academiæ ad comparandum externum militem ſæpe ac ſæpius ſcriberetur. Nam & paulatim mollitis animis vulgi, tranquillè in cæteris actũ eſt, atque in locum prætoris domini de Quarebbe, qui tum captiuus à principe tenebatur, receptus dominus de Dyon; cui ſe ciues alacriter iuriſiurandi vinculis obſtrinxerunt, ceu fides pro rege, pro patria, pro religione catholica vſque ad extremum ſpiritum permanſuros. Erant ſelecti prius ex

Famæ violentia.

Plebs tẽpore cicuratur accedente prudentia magiſtratus.

toto

toto circulo centum & ſexaginta milites, vt contra incurſus ſubitos excubarent, donec illud præſidium maius aduce pollicitum mitteretur. Id autem quamuis pro temporum ſtatu próque Louanienſium votis ægrè tunc forſitan potuit comparari; ſpem tamen haud tenuem expreſſis nuntiis, literíſque tum ipſe dux Illuſtriſs. tum aulæ proceres dabant,

Admonitio pulchra.

cum adhortatione luculenta, metus inanes non tam ex re quàm vulgi fabula natos à ſe reiicerent: nullum periculum ab hoſtibus impendere, ſi fides publicè conſtet, ſi concordi dextera, iũctíſque pectoribus ſe ad defenſionem parent cõtra rebelles R. M. quos conſtaret ſatis exiguo numero, vix vllis ordinibus certis, aut apparatu bellico, ſolius rapinæ, incutiendíque terroris gratia peruagari: quos tandem & ſola frangat inedia, ſi ſeræ & vectes obiectæ firmiter teneantur. Præfecti tum reipub. Lou. D. Adrianus de Dyon, D. Conſul Score, ac D. Doctor Leoninus, nomine totius vrbis & academiæ rem ita perſcriptam in publicum referebãt;

Oratio parænetica.

vnumquemq; aperta oratione ad fidem mutuam, fortémq; conſtantiam hortabantur: vt qua integritate, robore atq; induſtria. pro aris & focis hactenus vigilaſſent, nunc etiam præſentibus inimicis, explorandæq; virtutis hac tam præclara occaſione perſiſterent: agi ſupra quàm multi exiſtiment, non modò de capite optimorum hominum, deq; fortunæ bonis, etiam ſi protinus ſeſe dediderint his qui mactare & ſpoliare forſitan, non tueri poſtmodum queant: verùm & antiquæ religionis ſtatum in ſummo diſcrimine iam verſari, cuius nomine vt hactenus incõcuſſam gloriam ciuitas Louanienſis obtinuit, ita nunc laborare imprimis, ne ſub prætextu inani & libertatis titulo delapſa turpiter, in Deum iuxtà & regem, imò in ſuæ virtutis antiquã dis conſecratam memoriam, fuiſſe perfida cenſeatur. Turpius eſſe partam ſemel præſtãtiam laudis amittere, quàm nullam

Iam hactenus peperisse. Non eam hostilis exercitus magnitudinem expectandam, quæ falsa malevolorum hominum persuasione narretur; se paucos numero, sed fortes & fidos inuicem contra inordinatos impetus posse sufficere: modò sit vna mens omnium, viresq; connexæ mutuò sibi deesse noluerint. Robur ciuitatis non adeò in militaribus dextris quã animorum concordia & promptitudine collocari: quæ si plerisq; parent conuellere, nõ tam cæteris forsitan quàm sibi perfidiæ pœnam, atque exitium repertures. Quòd si & necessitas maior impulerit, iam iam externum præsidium vti optauerant præ foribus esse, non alendum impensis ciuium miserorum, sed liberalitate paucorum, quibus vtcunque suppeditant nerui tum ad stipendium militare, tũ cæteros sumptus & victũ publicum & cõmeatum. Sibi fore rem cordi ne vllis modò extremis periculis temerè ciuitatẽ objici patiantur, sed & fouẽdis pauperioribus exacta æqualitatis ratio teneatur. In agnoscendis meritis, in præmiis referendis, suam cuique restare propriam laudem, & facti gratiam ex dimenso publico constitutam. Quod reliquũ, orare se & obtestari sedulò, omni murmuratione semota, non bona, non libertatem valde suspectã, non vitam ipsam cogitent sibi præ sola honesti fama, præ posteritatis laude ponendam: quòd illa fluxa, & lubrica blandis initiis in tristem exitum ducat; hæc sola æterna, quam reges aut superi tandem stabili felicitate compensent. Assensu populi deprompta vox magistratus tantum ardoris in animis fecit, vt applaudentibus cunctis etiam in vultu alacritas maior, læto præsagio reflorescceret. Aiebant ab aula iam sæpe, ac sæpius scriptum in eandem ferè sententiam: sed fortè ob varias difficultates nullum interea præsidium mittebatur, etsi vrgerent maximè quibus hoc studium indefessum ab initio fuit.

Hora

Principiũ obsidionis Lovaniensis.

Hora septima, seu paulò post solis exortum diei tertiæ Sept. visa est primum hostilis acies circa Thenensis portæ suburbia, & infelicis arboris locum: nec prius creditũ fuit, quàm in conspectu omnium apparerent. Omnes tunc signo dato ad campanæ pulsum pauidi passim discurrere, portas & propugnacula fortius communire; hîc videas pontem deijci, impleri fossas, dumeta, vineas, atque vmbrosas arbores obtruncari, illic & genus fœmineum crates vimineos intexendis sæpibus præparare, hunc terram aggerere, illum tormenta propius, & pyrobolos admouere. Omnibus sua constabat cura atque officij ratio, obfirmatis pectoribus, aut hostem auertere, aut speciosæ occũbere morti. Sed quid agat imbellis ciuitas, tam vasta & sinuosa, vt cum vastitate prius, quàm cum hoste depugnet, nisi ad defensionem sit plurimarum rerum comparata proportio? verùm inhabitante Deo calescens animus supra materiem sæpe, atque instrumentorum vires attollitur: quò diuina potestas & gloria non in equis & currubus semper, sed & in rebus infirmis angustis maximè interiore quodam principio resplẽdescat. Nam quamuis tumultu subito ob ingentes armatorum cuneos (qui se diductis alis vtrimq; latius explicarant) & inopinatam hostis potentiam plurimorum animi iam propè conciderant: cum armis tamen resumpto spiritu, ad conspectum signi militaris, ad buccinæ strepitus ac tympanorum, omnes quod honestum fuerit primum arbitrati, mox ad loricam, & clypeos se mutuò cohortantur, multusq; velut furore percitis repentè dixisses Thaliam in Palladem commutatam, eosq; non velut tyrones aut inexercitos, sed verè triarios, auctoratos milites, cẽturiones, signiferos, primipilos. Non eò vsque cunctandũ plurimi voluerunt, dum colloquendi gratia legatus Principis adsit: iam dudũ manus ad pugnam pruriunt, & iam excussa bis

Animorum motus penè prodigiosus.

Auxesis poëtica.

Fausta temeritas.

térue

terue ingenti machina pulueris tormentarij, rectà in aduersam aciem impulerunt, aliter salutantes quàm de Louaniensibus concepta fuisset opinio: neq; multum à Principis latere ictum abfuisse commemorant. cecidit è signiferis quidam cuius vitam redimi posse vel multis millibus voluisset, etsi hunc plerique notauerint ipso conflictus tempore non procul à mœnibus occubasse. Interea tamen magister equitum versus mœnia properabat, quò prima fronte hum uius paulò à nobis exigeret, num Principis nomine ad audiendas conditiones pacis, colloqui cuperemus. Hîc statim (vt ferè semper ad prima initia) vulgus ignobile cõcitatũ, pro sensus capitisq; discrimine, in alias aliasq; subinde sententias trahebatur. Nihil tamen responsi gratia communis deliberatio tulit, quàm quòd neminem scirent virorum fortium, qui magnopere ad huius generis colloquium properaret: proinde si sapiat, maturè refer.t gradũ.

Legati prior aduentus.

Interea verò magis magisq; hostiles ordines omni expectatione maiores in apertã planiciem ferebantur. Rediit q; legatus denuò proponens eadem, sed paulò seuerius. Relata res ad senatum: atque ille diu animi pendẽs (propè per horas tres) vbi responsum à magistratu præ pinnis mœnium expectasset, ægrè ferente id admodũ vulgo, nihil aliud quod referret obtinuit, quã nobis non licere cum eo fœdus icere, cuius machinæ tam apertè cũ Regiæ Maiest. imperio dissiderent: orare se vt aliò exercitum ducens obsidione liberet ciuitatem, quæ ipsum Principem nullæ ratione offenderit, vt iure se hostem faciat: quam etsi vi captã aut deditam fortè tenuerit, nec profuturam sibi magnopere sciat, nec sexutari commodè quantumuis vel valida manu posse speraret: quin prius euersa funditus in detrimentũ regis, ac nominis Christiani, imò in suæ familiæ labem perpetuam sit concessura. Tentatæ fuerant ab aduersariis omnes hu-

Secundus.

Responsum ciuitatis Louaniens.

Artes aduersariorum.

manitatis artes & species, & rursus vltrò citróque cursitantes commissarij Principis nihil obmiserant, quò minus benigni prius quàm nobis infensi, prius ad arma compulsi & irritati, quàm sponte proclines in populo viderentur. At nunc repulsam toties passi, ad minas atrociores tandē cum

Tertius aduētus legati.

aperta periculi significatione tendebant. Mirum ni magno strepitu dicta eiusmodi vulgus indomitum, infrænem belluam ac multorum capitum, commouerent. Sed concitatis

Prudens consilium magistratus Loua.

animis occurrit rātio melior procerúmque prudētia maior, quibus id expedire communi cōsilio visum est: vt prætextu quopiam simul & tempus, & plebem cicurandam tempore lucrarentur. Aiebant opus esse securitatis instrumento, si colloqui vellent: quod sanè actutum è castris redditum fuit, & secum deferens magister equitum, noluit quidē optanti in manum consuli dare, sed præ cancellis legit. Tum Cō-

Dialogismus.

sul ex re nata captans occasionem, Verè inquit hæc fucum olent, adeóque parum efficiunt, quin palam nunc omnes vel Principem non adesse intelligant. Tum facialis ille iam se rideri publicitus, iā & illudi principi putans, quòd eousq; temporis astutè suspensam sententiam distulissent, vultu atque oculis inflammatior frænum torquet: Certè Princeps non adest, sed tamē absens atque à limine salutabit: hinc versus mœnia obliquè contuens, vt sese ad conflictum parent, (situri mox quàm dulce sit prælium inexpertis) minit abundus edicit. Insonuit protinus ære canoro classica tuba: vnóque momento velut ab Oceani gurgite se præceps vnda prouoluit, clamore horrendo ac nube densissima cursum ad mœnia contorserunt: audiui (atque id ipsa re posteà confirmatum est) habuisse copias 7000. equitum, sed vniuersim sedecim millibus ampliores. Admouerunt & grandiores, siue currules machinas muris: quas tamen, (sic iubente Principe) nunquam excusserint: dum ille forsitan (vt

Pugnæ delineatio.

relatum

relatum postea fuit) metu ac trepidatione prius capere, quàm certo rerum discrimine maluisset. Certatim nostri manipuli è ciuibus solis & paruo studiosorum numero coaglobat præmœnibus stabant, maiora quædam tonitrua & Martis grandinem in aduersos cuneos assiduè detorquentes. Cùm verò ab ea parte quæ Thenensem respicit ciuitatem, maioris prominentiæ septa ascensum militi præpedirent, depulsi tremmuè, ac toto agmine defluẽtes ad portam Percensem primò, inde ad Heminensem vsque, à meridie sitam, longè latéque dispersis brachijs ingruerunt: plerisque retrò virgulta, & rusticas casas tum relictas velut in tuto latitantibus; vnde scilopetis minoribus, si quem fortè è specula prospectantem cernerent, ex insidijs impetebant. alij per fossas, & tela deorsum, sursumq; per aggerem subeuntes, priusquam se muro propius applicassent, traiecti atque in præceps iterum sunt reuoluti. Pugnatum acerrimè ab hora post meridiem tertia, ad nonam aut decimam vsque post occasum solis. Nostri continuò nunc tormentis maioribus, nunc onagris gestatilibus, vncinis, aut clauis ferreis assilientem Gasconem audacissimè repulerunt, tanta procella glandium, vt ante noctem strati plures quingenis animam sub mœnibus exhalarint, vt hos præteream qui vulnerati ad necem vrbe paulò pòst dedita ad xenodochiũ peruenere circiter 200. numero, vt fama publica ferebatur. Princeps signorum multitudinẽ quæ in mœnibus stabant, fidámq; constantiam, & robur ciuium admiratus, longè supra quàm expectauerat, externum præsidium vel iam adesse, vel imminere suspicabatur. attonitus interim, cœptiq; pœnitens, animum huc illuc celeriter diuidebat, se falsa persuasione seductum sentiens: ac nisi dedecus obstet, aut ex dedecore sinistræ existimationis periculũ, iam procul abscedat, malè rem inchoatam deserens, potius quàm

Stratagema.

cum iactura temporis sui, tantáq; militum strage & ignominia, vrbem hanc regi deóq; charissimam aperto exitio tradat. Sed alijs pectoribus innata vt plurimũ φιλοδοξία, tardè admodum rationis arbitrio conquiescit: nec illud cogitat semper in vita optimum esse, vt suæ se quisque fortunæ limitibus circumscribat. Orandus interim Opt. Max. mentem det cunctis principibus bonam, illustratámq; lumine suo procul ab illa funesta ingluuie gnathonicæ turbæ & populi factiosi, ab omni fermento tum propriæ tum publicæ calamitatis auertat. cùm alioqui magnarum sæpe virtutum semina, & fructus indolis generosæ deteriorum consuetudine non secus atque à lappis & tribulis, aliarumq; complexu plantarum inutilium strangulentur: quæ quanto subeunt altius, tãto & firmius adhærescũt, ipsámque natiuam speciem plantæ insignioris adulterant. Porrò phalanges equitum duæ tréfue partim oberrantes circum mœnia, partim in aprico tumulo consistentes extra ciuitatem longius locum pugnæ oppositum occuparant: hinc tanquam è specula prospecturæ quid intra vallos, & vrbis septa geratur: cautum insuper ne qua internorum eruptio, vel (quod potissimum verebantur) præsidij exterioris accessio fiat. Erat in ciuitatis parte pronissima versus Austrum, porta quam à proximo pago Heuriensem nuncuparunt, atque ante illius adytum non procul à fluminis valuis pons sublicius, quem subitò nimis aduentu hostium trepidi ciues, ac semet in varia concitantes, non fuerant demoliti. nam & locum per se tutum satis ex aquarum confinio cogitabant. Cùm itaque propius ipsa res premeret, conati ad traiectum fluminis pilas epistomias obfirmare, nescio quid obstaculi deprehendunt, quò minus quod vellent, quóque opus maximè fuerit, præstare potuerint. Credibile est foris æstu calonis, aut specularij excubitoris industria cautum, vt oppida-

Æstus magnorũ principum.

Periculum assentationis atque consortij mali.

Stratagema.

Æstus aduersariorum.

oppidanorum ſpem relictam in amplificanda fluminis mole ſuccideret. Mox ergo vt fruſtrà vrgeri iã latus illud ſublimius viſum eſt, deflectẽs ſenſim gregarius miles in partem hanc infimam ciuitatis, facundæ impreſſioni opportuniſſimam, fluit. Hîc illi multo quàm dudum maioribus animis flammæ materiem per neglectam ſemitam portæ (quæ penè lignea eſt) non cunctanter affigunt. plus decies qui facem tulere ſublati globo tormentario concidunt: quam tamen accenſam ſemel ſuccenturiati proximè vlterius promouent, dum extra telorum iactum ſecuri ſtuppas immitterent, iámq; inter tabulata & commiſſuras aridas populabundi incendij vi porta penitus conflagraret. Oritur vehemens vtrimq; ad ſydera clamor. Animoſi tamen noſtræ cohortis viri, certo numine ac ſupra quàm rerum ſtatus permittere videbatur, nihilo minus in ſuis ſtatiuis perſiſtẽtes acerrimè velitari, diſiectis vallis confeſtim effoſſas ſcrobes obijcere, confectos à fœminis malleolos & murices iaculari: plurimos qui per ſepta & muros, imò per fumum & flammam, pérq; ipſas ruinas adhuc incendio æſtuantes irrumpere conabantur, nunc deturbant in præceps, nunc enſe confoſſos aut impacta glande ſemianimes in ipſam flammæ voraginem voluũt, aut ripa viciniore demergunt.

Pugnæ vigor.

Exempla fortitudinis.

I.

Quendam è noſtris vidimus lignarium fabrum, qui ſcalis ab externa mœnium fronte directis ad portæ baſim vſque tranſcẽderit, vbi cadum picẽ ac ſulphure ſublitum, ac paratum fomiti, in flumen proximum deturbauit, rurſus tamen ad nos aſcendens, per multorum iactus & tela ſaluus euaſit. Præter vnum noſtrarum partiũ cecidit nemo. erat ille Zelãdus patria oppido Brouverſhauiæ, Victor Dingemans nomine, ac præclaræ indolis adoleſcens. is cõfidentior iuſto, caput altius exerebat: atque vbi multos tum cæſos gladio, tũ telis & ſaxis obrutos è medio ſuſtuliſſet, dextra

2.

Factum generosum fabri lignarij.

3.

Studioſi vexilliferi inſignis audacia.

ferrum aut facem, sinistra vexillum gerens, tandem traiectus globo per frontem, atque inter incendia deuolutus expirauit. Iam ignis indomita vis grassari amplius in muros & ædificia cœpit: vnde in cælum atra fuligine cum flammis affatim exundante, rem constitutam in extremis funesto præsagio designabat. Multi quibus hic lusus insuetus, iam muros clanculum deserentes, sese in latebras abdunt: alij non differendum vlterius rati, instãt acriter tum apud Consules, & Magistratus, tum primores Academiæ, quò saluti publicæ, quam penè nullam in armis amplius norint, pro rerum statu maturè consulant: fortunam vrbis nunquam fuisse peiore in loco: portas collabi cum parte murorum: nec solùm aggeribus hostem vndique, verùm & ceruicibus imminere. Discurrere per vicos videas passim: planctu fœmineo, puerorúmque resonant vniuersa. Atque (vt in aduersis ferè de Deo maxumè cogitamus) vota & supplicationes factæ per idem tempus im æde sacra Augustinensis monasterij, in honorem sacrosancti corporis Christi: nudis pedibus, ardente in lachrymas atque suspiria magno vtriusque sexus hominum comitatu. Interea & legatus denuò à Principe missus portam, quæ Hellespõto patet, Diesthensem versus accelerat, salui conductus adferẽs munimentum, si fortè pro rerum nunc alio statu, aliò & ipsorum ciuium ex deliberatione sententia verteretur. Tum verò vbi aperto numine rem cõstare, fatiq; violentia quadam rapi se vel inuitos ciues optimi cognouerunt, concilio raptim inito, vt in commune prospiciant, audire conditiones Principis, atque ad ipsum in castra mittere visum fuit. Huic negotio tum difficillimo, tum maximè formidãdo, cũ nemo non se subtrahere maluisset, conceptam tamen ferociam prius, extrema necessitas vicit. Cunctorum precibus studioq; præficiuntur imprimis clarissimi iurisconsulti D.

Trepidatio Louanienſium.

Extrema ſalutis anchora.

Redit legatus poſtremò.

Conſilij pro neceſſitate rerum tepeſtiua mutatio.

Elbertus

Elbertus Leoninus ac D. Ioh. Wameſius: quibus & ciuitatis nomine adiũctus eſt D. Hieronymus Winganus, cunctis pietate atque prudẽtia notus. Hi ſanè inuito genio plurimum obluctantes, atque vt parẽtes patriæ, omni poſtpoſito periculi metu (quod illis non paruum ducbus certè nominbus impendebat) iam iam nutantem, iamq; cadentẽ ſalutem publicam ſuis humeris exceperunt. Sunt nocte intempeſta, intérq; conflictus flagrantiſsimos, per media caſtra viam ad Principem dirigẽtes. Cataphractorum duces vbi prætereuntes datis nominibus cognouerunt, oppidò læti, atque in ſpem compoſitionis erecti, ſecurum tranſitũ præſtiterunt. Credo & fœcialem (quem Heraldum nominant) ferè vltrò citróq; commeantibus adfuiſſe. Mox vbi coram fandi copia data eſt: hîc omniũ nomine Leoninus ſeſe ſubmittens: Non equidem Princeps illuſtriſ. te nobis hac ſpecie, atque animo tali adfuturum antè credidimus. Sed ſi vlla ratio ſubeſt (quæ nos penitus latet) cur tibi noſtra quòd puniatur promerita ciuitas, vel reſpub. videatur, in me quæſo, in me vnum tela vertantur: quò vindicandæ iniuriæ veſtræ ille alioqui implacabilis ardor reſtinctus, & expiatus ſanguine meo, erga innoxios conquieſcat. Sin erga nos omnes quod quondam humanitatis ſtudium fuit, aut quicquam virtutis antiquæ ſupereſt, quæſo nos metu, ac tempeſtate hac atrociſſima preſſos, celerrimè (dum tempus datur) eximi patiaris. Pro rege quæ decuit tentata ſunt hactenus: vbi nõ licet quæ volumus, fatóq; compulſi in tuã venimus poteſtatem, quod ſupereſt vnum, ſupplices orant ſacri, prophani, plebs, magiſtratus, rationem facti clemẽter accipias, vitamq; indulgeas, quam alioqui aſtricti R. M. & religioni antiquæ, contra nefarium militem obſiſtẽdo penè amiſimus. Hanc tamen ſic tuæ clementiæ ſubdimus, nequid deinceps vel contra regem acerbius, vel fidem Deo præſtitã

Dialogiſmus. I.

semel, admittere cõpellamur, parati alioqui prius indecoram gratiam supremo vitæ, ac rerum nostrarum excidio commutare. Princeps ad primam supplicis vocem animo gratulabundo, (ac penè in lachrymas susus) sed tamen pro

Alia oratio.

status ratione dissimulans, ita respondit, Vellẽ ego clarissimi viri, & fortassis fuerat melius, antè vos ea de re statuisse quam nec mihi proponere inhonestũ, nec vobis audire per interpretem meum, contra fas ipsum aut regiam M. arbitrabar. Non hanc mehercule à vestris inurbanam gratiam cogitatione præceperam, vt pro amore ac boni studio quo cunctos in libertatem asserere gestiebam, haberetis nunc despicatui palam: dum me defixum hoc loco luditis à summo manè ad vesperam: dum vos interea cunctando vires atterere meas, & in me proprias armare clanculum cogitatis. Eò ferèrem reduxistis vt neque sit promptum quò tantis angustiis maturè consulam absque periculo meo, nec tamen absque animi cruciatu hanc contumacia vestra partam perniciem vobis ante ora sustineam: quod vti in liquido restet, si modò vobis ẽ tractabilis res est, malo iniquus mihimetipsi, quàm apud vos durus aut impius æstimari. Iubet continuò festinare qui receptui canant, pugnamq; suspendi faciant, dum ineundo fœderi tempus inducias postulârint. Hîc multa sparsim ac velut maiore cum otio dicta pro incertis relinquũtur. Astabant Principi quibus nõ aliud studium fuit quã irritatum animum amplius instigare, multáque obijcere abiræ & cõtumeliæ specie nõ aliena. Illum plæraq; in medium attuliſſe, sed multo sedatius ferunt, etiam quæ ad captandam benevolentiam facerent, quæq; affectionum pugna mirabilis, & magnitudo & cura suggesſit. Dolere se supra modum eam de sese opinionem esse conceptam, qui & leges ritusq; patrios vellet euertere, & regem sua possessione deijcere; coniecturam

Aduersariæ partis insinuatio.

mini-

minimè ſanam ex facto aut religione militum de vniuerſorum capite duci. Sibi pugnãdi cauſas legitimas eſſe, quas pauci intelligant: tempus veritatis filiam plana paulatim omnia præſtituram. Bellum ſibi non iam cum rege ſuſceptum, ſed contra plerosq; qui regiæ poteſtatis atque arbitrij titulum vſurpantes, ſe bonis omnibus ſpoliatum, immerentem, inglorium expuliſſent: vitam ſibi acerbam fore, niſi hanc ignominiam via quamcunque ſors dederit, à ſuo ſanguine ſiue familia repurgarit. nec tamen tam vlciſcendi ſtudio quàm iuſta officij ratione, victum amore fratris, pietate erga oppreſſos, aliorumq; impulſu antè pactum animum in hunc miſeriarum gurgitem proieciſſe, vnde vix aliàs quàm rebus peſſundatis ſuis, emergi poſſe ſperaret. Poſtremò nihil orare quod arduum foret; nõ theſauros oppidi, non ingentes æris aceruos, non iuſiurandum inuitis pro recipienda religione noua exigere voluiſſe: non ſe paſſurum vt quicquam in ſacra, prophana iniquius committatur: cauturum in ſingulis pro virili ſua, ciuitatémq; ab oneribus cunctis, à præſidiario milite liberam ſeruaturũ. tantùm orare vt ſibi promittant, ſe commeatum liberum permiſſuros, neque impedimento fore quominus cœptam expeditionem in caſtra ducis proſequi poſſit: ſe ciuitati non infenſum, vel inimicum ſuæ, ſed amiciſſimum eſſe perſuadeant. quì tametſi prodeſſe nolint, ſaltem quò vel inuitos belli fortuna conſtringit, curſum qualemcunque res ſuas habere permittant: viam non impediant, quam ſuæ ſaluti, & publicæ, & apud regem ineundæ gratiæ proximã arbitretur. Multa eiuſmodi, & fortaſſe planius, dicta mirum quopacto in vulgus ſerpſerint: quæ tamen plurimi ad credendum tardiores, velut aptas aucupio cantilenas, aut crocodili lachrymas appellarunt. Quid enim non anceps & aſperum, ceu ſub ſaxo quolibet ſcorpius, à barbaris illis mi-

Prior propoſitio.

Apiſtia non improbanda.

litibus metui potest, qui nec suos verentur duces, sæpe nec Deum curare res humanas existimant? quibus etsi fidem erga nos integram seruare Princeps vel maximè voluisset, non tamen imperare cùm vellet poterat, vt & ipsius ad sui defensionem fatebatur, ac triduo post discessum (cùm ob seditionem maius periculum nobis imminuit) vel viuo ex-

Alia insinuatrix oratio.

emplo cognitum fuit. Ferunt & Leoninum opportunitate iam data, semotis arbitris ex aduersantium turba, recti ipsius speciem genuinam nõnihil in Principis animo refricasse: nam pleraq; sensim & breuiter ad illa dudũ prolata detorsit, intrepido pectore & callidè satis ostendens nõ bene sibi constare, quæ ad causæ integritatem sub recti specie in animum induxisset. Fortasse promptum esse tot ciuitates ad deditionem cogere: sed deditas retinere difficile, & infiniti periculi plenum. Impetrandæ gratiæ apud regiam maiestatem nõ hanc patere, sed meliorem viam in animi moderatione, ac tolerantia sitam, dum vltrò annueret Deus, ac vitæ calamitosæ turbidos dies aliquando benignior sole serenissimo commutaret. Rarò etenim vtriusque fortunæ extrema posse consistere: neq; tam ab aliis lædi quempiam atque à semetipso. Postremò non omnes naturæ leges, atq; pugnandi causas honesti, ac veri boni legibus consentire. Proinde vt victoriam sui longè pulcherrimam esse, sic genus trophæi turpissimum illud, quo salus vnius multorum constaret exitio, victor non tam de bonis suis ac cæsis hostibus, quàm de ruinis publicis, multorum strage promiscua, tot occisorum sanguine, tanto mutationis metu atque periculo in posterum triumpharet. Hæc obiter dicta non parũ fortasse ponderis habuerunt; at multo amplius habitura, nisi mẽtis interior vis, subinde vel affectu grauiore, vel iniquiore fortuna ceu polypo tacta torpesceret. Cùm enim puniendus est orbis, dî causam in promptu habent, inter potentes

tentes potentẽ maximè, vt in aggressu rerũ maximarum pugnantibus scopis, circa æstimationẽ potioris nonnihil exorbitent : erroris autem progressus in lubrico positus eò dispellit, vt videant tandẽ meliora, probéntque ; sed vitæ & fortunarum mille iam discriminibus implicati, quod cupiant maximè, sequi non audeant . postremò postquam ἔρρει τὰ καλὰ, à summis scopulis in fluctus sæpe desiliant.

Diuinæ prouidentiæ filũ inexplicabile.

Dum verò firmandi fœderis causa legati partium vtrarumq; in domo ciuica diutius occupantur, circa nonã temporis vespertini latius flagrante incendio, vt in ædes proximas grassaretur, extrema rerum omnium in ciuitate desperatio venit. Nam quamuis antea per præconem Principis refrenatior miles pedem paulisper à mœnibus retulisset, inflammatior pugna recruduit. stant in procinctu signa coloris purpurei, directisq; currulibus instrumẽtis, quæ circiter 8. aut 9. numero, sed otiosa hactenus asseruarant, nunc illud agere videbantur, vt pertusis muris atque aggeribus, quamcelerrimè in ciuitatem irrumperent . quo quidẽ animaduerso ingens cunctorum fremitus, & trepidatio compulit magistratum, prorsus vt morem gerat, nullâque periphrasi nuper propositis acquiescat. Simul ac ventum rursus in castra, quo ab senatu responsum dicerent sat consentaneum iis quæ à Principe sunt optata, ille succẽsus ira, oculisq; minacibus inardescens pauca reddidit: Nõ eum se esse quem putarent maximè, qui atrũ à candido vix discerneret: se nihil de commissariis vrbis posse aliud suspicari, quã technas & fraudulẽtiam meram . paratos scilicet arte & consilio Leonini, sub hoc prætextu itionis crebræ atque colloquij, vim fluminis aceruare, externum militem introducere, 6. insignia peditum, 2. insignia equestris armaturæ: notam rem omnibus non è fabula vulgi, sed literis interceptis, quas statim ante illorum oculos, atque ora recludi iubet.

Extrema rerũ desperatio.

Pugna recrudescens.

Durum responsum.

iubet. Hîc trepidare plurimum, qui partes oppidi tuebantur, conuicti nimis perſpicuo ſigno: cui quod reſponderent nihil occurrit, quàm de recipiendo præſidio nihil ſe certius accepiſſe. quòd ſi quæ cupiant dicere, benignè velit accipere, iam nunc ſupremo cardine fortunam publicam verti: ideoq; orare ſummopere ſe, niſi omnes ad vnũ perditos malit, dũ de pace tractatur reuelli paulißper ab vrbe hoſtilem manum, quiq; vicißim præter inceptũ fœdus, admittitur, effrenem militis impetum coerceri. Hoc ne uideret Princeps, eorum plurimi quos à conſiliis habuit vrgebant grauiter: quòd porta cũ muris & ædificiis euerſa ſunditus parum nunc abſit quin actus vltimus, extremumq; negotij peragatur. Verùm placatior Princeps, fratrem ſuum Henricum vocat: Vade actutum impera quæſo præfecti peditũ receptui canãt, miles à pugna aut irruptione deſiſtat. quòd niſi audierit dicto, vel violenter auerti cura. Suſcepit alacer ille prouinciam ſibi periculoſam, ſed quam debere putabat ſe gratitudinis ergo, & propter indolem ſuam, ab ea Muſarum antiqua conſuetudine non alienam. Interea tẽporis vt optimatum concilio, ſupremaq; deliberatione concluſum fuit, Commiſſarij reſpondebant illis ſe acquieſcere quæ à principe priore colloquio ſint poſtulata. Sed idem irritatior paulò, atque inflãmatus ab aſſiſtentiũ turba, etiã ſupra quàm dudum plura, & multo ferocius flagitabat: Debere Louaniẽſes ſuis quoque inceptis cõſerere manum, pro libertate publica ſocia arma geſtare contra exactores conſcientiæ (vt ipſi nominãt) contráque apertam tyrannidem ac violentiam. non ſe latere quã parum abſente periculo ſint in religione fœderis permanſuri, freti nimirũ hoc axiomate, Quòd hæreticis non ſit ſeruanda fides; ideóque dandos & obſides locupletes, & huic nodo cautiones cæteras adhibendas quæ militari iure debentur. His dictis turbari

Rudẽs atque opportuna oratio.

Humanitas ex Muſarũ conſuetudine maior.

Secunda propoſitio, ac multo ſeuerior.

bati meritò ciues vnum id retulerũt, duriora proponi quã pridem facta cõuentio tulit: orare se clementius agat, aut ad Senatus consultum rem referri denuo patiatur. Respondet princeps, esse plurimos in illo suorum numero, quibus nisi ea in parte se morigerum prestet, fore vt sibi vicissim non habeat obsequentes. Et quanquam circumfusi duces & milites iam nihil aliud ferè quàm minas, & maledicta spirarent, prius quàm odium illud extremum in flammam præcipitẽ excandesceret, iterum cõmunicandi gratia datis obsidibus, intercollocuteres partium vtrarumq; versus domum ciuicam relegauit. Legati principis rem in pauca cõferant, ea quæ postularentur à nuper oblatis non adeò discrepare: non esse illius studium siue propositum, quo religionem Catholicam velit euertere, vel turbare quocunque modo: quin potius cupiat in statu suo quammaximè retinere. quæ tamen religionis nomine dixit, non spectare aliò quã ad internam animi libertatem, quã nolint tormentis vllis, aut suppliciis agitari: reliqua verò his cõsentanea velle quæ primo colloquio atque in Percensi cœnobio flagitarat. Adiungebant insuper ad saturandam rabiem militũ, numerandam ilicet summam 10000. florenorum, si se saluos in posterum, aliisq; oneribus expeditos esse voluerint. Durum istuc & asperum in aures miserorum ciuium personabat, quorum omnes in vnicam massam conflatæ copiæ forsan sufficere non potuissent. Sed quò non mortis imago præsens, rerumq; extrema necessitas ducit? Pacta sub hypothesi pax est, nequid nimirum supra quàm hactenus fati violentia tulit, vel in Catholicam religionem vel regiam maiestatem iniquius facere compellantur. Ita Principem se pro amico recepturos, commeatum liberũ permissuros, non facturos hostilia, non auersuros in alterius fidẽ quantum in se positũ sciant, modò nec sui sint offendiculo palã, neque

Tertia postremaque propositio ab aduersariis facta.

Formula deditionis Louanienſis.

neque vel vi aperta, vel fraude quippiã in reipublicæ perniciem molitur. Cũ offerẽdo, licitandóq; diutius 50000. flor. summa postularetur: ventum ad 16000. quæ tamen summo labore, ac difficultate propter exhausti iam dudum ærarij inueteratam inopiam viritim colligi debuerunt. Iratus oppidò miles ægrè hunc bolum sibi è faucibus eripi patiebatur. instabat horrendum rugiens, sibi promissa reposcens, se frustrari dictitans, se pro periculis & laboribus exantlatis ad lanienam duci, & famẽ morte crudeliorem: quæ iam victori funestum exitium, victis non ingratũ spectaculum sit præbitura. Vix vllis precibus, minisq; præfecti ab vrbis direptione diuerti poterat, ni principis frater accedens propius cataphractum equitem immissurum illico minitaretur. Tum verò ingenti fremitu, dextrisq; minacibus orta propemodum seditione, in ipsosmet duces facturi impetum videbantur, nisi mox oculatior dies maturè collectam pecuniam in famelicorum ora hiantiora Cerberi faucibus obiecisset.

Seditio militaris.

Vixdum primo Solis exortu pauor impressus cum tenebricosa nocte reliquerat: stabant omnes adhuc ancipites metu, hoc sperãtes interim, vt iuxta contracti fœderis formam, assultores nostri denumerata pecunia præterirent, nec pedẽ semel, vti promissum fuerat, intra mœnia ferrẽt. Ecce vnà cum equitibus illis quos parando commeatui destinarant, ex improuiso tanta irruptio facta est, vt nemo non vrbem proditam, certoq; deuotam exitio suspicaretur. Mihi sanè non multò inferior visus est hic character præsentis Dei ad tutelam ciuitatis, quã sanctis olim exhibitus fuit vel in fornace candenti, vel rugientium belluarũ medio constitutis. Nefas omnino ducerem si tam prodigiosam summi patris clementiam data occasione nõ prædicarem, non ab æterni silentij cœca caligine, non à maleuo-

Diuinæ benignitatis in summo rerũ discrimine character expressus.

lorum

eorum mendaciis, & fabulis vanis (quæ sensim solent irrepere) sarta tecta, & pro meo hoc qualicunque ingenio vindicarem. Ibant ingressi quò fors fortuna, ac necessariarum rerum inopia ferret, rursumq; digressi neminẽ (quod scio) grauius offenderunt: quin plerosq; comiter salutantes, id vnum verbis sanè perspicuis explicarunt, qualis sibi nunc animus, qualis fuisset pridie, quantúmque in angusto salus omnium, ac vita pependerit: ipsos se sibi miraculo esse, qui tanquam perculsi fulgure, aut fascino vincti à semel obiecta præda reuelli subitò, inflammatámque dextram temperare potuerint. Atqui vt eò veniam quò me penitius diuinarum rerum consyderatio, ceu cursus totius remus, impellit: vtcunque seruata ciuitas clarissimorum virorũ meritis, ac prouidentiæ plurimum debet, vtque sapienter pro necessitate rerum se gesserint omnes. Iter inter sacrum tamen & saxum, imò in acie nouaculæ collocatis, quidnam esse dicas, quòd illo tam euidente discrimine, ceu amœnissimum bolum ex tigridum ac leonum vnguibus eripuerit? Num virtus bellica? num illa murorum & aggerum fortitudo? num procerum prudentia? num benignitas Principis? Multa quidem vt causas medias conspirasse non nego: sed erat his omnibus quiddam prius & diuinius multo, quod ita rem omnem extremo nutantem cardine stabiliret: vt pugnatum sit vsque dum fides in regem, & religionem patriam apertè constiterit: cessatum prius quàm non de paucis capitibus tantùm, sed & totius inferioris Germaniæ, bonarum artium, sacrorum ordinum flore, & thesauro irreparabili actum foret. Respexit ille qui cũcta perspicit, commune votum, studiúmque flagrantissimum populi boni, (cuius pars maxima est) tum & facinus audax & memorandum, ne dicam temerarium, (si vires hostium comparẽtur) sed ex propensione acerrima naiũ erga fidem

Catho-

Catholicàm, & regiam maiestatẽ. Nam quicquid in aliis non ita successerat, vt iurè quiq; optimi maluissent, necessitatis illud acerbæ, non liberioris arbitrij fuit. Potest quì velit in singulis bene gesta deprimere, & peccata leuiusculè aranearum instar exugere, dum huius farinæ plurimi potestatis oppressæ & liberæ nullum discrimen faciũt, nullum quoque permissionis atque consensus, nullam denique causam cur maioris mali vitandi gratia, ad leuiora ea conniueãt. Humanitus accidit vt ferè mortalium plures perfectionis ideam quam semel in animo fabricarint, ab aliis exigant passim, vix tamen in suismet rebus vspiam deprehendant. Sed omnium iudex optimus est καρδιογνώστης θεός. Ego non istæc tam defendendi studio (in quo minimũ possim) sed vt lasciuientis inuidiæ morsus vel pauxillulum refrænarem: quod Deo ac patriæ me debere intelligo. quibus quò tanti prodigij summam angusto ambitu continerem, annum, mensem ac diem ludens aliquando his versibus illigaui.

Duorũ malorum eligendũ quod minus est malum.

Vt sIt Chara deo pIetas LaVs
CLara LoVanII,
TertIa septeMbrI CondoCeI
orta dIes.

Vel si breuius placet:

CephæsaCraratIs fLVCtV
ConCVssa trIVMphat.

Quod tamen ad vniuersam anni istius tempestatem melius quadrat. Verũ vt vena paulò liberior fluat nullis astricta locorum ac temporum notis, ista quoque licet incocta & rudia, tamen quòd figuratè ac breuiter multa contineant, his annumeranda putauimus.

LOQVI-

LOQVITVR LOVANIVM.

Par ceſti ratio, mulier quo iuncta marito eſt,
Quo iuncta vrbs, populus, regibus atq; Deo:
Sed ſi fœminei ſpectes diſcrimina vultus,
Fœdifrago toridem ſunt in amore modi.
Eſt quæ ſe cupiat vinci, luctataq; paulùm 1.
Obuia laſciuo dat ſua colla proco.
Altera ſe facilem oſtendit venientibus vltrò, 2.
Spretaq; non animo at corpore virgo manet.
Tertia quam recti non tangit cura pudoris, 3.
Corpus, rem, mentem proſtituiſſe iuuat.
Sunt quibus inuitis florem violentia carpſit, 4
Interior ſupereſt virginitatis honos.
Rara eadem & felix, quæ poſtquam reſtitit aptè, 5.
Fugit adultrices inuiolata manus.
Victa ego victorem vici, ſeruataq; ſeruo 6.
Integram regi nupta, Deoq; fidem.

Caſus nouitate attonitus Sol ad meridiem properabat: cùm nunc feruenti per vicos multitudine militum exterrorum, diuerſa ſuſpicio malè ſecuros animos vulgi, & optimatum in ſtatus parum tranquilla ſpecie retineret. Princeps confeſtim ab vniuerſis actorum formulam poſcit: quã vt ægrè tradidit, ita tamen contraxit ciuitas, vt iuxta tenorem ſcripti pecunia data velut obſidis loco, etiam à durioribus multis, vrgente fortuna, in poſterũ liberaret. Quæ quidẽ delineatio parũ arriſit Principi, quin mutare in pluribus maluiſſet, ni rerũ ſuarũ ſtatus, atq; neceſſitas aliòraptans magnum fortunæ præſidium in celeritate dictaſſet. Inſperata catastrophe.

Dat tamen & manus ſuæ paragraphum, cũ edicto ad ſecuritatem ciuium & ſacerdotum. Imperat crucem erigi: ſi quis vel damni quippiam, vel dedecoris intuliſſet. Vix adduci poterãt exteræ nationes rem geſtã vt crederent modo

quem fama diffudit, adeò pusillum census, atque peculij tanto labore confectum: neglectas machinas belli: relictam prædæ occasionem longè pulcherrimam: tum fœderis formam nullo præsidiario milite, aut iurisiurãdi religione firmatã: cæteraq; ab omni furore, & insolentia victoris exercitus, à Louaniensium specie, atque vsu circa res bellicas peregrina.

Fortuna oppidi Bruxellensis.

Sic igitur Princeps relicto Louanio totam congeriem versus Bruxellas rapit, tanquam & illas aggredi statuisset. Magno terrore atque tumultu ciuium ad arma procurritur: Portis & mœnibus opera Illustriss. ducis Arscotensis, præsidioq; tum Germanorum, tum Hispanorũ militum ritè prospectũ fuit. Sed illuc dum properat Princeps, ecce nunc aliò sinister nuntius vocat, vt auditus bombis, atque crepitibus tormentorum, quæ circa Montensem ciuitatem dies, noctésque continuas horrendo murmure personabant, media via deflexerit iter rectà Niuellas dirigẽs, dum & illis deditis ad castra peruenerit, aperto iam Marte cum hostibus certaturus.

Noua tempestas reipub. Louaniensis ex priore progerminans.

Vix pedem à mœnibus nostris dimouerat Princeps, nouus repentè tumultus populum ac verè panicus terror inuasit, quem tamen multis non obscuris admodum notis, animorumq; præsagiis dudum antè metuimus. Nam die 9. Sept. vesperi, cùm inter latices laxati paululum, ac velut à sæuo turbine respirantes ad discutienda tædia, mulcẽdosq; ægrotos animos verteremur, auditus iterum raucus ille cãpanæ & tragicus pulsus, authore incerto, varia suspicione vulgus ad arma conciuit. alij receptis hasta & clypeo agminatim ad mœnia confluunt, & portas obsident: alij se obserunt domi, cœcisq; recessibus absconduntur: multi ad forum magno clamore delati consulem petunt, & magistratum, sese cum ciuitate proditos clamant, cui, aut per

quos,

quos, incertum esse, scrutandas ædes, perfringenda claustra cum repagibus, si quid insidiarum sit vspiam, in lucem è latebris eruēdum. Erant (vt verbo dicam) hæc inquietis plerisque ingeniis substructa molimina, dum propter dissensus tam multiplices animorum alter alterum vanis rumoribus agitaret. Sed diuino rursus beneficio, atq; oppidò singulari vitā huc vsque, & salua cætera retinemus. Etenim ille deorum Dominus, vt semel iam dextram suæ benignitatis aperuit, eādem amplius illustrare non cessat, quo vsq; penitus constet res humanas tum maximè, cū afflictæ sunt maximè, ipsius nutu ac prouidētia dispensari, omnesq; aduersariorum non modò vires & copias, sed & astutiā summam, dolos, consilia, eiusdem præsidio superari. Nec tamen hisce exemplis in nostram editis ciuitatem, cælestis aspirationis impetus conquieuit. Supersunt alia, de quibus non constat an maiori in metu, an periculo versati simus. Deū fuisse erga nos clementissimum, ipsi hostes, ac bono ciuitatis insensi vel inuitis pectoribus confitentur. Reuertor ad comitē Lodowicum, qui tum fortè fatigatior (vt fama tulit) in febrem incidit diuturnam, non absque suspicione veneni clanculum dati. Postquam infelicis auspicij successum non vti sperarat æquabilem animaduertit, quò tutò posset euadere cogitare incipit, adhortantibus eò potissimū Gallis, quorū præsidio nitebatur. Accessit aliud maius, quò postquam ardor ille ingenij paululum refrixerat, vniuersum quoque consilium ruit, ac ciuium spes concisa resistendi industriam labefecit. Nam Princeps vbi cum toto apparatu legiones equitum, peditumq; celerrimo gradu, vsque ad iuga Hannoniæ concitasset, castris regiis adfuit planè ex improuiso, prius ante hostium oculos astans, quàm certus in aures nuntius peruenisset: parum abfuit quin trepidantibus cunctis atque oppressis, de hoste insigniter triumpharit.

Vani rumoris corollarium.

Diuinæ benignitatis character immensus.

Fortuna cum ingenio pugnās, eiusque casus infelix multos in exitiū voluens.

Sed illi quos per obsidionem Louaniensem occupato Principe diximus præterlapsos Colonienses equites, vnaq; & cohortis prætoriæ milites, obstitère quo minus prompta impressio fieret. vtrimque collatis signis pugnatũ est acriter, cataphracti milites alacri cursu vsque in castrorum septa perruperant, sed & hinc inde cadentibus multis, peditatus principis mira ignauia substitit, nec vlla deinceps ratione compelli potuit vt pugnam inceptam continuatis ordinibus instaurarent. Marcebant omnes inedia, defectuq; cõmeatus, quem à tergo non ita commodè vel absque periculis summis poterant comparare. Sic prima fronte felices aditus etiam Marte, Mercurio, Venere conspirantibus, ipsa demum infensa Iuno, vel (vt clarius dicam) fati superioris potentia, sæpius intercludit. Præclaro mox stratagemate Hispani milites per noctem latus alterum hostilis exercitus inuaserunt: captata scilicet tessera, ac vestibus laneis in lineas commutatis, quo se dignoscerẽt, ad stationem terriam vsque permadũt, vnde interfectis pluribus præclarum astutiæ militaris specimen atque audaciæ monimentũ posteris reliquerũt. Tædebat Principẽ fortunæ suæ supra quã dici posset, bellum sibi non tantùm cum aduersariis, sed & cum suis quoque intelligens, quorum nonnullos sibi fidissimos facie, nunc hostes occultos pectore & ad proditionem accliues, vsus tempore comperibat. Vnde mutato consilio, tanquam aliud agens, pedem celerrimè refert, pérq; Niuellas denuò versus Bruxellas itinere facto (ceu nunc adoriturus seriò) vniuersum exercitum rapit: interim cuncta præteriens quæ apparatum bellicum redolerẽt, ductu continuo se Mechliniam confert, vbi non diu morantem vnæ ferè sollicitudo exercuit, vt proditorũ manus (multos enim subornatos pretio sensit) tutò, ac celeriter possit effugere. Neque (vt arbitror) vnquam (& si dissimularit sedulò) maiori

Panicus terror.

Consiliũ mẽtis diuinę prouidentia destitutũ celerrimè ruit.

maiori in metu atque periculo fuit. auxit perplexæ mentis vertiginem nuntius repentinus, Montensem ciuitatem se M. regiæ certis conditionibus reddidisse. comes Lodowicus liber ex pacto, sed propè semianimis, amplissimo comitatu, & felicitate mirabili per media castra ad Mosam vsque traductus euadit. Galli milites cùm se iam euasisse putauerant, prius quàm oras extremas Franciæ superassent, à Guisianis illic opperiẽtibus ad internecionem vsque delentur. Tum verò attonitus Princeps, tanquam astrictus fortunæ scopulis, iam cælum vndique, & vndique pontum cõspiciens, quid agat incertus fluctuat; mox & quorundam fraude detecta Mechlinienſi se ciuitate subducit, etiam per densissimos imbres fugam adornans, ac iam vndique sibi exitium metuens, qua potest calliditate reductos ad Mosam milites longum valere iubet, inq; Hollandiam sese vt portum recipit tutiorem. Comes Holstanus, qui tum peruperat in subsidium ducis Albani, antiqua fide in R. M. Buscoducensem ciuitatem, tractusq; finitimos multorum equitum manu ac peditum tuebatur. Interea tamen diuersarum partium per totam Campiniam grassabunda quædã colluuies nata, quæ velut gurges è fluminibus multis hinc inde profusa, rapinis & spoliis obuia quæq; vastabat. Aegræ tum admodum Troies à Rutilis, amicos ab hostibus vel lyncis oculo discreuisses. videre videor nunc illum Aesopicum senem cui dudum colore duplici interstincta cæsaries tota conuellitur, hinc nigros vxore vetula, illinc & canos diripiente iuuencula, dum singulæ sibi conformem facere student. Dux Albanus interea Mõtensi ciuitate potitus, hoc anno supra millesimum & quingentesimum secundo & septuagesimo, mensis Septembris die 21. millenos aliquot in præsidium ponit, multa dissimulans dum puniendi tempus pro rerum suarum statu opportunius

Rarũ fortunatæ temeritatis exẽplũ.

Miserãda infelicitas Belgicæ terræ.

videatur. Mox cum agmine toto, atque tormentis bellicis, via qua Princeps venerat, versus Mechliniam fertur: quæ consternata & amens, aliis in turpem fugam sese vertentibus, aliis nequicquam ad obsistendum paratis, ad prima ferè obsidionis præludia penitus obstupescit. Data in direptionem ciuitas 1. Octobris anni 1572. eius diei & calamitatis memoriam facilè retinebit. Quæ verò per dies, noctesq; tres integras, vbi cuncta effreni licētiæ ac libidini patent, inter tot millia fiat, quisque suo cum animo facilè cogitarit. Equidem quod vel præcipuum est, intra aulæa & peripetasmata sinam, fortasse non extra schenam ante supremum illum iusti iudicij diem proditura, etsi quorundam nobilium patrocinio multi tum viri boni tam fœminæ castæ & virgines à furore & violentia vitam superstitem sibi cum pudicitia gratulentur. Velim nunc altius repetant ciues Mechlinienses, annum hunc numerari exactè septimū ac vigesimum (de cuius numeri dignitate, quòd cubicus sit, quòd climactericus, quòd exactas periodos Lunæ magnarúmq; coniunctionum in se contineat, plura in Isagogicis scripsi) ab illo 1546. quo Deus primū admonuit clade grauissima, atque igni cælesti in rursum altissimam ingruente, refertā cadis plus minus septingentis pulueris tormentarij, profesto diui Laurentij. tum enim & ipsius intereram, M. Bernhardo rectori iuuentutis Mechlinianæ fortè cohabitans, vt eius singulari doctrina atq; industria cum cæteris erudirer: memini tunc cæli faciem cōtinuato fulgure scintillas igneas, fossas, ac rimas horribiles velut è candenti fornace vsque in noctem mediam protulisse: quatiebantur ædes inaudita tonitrui vi, portæ dissiliētis tanta fuit eruptio, vt stragem latissimam dederit, disiectis ædificiis pluribus 300. oppressis hominibus supra 500. Quàm verò prodigiosa cætera, cuiusmodi monstra & vlu-

Auspicij temerarij exitus infelicissimus, atq; exemplum maximè memorandum.

Numeri 27. amplissima dignitas.

Cladis Mechlinien. ab igne cælesti quondā inflictæ plenius exaratur.

latus, qui plausus atque præstigiæ dæmonum, quãtus vbiq; gemitus, horror, calamitas, quàm vulneratorũ species miseranda, quàm ædificiorum fœda euersio, terrarum, arborum, paludũ, animalium, de loco in locum absurda translatio, viderunt vndiq; vel à 40. miliarum spatio confluẽtes, nec vlla deinceps posteritatis memoria conticescet. Nunc tantùm repero voluens atque reuoluens cum animo meo quòd illic præsentis tragœdiæ facies mihi sit visa velut antiquo oraculo, seu propter ignis analogiam iusta similitudine præfiniri. At ingens hîc inter signum & rem signatam præcessit temporis interuallum, argumento sanè perspicuo diuinæ benignitatis ac patientiæ, quanquam quo diutius differt, eo & neglecti numinis pœna atrocior nobis incumbat. Ea verò est sapientiæ vox ad moderationem fortunæ vtriusque imprimis efficax, Dominus exaltat vt deiiciat, deijcit rursus vt exaltetur. Atqui vt in humano corpore fluxus fluxum prouocat, inflammationis ardor ardore succẽditur, neque prius malorum circuli cessant, quàm vnà cum proximis & procatarcticæ causæ funditus excindantur; sic & in cæteris rebus tum publicis tum priuatis accidit, vt altera calamitas alteri ferè succedat, minori sæpius maior, ac in priore interdũ posterior velut in figura species, aut vultus in speculo designetur: idq; propterea, quòd ferè omnes statim à labore ad libidinem procliues simus, quòd sortem præsentẽ non æquo animo perferamus, quòd Deum in ipsis angustiis nõ vti deceat glorificemus, quòd nudos illic euentus rerum, non præteritas rationes, non futurorum minas, maioríque flagri prodigia contemplemur, quòd & ruinæ publicæ causam nihil ad nos spectare credamus, ac nemo (vt verbis Satyrici loquar) in sesẽ tentet descendere, nemo, sed præcedenti spectetur mantica tergo. At quænam tempora præ vt olim, cũ Niniuitis excidium minitata vox vna

Præsens calamitas in priore depicta.

Digressio.

vatis diuini, conuersos animos ad pœnitentiam excitarit? nunc verò si vel pistillo subigas, vel molæ dentibus conteramur, viden vt amplius intumescimus, inflamurq; penitus, dum disrumpi fastus, & cupiditatis insolẽtia cogat? Aeternum verò hinc sibi nomen Antwerpia peperit, quæ nudos & inopes fame, plagis, metu ac mœrore confectos, omni subsidio opum suarũ ac liberalitatis dextera subleuauit. Atqui hæc sunt verè quæ numinis iram placare vel maximè possint, quæque lustrare fortunam publicam & priuatam ab infaustis dæmoniis consueuerunt. Maturè consultum apud nos fuit, ducis accensi, ac stomachantis iram implacabilem omni studio præmollire, priusquam totus exercitus sese Louanium referens, nostro periculo quod famis indomitæ reliquum fuit, explerent. Vt enim tum fortè persuasum fuit longè aliter quam res erat, idem de nobis quoque statutũ plurimi suspicabantur. vt etiam in vultu, & labiis hominum, ea magnitudo periculi versaretur quam in vicinis recenti adhuc horrore conspexerant. Quamquã verò multis interdum palponibus, parasitis, recta consilia principum peruertãtur, discerptæq; res publicæ vel propriorum viscerum horrenda ingluuie contabescant: hoc tamen loco (vt in aliis multis) seipsum non modò vicit dux illustriss. (sic vrgente Deo) verùm & suggestionis infaustæ studia (quæ quibus profecta superi norunt) infracto robore superauit. Inuenti sunt alij vel inter principes viros qui sese fortiter malis quibusdam impulsoribus obiecerunt, nunc prece, nũc monitis acrioribus plana singula apud ducis excellentiam facientes. Præcipuè verò acceptum retulit tunc salutem suam ciuitas vniuersa illustrissimo & sapientissimo duci D. de Medimma cæli, qui postquã fatis iniquioribus, nõ tã sibi quàm regis animo morem gerens, in hasce terras causa suscipiendæ prouinciæ peruenisset, magnis periculis prin-

Pietatis exemplum æterna posteritate dignissimum.

Tertia trepidatio ciuitatis Louanienſis.

Sui victoria præstãtissima.

Exempla prudentiæ atque humanitatis insignia.

cipiũ

cipio mensis Iunij circa ingressum ad littus Flandriæ superatis, adeoq; afflictam & immutatam rempub. videns, ingemuit supra modum: deinde totum se quieti tradidit, vix aliò spectans quàm vt affectiones immodicas, ac periculosæ licentiæ cursum modo quo poterat, ad iustam æquabilitatẽ reuocaret. Verũ exulceratissimo sæculo, etsi sortassis in cæteris nõ tantũ illius virtus, atque authoritas potuit, quantum & voluisset, ac maximè merebatur; nobis tamen hoc præstitit, vt iam tertiò salui, seruatiq; prodigiosam erga nos Dei clementiam prædicemus. Neque vnus hic tantùm nobis orator diuinitus venit. Illustriss. ducis Arscotani D. Philippi de Croy studium indefessum erga publicam pacẽ, amorem erga vniuersitatem nostram, & ciues verè paternum ac singularem nemo ignorat: prudentiã verò & moderationem animi tempestiuam à turpi dissidio, ambitione semotam, atq; hoc Græco symbolo ἀνέχου καὶ ἀπέχου optimè comprehensam, velut in Romanorum consule primo, quis non colat vnicè, extollat, admiretur? Equidem viris principibus adulari turpe apud philosophos puto; sed beneficium non agnoscere, vbi locus postulat, acceptæq; salutis authores nõ apud posteros prædicare, barbarũ planè atque impiũ iudicaui. Paulò ante hæc tempora regi se dediderũt & aliæ ciuitates, quas pridẽ ex improuiso hostilis astutiæ circumuenit, vt Aldenardũ, Denremonda. Quæ particulatim obtigerint singulis, ne multa quidem volumina comprehendant. Nunc & illud in medium proferatur, quod quamuis anni exacta periodo antè contigerit, iam nunc venturi tẽporis miserandã faciẽ abundè locis Septentrionalibus præmonstrauit. Profesto sanctorum omnium anno 1571. in ditione Embdẽsi (quæ Den Damvocatur) Frisiis Oriẽtalibus nocte sanguinem pluit, copia tanta, vt ad 5. vel 6. miliarium spatium herbæ, & vestes expositæ in apricum, ex

Sanguinis pluuia prodigiosa.

albo colore penitus in purpureum sint mutatæ: multi adreẽ memoriam plenos cyathos asseruarint: frustrà quibusdam illud ad cædem boum, aliasq; causas physicas referre volentibus.

Tempestas reip. in Geldriam atque Hollandiam tota decumbens.

Porrò dux Albanus iam nobis mollior, vultu tamen ad iram satis cõposito, tacitus præteriuit: nihilq; præterea statuens certi, vniuersas copias versus Leodium mouet: hinc secundo flumine per ciuitatẽ Ruremondensem hostili præsidio tunc desertam, circa Octobris initia, vsque in Geldriã properat: vbi primo Zuytphaniam, nuper à profugis atq; exulibus captam, obsidet: tum gelu acerrimo cõstrictis paludibus, ac totius fluminis cursu, post duos trésue assultus vrbem expugnat, Nouembris die 16. Sæuitum in obuios primùm, inq; promiscuam turbam: mox etiam proditionis capita diris suppliciis auferuntur: credo in exemplum atq; horrorem finitimæ regionis, quam tamen ad rebellandum vlterius incertum an pertinacia magis induxerit, an fortunæ prioris violenta obsidio, an denique desperationi iuncta diffidentia, quam exemplorum forsitan non æqua æstimatione conceperant. Tantũ verò per Transyssellaniam totam hæc alieni periculi contemplatio fecit, vt mox Bergẽsi comite, qui plurimas ciuitates ad deditionem antè compulerat, nunc fugitante celerius quàm pedes ferrent, claues obtulerint vltrò Campensis, Suollensis ciuitas, Amorsfortium, circa 20. Nouemb. diem: quæq; deinceps per omnem Geldriam ad ditionem vsque Vltraiectinam sita regio, velut momento temporis restituta regis vnius, ac ducis misericordiam implorarit. Atqui cum illis quidem benigniter actum. Interea tamen in vrbe Montensi plures è ciuibus capti, præter quàm expectarãt capitale supplicium luunt:

Ruina reipublicæ miseranda.

Desperatio.

callidiores, alij aliorumq; vestigia contẽplati, ἀπισίαν perpetuam induerunt, ac se, cum vxoribus, liberis, clanculum subdu-

subducentes, lautam & liberalem vitam nunc summa inopia, exilij sorte miserrima cõmutarũt. Nec minor Mechlinienses incessit timor, causæ sententia nondum omnibus constituta. complentur profugis & syluæ, & pagi, & oppida: nec tamen tot gladij aut laquei rigor interimit, quot hyemis summa asperitas, terror, luctus, fames è medio sustulerunt. Innumeri indies atque in horas fortunis omnibus desperatis, tum à rege paulatim, tum ab antiqua fide, & religione deficiunt. Accessit annonæ caritas & rerum omnium tanta, vt vel egentibus quantum cuperet quisque subuenire non posset. Dum enim militi ferè quæ libeat licet, vastata prædia, calcatos agros nudus arator pannis, & plagis obsitus deserebat, abductisq; iumentis, sæpe & pecuniis, & stirpa cum tota suppellectile, ne quidem conualescẽdi rursus initia potuit retinere. Interea ducis exercitũ magnus confluxus vndique Gallorum, Germanorum q; corroborat, multis eò non tam pugnandi desyderio forsan, quã prædandi spoliandiq; libidine concitatis: ne semel cogitantibus quidem, vt malè parta pessimè dilabantur, quemadmodum quotidiana obseruatio docet. Quot enim esse putes quos equus ille Scianus vehit, aurum Tolosanum à tergo incumbit, Diomedis aues à fronte præcedunt? Illud verò æternis præconijs dignũ, quod iussu ducis Albani Christophorus Mondraconius Hispanus nobilis, Gallorum militum dux, pro Gusiana ciuitate sita in locis Zelandiæ gessit 13. Kal. Nouembris anni 1572. cùm ad ferendum subsidium, maris incommoda viam nauigijs præpedirent, ipse cũ Gallis militibus 1300. Germanis 300. Hispanis 100. cœnosum tractum, & venis stagnantibus importunum, pedestri itinere superauit, sacculis tormentarij pulueris, quem ferrent humeris, in capita distributis. Ea verò supra vires humanas audacter inepti felicitas fuit, vt diuino annuente bene-

Calamitatum curius in infinitum ex vno fonte scaturiens.

Dura satis hæc rerũ commemoratio, sed necessaria, si diuinæ sapientiæ & bonitatis magnitudinẽ ex phænomeno præsentis sæculi expendere voluerimus.

Præclarum facinus.

beneficio pariter & hostes plures 700. oppressérit, ac ciuitatem obsidione grauissima liberarit. Iam tota ferè Hollãdia in veniæ spem erecta ad deditionẽ illico, à capta Zuytphania propendebat: cùm Nardense oppidulum non procul à mari situm, adhuc rebellis turbæ præsidio teneretur, vt neque statim pro arbitrio D. Frederici (cui tunc rei bellicæ summam commiserat parens) se dare in manus potuerit, quemadmodum ciues optimi voluissent. sed mox abactis hostibus cùm aduentanti militum turmæ portas & propugnacula serius reserassent, per muros facta irruptio fatali cuidam exitio, & maximè miserando sontes pariter atque insontes obiecit. Direptis omnibus penè, quod vrbis reliquum est incendio consumpserunt: vnus euadit vir lõgè doctiss. Lambertus Hortensius, quem tuetur strennuus comes D. de Bossu, vel eo imprimis nomine immortalitatis præmio decorãdus. Vix aliàs tãto cũ horrore & gemitu fama facti locis finitimis in aures hominũ permanauit.

Dira infelicitas oppidi Nardensis.

Qui pridem inflecti cœperant, aucta diffidẽtia, obduratisque pectoribus, ad resistendum pertinacius inflammantur. Hinc velut ab æstu maximo regum & populorum, cuncta quæ ad quietem summam, lætamq; concordiam properarant, in multis sic tergiuersari denuò, sic defluere sensim, vt longo deinceps temporis cursu, vix vlla liquidioris fortunæ prosperitas aspirarit, quin vtrimque aut clade multiplici fuerit, aut infinitorum hominum sanguine fermentata.

Desperatio vide quid facit.

Non aliter quàm si aduerso quis flumine limbum
Remigiis subigat, cùm brachia fortè remisit,
Mox illum in præceps prono rapit alueus amni.

Restant deinceps bellorum turbines tanti, tot cædes & funera, captiuitates, direptiones, torturæ, cruces, vt mihi hæc repetenti calamũ horror excutiat. mirum ni princeps ille dæmoniorũ, cuius superius facta est mẽtio, nũc summa

phlogosi

phlogosi terras exagitans secum nocturnos ciet manes:
mugire videbis sub pedibus terram, & descendere monti-
bus ornos, sistere aquã fluuiis, & vertere sydera retrò. Puto
me nunc audire matronam Belgicam passis crinibus, tonso
pectore, sublatis in cælum oculis manibusq3, inter singultus,
interq3 suspiria crebra, sub persona Hecubæ ac poëtæ tragi-
ci verbis ita plorantem,

Fortunæ Belgicæ deploratio.

Quicumque regno fidit, & magna potens
Dominatur aula, nec leues metuit deos,
Animumq3 rebus credulum lætis dedit,
Me videat, & te Troia: non vnquam tulit
Documenta fors maiora, quàm fragili loco
Starent superbi, columen euersum occidit
Pollentis Europæ, &c.

At ne regis æterni sponsam longè pulcherrimam, nunc
lutulentã, lacerã, tot plagis, atq3 procellis obrutã, vt à ver-
tice ad plantam pedis vix sit sanitas, ab ipso tamen desertã
penitus, nulloq3 firmatam nouo amoris pignore cogitemus,
tolle in cælum oculos; mirãda sunt, & supra quã æstimari
possint glorioſa opera Dei, quæ mediis hisce in tẽpestatibus
aliter fulgent, aliter longè quã olim de Castoris & Pollucis
igne poëtarũ fabulæ prodiderũt. Iã eò peruenimus quò lon-
gum maris emensi spatiũ, ceu nautæ ad cynosurã solẽt, cla-
uos & rostra direximus, quodq3 vt primũ scribentis animo
fixũ nũc propè cõmemorationis totius coronidẽ, fortasse &
mũdi cardinẽ cõtinebit. Sed prius tamẽ quod voto debue-
ram, vrbis natalis nomine, à tantis periculis, tam certo nu-
mine cõseruatæ, hymnũ hũc liberationis quadruplicis pul-
cherrimũ consecrabo, quondam Hebræo, nũc Romano car-
mine personantẽ in aures Domini Dei Sabaot, cuius ma-
iestatis, & gloriæ pleni sunt cæli & terra.

In summis tempestatibus diuinũ numẽ proximũ esse, & certis plærũque indiciis aperiri.

Digressio ad apparitionem syderis noui.

Psalmus

Psalmus 124.

Canticum Climactericon Asaphi.

Nisi Dominus fuisset in nobis dicat nunc Israel, &c.

NVnc age ni virtus Domini, dextræq; potentis
Præsidium nostris habitasset perrugil oris:
Nunc genus ô de stirpe sacra, nunc pectore ab imo
Dicite, ni nostris Domino foret auspice muris
Parta salus, cum turmæ virûm (tot millia) ferrò,
Et face terribilis dira obsidione teneret:
Qualis ab immani phocarum gurgite bolus
Diripitur, sic nos etiam in sua viscera vivos
Dentibus, & carptim sectos in frusta vorassent.
Cùm furor hostili veniebat ab agmine præceps,
Ceu tumidæ ruptis quondam fornacibus Aetnæ
Flamma volans claustra, & venas perfringit aquarum;
Nil nisi tum rapido torrentis vortice sorbtos
Restabat vitreis animam exhalare sub vndis:
Sed tua in angustis effulsit gloria rebus,
Gloria quæ nunc & venturo floreat æuo,
O Deus, horrenda quum nos è fauce leonum
Subreptos, humerísq; tuis, clypeóq; tulisti.
Nam velut expansis volucri dum cassibus auceps
Insidias locat, illa plagiis illapsa repentè
Soluitur, & liquidum exultans petit aëra pennis;
Nos quoque sic laqueis contritus omnibus omneis
Te duce venantum iuuat effugisse latebras:
Vna salus, spes vna tuo sub nomine, cuius
Afflatu in vacuam primo sata semina molem
In varias terræ, & cæli fluxere figuras.

Beata gens cuius Deus est Dominus, & populus quem elegit in hæreditatem sibi.

De

De prodigioso Phænomeno syderis noui quod mediis in tempestatibus nobis illuxit, tanta diuinæ gloriæ maiestate, vt nullum orbis miraculum sic huic meritò ab hominum antiqua memoria comparandum.

CAPVT III.

PAuet animus fata quò vergant timẽs, linguæ manusq; stupore insolito obrigescunt, neque sibimetipsis oculi credunt, quando iam dudum sublati toties noui istius luminis speciem admirandam, hanc Phosphori noui tã pulchram, & splendidam facem defixam in illis mundi partibus conspicantur, quas nulla attigerit hactenus, vel ortus, vel interitus, vel mutationis alterius inconstantia: si modò naturæ pristinas leges, si philosophorum omnium sensus, & placita, si veterum ac neotericorum obseruata in memoriã reuocemus. Sileret ipse fortassis iam Ptolomæus, cælestium rerum accuratissimus indagator: tum Plato, & Aristoteles pisce mutiores (si modò viuerent) eorum quæ scripserint pridem vanitate deprensa, humanam philosophiam pedibus conculcarent, Deumq; naturæ operibus longè superiorem agnoscentes, iam efficaciori scientiæ manus darent, per effectus nimirum sensui manifestos, quorum tamen legitimæ causæ non modò se nostræ mentis acumini subtrahunt, verùm & ab illa pridem sphærarum cælestium firma atq; immutabili lege detorquent. Nec enim præter quaternas vices aliàs vnquam in hisce locis factam nouationem produnt historiæ sacræ. Primò scilicet cùm ipse sol staret, pugnanti Iosuæ contra Gabaonitas. Dein quando cursu retrogrado mouebatur, quod regi Ezechiæ contigit. Huic successit sydus apparens ante salutis exortum, de cuius tamen loco & specie parum constat. Postremum fuit defec-

Quanta sit huius prodigij dignitas.

Quater ab exhe conditio in cęlis facta mutatio est supra naturæ legẽ.

tus

ctus ille mirabilis Solis, ex quo diuinus Areopagita (vt ipsu-met scribit epistola ad Polycarpum) agnouit primus vel mundi excidium non procul abesse, vel Deum naturæ in summa afflictione versari. Scribunt plerique & illam obscuram Pleiadum præ cæteris sororibus antè conspicuã repentè tandem ab oculis vanuisse. Hipparchum quoque astronomum antiquissimum suo sæclo stellam genitam obseruasse, author Sabellicus: ac nos de Veneris stella quiddã ex Augustino libro superiore protulimus. sed & de fide authorum magna suspicio est, & ipsa phænomeni ratio nusquam luculenter expressa.

Tria inuẽtionis seminaria plenius in opere Cyclogn. demonstrata.

Me verò quanquã hæc altius repetentem meïmet propè pœniteat, quantúmque hæc absint humanis viribus satis perspiciam, (quòd rationum fluctus ancipites semper, sensus iudicium fallax & lubricum, intellectus verò quãpaucissimus datus circa eiusmodi, non tam discursus facultate, quàm cælesti aspiratione indigeat) conabor tamen vt maximè possum, artis meæ nunc omnes atque atque ingenij copias conuocare, non quidem tantopere præsagiendi gratia (neque enim vates, aut vatum filij sumus) quàm vt illud assequamur, quo Deum in omnibus iure laudemus & admiremur, impuris & impijs suorum scelerum conscientiam surdi flagelli verbere quatiamus; iustos autem oppressos afflictos vndique inter momentaneos æstus Dei cura certissima & prouidentia confirmemus.

Nã vt olim ita & nunc posuit prodigia (teste psalmista) in medio tui Aegypte in Pharaonẽ, atq; omnes seruos eius.

Inuentionis auspicium à sensu & obseruatis.

Ergo cùm primum ab obseruatis, atque industria sensuum externorum omnis inchoanda sit disputatio; prius dicendum quoque qualem sese inter apparitionis initia obtulerit oculis nostris, qualémque viderimus in progressu vsque ad hæc tempora, paulo quàm nuper edideram planius, cumEtíque

Etisque ad obseruationis amussim maiore cum diligentia reuocatis.

Imprimis diem aut mensem quo primùm affulserit cælo hic phosphorus nouus, nulli mortalium hodie certum aut cognitum puto. Scripsi etenim tempus apparitionis fuisse mense Nouembri, anno supra millesimum quingentesimũ secundo & septuagesimo. Sed qui se primos obseruasse voluerunt, nonum diem pro initio tradiderunt: cùm tamen interea conuenerim plures, quorum alij diem secundũ aut tertium annotarint, plerique vel ante Octobris finem ferant etiam à vulgaribus obseruatum. Mihi quidem diu fama rei in auribus versabatur, sed quum cometæ vel sua coma promptissimè à reliquis syderibus discernantur: stellas nouas produci contra mundi totius ordinem, legésque communes esse putauerim, idcirco deceptos oculos rudiores ipsa fortasse Iouis præsentia cogitabam: hic enim tum sublimis vesperi in signo Arietis effulgebat: nec semel libebat oculos in altum tollere. secutus sum ea in parte philosophicam vanitatem, cui nihil creditur ferè, nisi quod libet, nec libet, nisi quod possit rationibus demonstrari. Quo factum vt prius hæc apparuerint ingeniis simplicioribus, ab omni fastu & inanis scientiæ tumore sedatis, quàm viris alioqui doctis, & in naturalium rerum contemplatione versatis, quod etiam in aliis ferè tum prodigiosis apparitionibus, tum vaticiniis atque oraculis locũ habet: vel si pastores pecorumq; magistros in exemplum trahas, quîs olim gloria in excelsis Deo, pax terris aureæ per ipsos æterni regis satellites nuntiata est. Etenim spectabilium rerum defixa meditatio sæpe diuinorum sensus adulterat, nec vllum est grauius humani præcipitij iugum, atque ista rationũ exuperantia, quæ nõ se Deo, sed Deum sibi submittere tentat: quæ sensibilium rerum affluxu tumidæ mẽti vias obsepit, quò minus diuini

Primũ apparitionis tẽpus.

Philosophorũ vanitas.

Res intelligibiles sæpe prius ingeniis simplicioribus cõperiũtur.

Ratio.

ſpiritus lumen in ſe tranſmittat : quin ipſo rationis gubernaculo deſtituta, atq; ab intellectus atrio pulſa, tanquam ebria rurſus in poſteriora labatur : poſtquam ſcilicet metitur omnia in rebus diuinis tum pro ſuæ poteſtatis anguſtiis, tum pro carnis affectione & corruptela. O curuæ in terras animæ & cæleſtium inanes.

Primũ conſyderationis auſpiciũ in ſydere nouo.

Primùm itaque aliud quiddam agentibus nobis, cùm iam hoc lumen auctius ac fulgore notabili multorum oculos perſtrinxiſſet, ſereno cælo à prætereuntibus cõmonſtratũ eſt. Me verò attonitum altius inquirendi ſtudium cepit, exiſtimantem tunc prius vnam eſſe ex illis Caſsiopæ ſtellis lucidioribus, quæ formam totius ſyderis circumſcribunt. Quid verbis opus eſt? accepto globo cæleſti quẽ parens propriis manibus exararat, mox etiam adhibitis aliis inſtrumẽtis, vt radio, planiſphærio, annulo aſtronomico, vbi cum Ptolomæi, & Hygyni, aliorumq; tum veterũ, tum recentiorum tabulis contuliſſem : di boni quantus ſtupor, atque admiratio ſubit ! videbar illud audire quod Lucanus cecinit, ignotum vobis Arabes veniſtis in orbem. Porrò primæ obſeruationis tempus fuit nobis die Nouembris 26. tum

Locus ſyderis noui.

enim ea proportione deprendimus, qua permanſit poſtea ne ſcrupulum vel minutum à ſua ſede deflectens, nimirum inter Cephei ſydus & Caſsiopææ : quã multi Calliopen voluerunt. Stabat in recta propemodum linea, cum inſigniore in lumbis Caſsiopææ, cum clara Meduſæ atque Pleïadibus. rurſum ex alia parte cum ſtella polari, atque ea quæ eſt in natibus Vrſæ maioris. ſed hæc non tã amuſſi geometrica, quã ad oculi ſenſum dicta intelligas. exactiſs. verò in eandem rectam lineam incidebant cũ ſydere nouo Cauda cycni, & ſuperior in capite Cephei intra circulum Galaxiæ. Item verſus Auſtrum ſiniſtri cruris Andromedæ lucidior ſtella, cum trianguli ſtellis in angulo Boreali, nec

erant

erant aliæ propiores magnit. 2. aut 3. quæ inter se melius potuerint comparari. Verùm vt & studiosis mathematum satis fiat, hæc sunt quæ definitius dare potuimus.

Exquisitior cõparatio stellæ nouæ ad fixas illi viciniores.

Distantiam syderis noui à stella polari (quam tamẽ radio difficulter potui explorare) iam sæpius deprehendi 24. grad. min. circiter 40.

A clara in Hyrco distabat noua 42. grad. 4. min. à quæ proxima stellula siue vndecima syderis Cassiop. distat 41. grad. 24. min. vnde necesse sit nouam stellam cadere in colurum, qui per æquinoctia fertur. A clara Persei dist. nouæ 27. grad. 7. min.

A Ioue dist. 55. grad. 39. min. respondebat autem tum exactissimè Ioui calculo Prutenico tam in longit. quàm latitudine. Erat enim retrog. ex statione in epicyclo, in 12. grad. V.

A prima stella Cassiopæ vel eiusdem capite, quæ nouæ opponitur, sed paulo extra lineam (qua & secunda) exactè dissidet grad. 9. min. 36.

A clara in dorso vel pectore Cassiop. quam astri totius secundam numerant, quæq; huic syderi nouo secundũ diametrum rhombi semper opposita stetit, distantia visa est nobis 7. grad. 24. min. exactissimè & vicibus iteratis sæpius deprehensa. Nam & in æstate, & per autumnũ sequentem, perq; initia anni 1574. sedulas παρατηρήσεις omnibus modis adhibui.

A tertia in corpore Cassiopæ, quæ obscurior paulò inter claras duas pectus scilicet, ac lumbos Cassiopæ collocatur, dist. nouæ 6. grad. 36. min.

A clara in lumbis seu quarta totius syderis, quæ vesperi orientalior stabat, manè occidentem versus, dist. 4. grad. 36. min. exactissimè.


Ab vndecima quintæ magnitudinis stellula (sed quæ

noua proxima inter alias luce ac mole conſpicuas, quæq; inter ſtellam nouam & claram in ſede Caſſiopæ collocatur, ſed paulo interius ac verſus rhombi totius ſuperficiem inclinata) diſtat noua 1. gradu, 24. min. adamuſſim.

A clara in ſede Caſſiopæ, quam duodecimam totius ſyderis voluerunt, quæque ad contrarium angulum mundi opponitur quartæ, diſtantia accuratè deprehenſa 5. grad. 4. min.

Totius ſyderis ſpecies rhomboeides.

Ergo totius rhombi ſpeciẽ eleganter abſoluunt illuſtriores 4. ſtellæ. In faſtigio ſydus nouum verſus polum, cui opponitur verſus auſtrum clara in pectore. Angulum ſpectabat Orientalem veſperi cùm primùm apparuit vſque in æſtatẽ clara in lumbis: Occidentẽ verſus clara in ſedis medio: ad latus Occidentale paulò interior ſtat vndecima: ad



Orien-

Orientale alterum tertia Caſſiopæ ſtella: caput Caſſiopæ vltra auſtralem angulum pendet, crura & pedes Boream ſpectant, longius ab angulo Orientali in ſublime reducti, hoc modo.

Examen fixarum quibus cum facta eſt comparatio.

Ne verò in primis carceribus error exiguus infinitos alios ſecum trahat, iſta quoque his annectẽda putauimus.

1. *Quòd cum patre collata induſtria ſemper obſeruauerim ſtellam polarem decl. 86. grad. 25. min. Vnde illius diſtantiam à polo mundi colligemus 3. grad. 35. min. latitudinem ab ecliptica 66. grad. min. 0.*

2. *Stellam Caſſiopæ vndecimam diſtare comperi à ſtella polari 25. grad. 30. min. ab Hyrco 41. grad. 24. min. ſecus quàm alij tradunt, qui hyrcum maiori diſtantia remouent, etſi in tanta intercapedine facilè ſenſus hallucinetur: certum eſt tamen hanc ſtellam vndecimam non bene hactenus obſeruatam, vt & ſitus oſtendit ad ſtellam nouam, quæ iuxta hanc dimenſionem cum reliquis diſtantiis exactiſſimè correſpondet. Sic vt noua ſtella in ipſum colurum incidat, hæc autem vndecima ſecundum ſign. ſucceſs. paululum remoueatur.*

3. *Illa in dorſo Caſſiopæ vel pectore long. habet 18. 51. M. Lat. Bor. 46. grad. 45. min. declin. 54. 14.*

4. *Hircus long. 16. grad. 1. min. ♊ lat. 22. 30. declin. 45. grad. 8. min.*

5. *Perſei latus dextrum long. 25. grad. 51. min. & lat. 30. grad. 0. min. B. decl. 48. grad. 6. min.*

Locus phoſphori noui ratione firmiſſima deprehenſus. 1. Ratione Zodiaci. 2. Ratione primi mobilis.

Colligitur tandem locus iſtius ſyderis noui, per doctrinã triang. reſpectu quidem Zodiaci eiuſdem longitudinis cum illa lucidiore in lũbis Caſſiopæ, nimirum 4. grad. Tauri, licet hæc ſtella Caſſiopæ duobus minutis aut circiter magis in anteriora procedat. Secundũ ſegmẽta primi mobilis à polis mũdi, quorũ cõſideratio præſtãtiſſima eſt, (ſortaſſis & hoc

loco ad significationem opportunior) consistit exactiss. sydus nouum in principio Arietis. distãtia eiusdem à polo 28. grad. 15. min. posita videlicet stella polari vt hactenus obseruaui, vtq; à patre tum in globo, cũ in tabulis constituta est. Hunc arcũ si subtrahas a 90. relinquuntur declinationis 61. grad. 45. min. quod cũ globo conuenit exactissimè. Igitur dist. à vertice nostro 10. grad. cum aliquot minutis. Eleuatio supra horizontem 79. grad. circiter 45. min. Culminat exactè cũ ♈, cum stella polari, cum prima in lin. ♓, & penè cum capite Cassiopæ. Quare & horum capitibus imprimis imminet qui Hyberniam colunt, & superiorem Angliæ partem: qui Scotiam, Daniam, Poloniã, Liuoniam, Sueciam, Tartariam, Borussiam, Moscouiam, Põtum Euxinum, paludẽ Mæotidẽ, & reliquas Germaniæ partes, quæ in hunc parallelum propius reclinantur.

Declinatio.

Distantia à Zenith.

Eleuatio.

Quibus sit verticalis.

* *Omnem hanc theoriam syderis noui summa industria, instrumentis quoque accuratissimis exploratam, etiã aliorum adhibito sensu & autopsia, expressi latius, nequa deinceps posteris dubitandi restet occasio. Quòd verò ipsum multò quàm pridem diligentius inquisierim, magni calcaris loco fuit clariss. vir Thadæus Hagesius, Imperatoriæ maiestatis medicus, qui tum Viennæ Austriæ cum Polo Fabricio, aliisq; præclarissimis viris, eãdem stellam nõ minore studio, diuersis temporibus, obseruarunt. Lectis autem iis quæ nuper effuderam, vbi sua sedulò contulisset, per literas (quæ fuit eius humanitas summa, atque ingenuus candor) admonuit, quòd nonnihil obseruatio nostra à suo calculo dissideret. Quare nec mihi vitio verti, nec fore decori sum arbitratus, si rursus ad limam singulà reuocarẽ. nam & paulò ante quàm literas eius acceperam, nonnihil me in scrupulis aliquot aberrasse cognoueram: in distãtia à stella polari plurimum, vti nunc patet, si prius editis*

Alterius viri doctissimi fida obseruatio.

confe-

ZENITH

POLVS ZODIACI

POLVS MVNDI

TROPICVS CANCRI

DIVARICATIO LACTEÆ

CAPVT ANGVIS

CAVDA ANGVIS

CERVIX

DORSVM

CAVDA DRACONIS

ALASICNI

CAPVT DRACONIS

CAPVT CEPHEI

CAVDA CEPHEI

CAVDA VRSÆ MINORIS

STELLA POLARIS

STELLA PEREGRINA AD 9 NOV: 1572

CASSIOPEA

PERSEI SIDVS

GALAXIA

HIRCVS

CAPVT HINNVLEI

HINNVLEVS SIDVS

AQVILA

ÆQVINOCTIALIS

CAPVT GALATÆ

ZODIACVS

CORNIGER

MANVS AQVARII

AQVARIAS

DELPHINVS

EQVICVLVS

CAPVT PEGASI

CERVIX PEGASI

ALA PEGASI

PEG:

VMB: PEGASI

ANDROMEDA

DELTOTON

CORNV MEDIÆ

HÆDVS

PLEIADES

HYADES

MARS

TROPICVS

CAVDA

HORIZON LAT 51½

PARALELVS HORIZONTI

EXTREMVS AQUÆ FVSÆ

COLVRVS ÆQVIN:

AXIS MVNDI

AXIS ZODI:

CIRCVLVS VERTICALIS

IVPITER

conferatur. Sed vero verius est, vbique δευτέρας φροντίδας σοφωτέρας εἶναι.

Comparatio vtriusque.

Obseruauit autẽ D. *Hagesius distantiã nouæ stellæ ab* II. *exactè, vt & nos, æstate præcedenti, & totius anni curriculo deinceps vsque in hæc tempora, grad.* 1. *min.* 24. *atq; hîc optimè conuenimus.*

Declinationẽ vndecimæ ab æquatore, statuit 60. *grad.* 40. *min. quam ego tunc nouo syderi attribuebam non rectè.*

Eiusdem stellæ vndecimæ distantiam à polari stella 26. *grad.* 34. *min. in quo plurimum discrepamus, nam distantiam vndecimæ à polo facit* 29. *grad.* 20. *min. vnde colligo ipsum statuere dist. stellæ polaris à polo* 2. *grad.* 46. *min. quod à nostra obseruatione differt propemodum integro gradu. Sed (vt antè diximus) stellæ polaris difficillima est obseruatio multis de causis.*

Distantiam nouæ à clara in dorso Cass. reperi 7. *grad.* 47. *min. differt paucis minutis.*

Dist. nouæ à 3. *Cass.* 7. *grad. integrorum: discrepat propè dimidio gradu.*

Dist. à 4. *Cass.* 4. *grad.* 51. *min. parum differt.*

Distãtiam nouæ à 12. *Cassiopæ,* 5. *grad.* 15. *min. abest* 12. *min. à nostra.*

Hæc quidem liberè atq; animo prorsus philosophico, vt videant posteri tanto certius ἀφθόνως εἶναι τὰς μέσων δύναμις, *neq; me tam gloriæ causa, quã veritatis indagãdæ gratia conscripsisse. Sunt alij plures qui nostram hanc obseruationem suismet oculis confirmarunt, tum in Italia, tum Gallia, Germania, multisq; sparsim finitimis locis. Nec illa obseruatorũ diuersitas eò perduci potest, vt hactenus mota suo loco vel scrupulum videatur, aut certam rationem parallaxeos obtinere.*

Aliorũ obseruata varia.

Est

Est itaque aspectus syderis noui ad punctum æquinoctij penè per sextantem circuli: locus in contactu limbi borealis galaxiæ, & coluri circuli qui transit à polo per stellam polarem, stellam nouam, ac principia Vet. ♎ ferè etiam per illam in tergo vrsæ maioris, etsi exactius paulò per caput Cassi. sic vt caput limbum lactei circuli australem tangat, Borealem Phosphorus nouus, (quæ sanè videntur omnia ad sensum quendam mysticum pertinere) linea verò ducta à noua stella ad caput Cassiopæ cum linea transuersa ad secundas proximas lucidiores sectionem κατὰ χιασμὸν facit: sic tamen vt magis inclinet stella versus lumbos Cassiopæ quàm versus lucidam sedis. Siue igitur ad caput Cassiopæ siue ad pectus compares, gladij aut crucis imaginem format elegantissimè, quæ quidem species nusquam in alio syderе reperitur.

Circulus per stellam trãsiẽs mundi totius præcipuus cardo.

Sectio in formam crucis.

Omnium difficultatum ea sanè grauissima est quæ de altitudine spectatarum rerum via mathematica, pérque aspectus diuersitatem exploranda proponitur. Hæc enim imprimis constare debuit, si intra concauum lunæ fuerit reponenda, quòd etiam in cometis ista non solùm euariet, verùm & in lunæ corpore tanto maior occurrat in diuersis angulis mundi, quanto quæque aspectui nostro sint propiora: vt etiam ex ipsa triang. doctrina liquidè patet. Atqui (vt verum fatear) multi obseruatores primò se deprehendisse aliquam opinabantur, vtpote 4. aut 3. minut. Sed cùm sæpius idem tentauerim, nihil hactenus certi sum consecutus, nec vllam esse existimo parallaxim, quam neque è diuersis obseruatorum locis, neque ab extremis altitudinum differentiis in meridiano circulo firmam aut stabilem quisque constituat. Idem quoq; & nostro Hagesio visum, vt ex ipsius literis patet, quas libenter adiecimus, non

De altitudine syderis inuestiganda per parallaxim.

Quid circa parallaxim syderis noui author obseruarit.

ſolùm rei ipſius confirmandæ gratia, ſed quòd & opus noſtrum ſplendore ſuæ doctrinæ ornaturæ plurimum videretur. Faxit Deus, vt, quod propediem ſore confidimus, pleniorem quoq; illius ſententiam hac de re cum aliorum placitis audiamus. Quòd autem plerique aſpectus diuerſitatem ſe obſeruaſſe crediderint, deceptos arbitror: cum ob plurimas cauſas, tum maximè quòd ante auroram Horizonti propior multò quoque ſax eadem maior ad oculos, nec nõ ſplendidior appareret. Equidem illud attribui ſemper vaporibus interiectis, vt etiã in ſtellis cæteris vſu venit. Quin eadem ratio eſt cur eodem die nunc pallidior viſa, nunc rutilantior ſolito, interdum & comam orbiculatim gerere putaretur, etſi tamen veræ colorum & magnitudinum differentiæ à nobis poſtea ſunt animaduerſæ, ſed longiore temporis interuallo, atque ob alias cauſas, de quibus mox diſſeretur.

Vnde in mediis aſpectuũ differentiis tã facilis error.

Iam multis id argumentis confeci in animo meo, locum illius ſyderis nõ eſſe in orbe corruptibili, ſub concauo Lunæ. Nã imprimis nõ ſcintillaret: deinde, quæ fallere minimè poteſt, certa aſpectus differentia idem vel apertißimè demõſtraret. Poſtremò non ita proportione ſtabili ad fixa ſydera raptu primi mobilis volueretur, cũ quicquid ſub Luna cõſtiterit locum mutauerit hactenus ad minimum intra ſpatium menſis vnius atque alterius. Vt ſi vel omnia perluſtres prodigia quæ ſunt ab orbe cõdito, ex monumentis hiſtoricis promptè concludes. Imò cùm non ſit in æthere, nec illi inter planetarum ãnfractus vlla regio poterit aſſignari. (nam neque planetæ ſcintillant, nec ſyderi nouo ad motus errantium vlla cognatio eſt.) Reliquum eſt vt aut in orbe octauo, aut nono, aut decimo forſan aut ſuperiore quopiam collocetur. Viſus eſt etenim eius fulgor immenſus multò amplius ſcintillare quàm vlla ſyderum aliorum.

Locũ ſyderis noui non eſſe in regione vlla ſub concauo Lunæ.

Locũ eiuſdem neque in æthereo orbe nec vllo planetarũ circulo cõſtitui poſſe.

Concluſio à ſufficienti diuiſione vt logici vocant.

Sed

Sed quoniam hæc res momenti maximi est, libet eandem aliter ac paulò expressius demonstrare.

Scito illud certissimum, à primo tempore quo nobis videre contigit hoc astrum nouum, erat magnitudo illius eadem cum arcturi sydere, etiam colore & specie planè conueniens, nisi quòd propius paulò ad lumen Veneris accedere videretur, colore quasi subruffo elanguescente in fuluum quempiam, sed ex argenteo temperatum. Aiebant prius visam multo minorem. Etsi tum dubitauerim num idem ob causas alias accidisset: verùm postea sensim animaduerti magnum illius luminis incrementum vsque ad natalē Domini 1572. quo tempore nihil differebat magnitudine à Iouis stella, aut syrio; ipsum penè luciferum superabat. sereno cælo nullam comam, aut extensiorem radiū ad mundi angulum præ se ferēs, verùm ita vibratis radiis ardescebat vt per densissimas nubes sæpe stellis latentibus cæteris transpareret, mihi per fenestras vitreas noctu sæpius intuenti ceu lampas in cælo amplissima videretur. Hinc pedetentim diminuta denuò etiam coloris speciem languidiorem indies nobis ostendit, ex ruffo scilicet in fuluum atque argenteum vergens, vt etiam postremis obseruationibus cùm minima spectabatur, Mercurij lumen pallidiusculum potius, quàm planetæ alterius exhiberet. In Febr. anni sequentis 1573. Ioue minor apparuit, deinde circa augustū accessit magnitudine ad eas stellas quæ secum rhombi speciem perfecerunt. In Nouembri æqualis omnino cum vndecima stella, in Ian. anni 1574. multò minor, in principio Februarij tam exilis vt nebulam potius quàm stellam quis fuisse putauerit. Luna etenim præsente non apparebat, cū tamen appareret vndecima; verùm eadem absente occurrit sereno cælo, sed tantùm acrius intuenti velut punctulum nunc appareret subitò, nunc ab oculis obliteſceret. Ante

Quòd supra planetas omnes constiterit, firmior demōstratio.

Luminis miranda mutatio per gradus certos in sydere noue.

auroram

auroram diu exactè satis conspiciebatur argui luminis radio adhuc scintillante validius, quàm vndecima illi proxima, quæ tamẽ tum lucis magnitudine superabat. In fine Februarij vespertino tẽpore vix amplius videbatur, manè minutissima instar stellæ magn. 7. eo acumine & specie lucis quæ in Mercurio solet cũ extra solis radios primũ emersit. Atqui semper à principio manè splendidior multò maiorq; quã vesperi fulsit, præterquã æstate, ob refractionem luminis ex parte borea & vicinam solis.

Nec primum exortũ neque decessum syderis noui ab vllo mortaliũ potuisse deprendi.

Quemadmodum verò de syderis noui primo exortu nulli mortalium cõstat, ita neque de fine prorsus exactum temporis punctum facile est definire. Cùm enim paulatim ac velut certis gradibus aucta primũ, deinde à vigore diminuta sit magnitudo, vt omnium stellarum quantitatẽ, fulgorísque speciẽ imitata ex ordine videatur, quis est qui nõ modò puncta aduentus aut recessus, verùm & apparitionis extrema potuerit obseruare. quandoquidem aliis priusquam aliis serius in illa visus atque obiecti intercapedine debeant obuersari, cũ propter sensus atque acuminis differentiam, tum propter medium, vt aëris statum, accessus solis & lunæ. Fieri potest potuisse videri à mense Martio vel Aprili anni 1572. vel etiã multo prius, nunc quoq; desinere circa eundẽ ingressum Solis in Arietem vel ♉, propter analogiam loci in quo conspicitur, vt totum tempus sit annorũ duũm, sed apparitionis tantũ anni vnius cũ triente. Hoc probabiliter dico, *nulla autem firma est demonstratio.*

Vniuersum apparitionis tempus vero proxumum definitur.

Discursus ex obseruatis hactenus per sensum de altitudine stellæ, siue distantia à terris.

Non fuisse à primordijs mundi.

Mihi quidem ex deprehensis hactenus constare firmiter tum motus illius syderis vniuersus, tum generalis distantia visa est. Nam à mundi primordiis extitisse, vt plerique inter Italos scribunt, nulla ratione conficient. iam enim hoc ab initio poterant suspicari, in tanto stellarũ numero aliquam à veteribus prætermissam: sed luminis eius insigne

nsigne augmentum ac decrementũ opinionem hanc penitus labefecit. Natam tamen fuisse via generationis & corruptionis quam orbis sustinet intra concauum lunæ, neque illud mihi vllo pacto fit verisimile: cũ in eam partem cæli nulla cadat eiusmodi permutatio tã præceps ac sensui manifesta. Melius itaque forsan omnem hanc magnitudinis differentiam ex alia quadam aspectus diuersitate trahemus: quæ non longit. vel latitudine committatur, sed in ipsa euariatione distantiæ, atque altitudinis à terra aut oculis nostris, quod sanè per lineam rectam fieri debuit, protensa à visu nostro per stellam nouam in continuum. Vt nimirum non vlla accretione, aut cõsumptione materiæ maior minórue sit visa, sed iuxta intercapedinis differentiam, vt & accessu, recessuq; ad sphæras inferiores, propius salutasse mortale genus, & sensim rursus valedixisse putemus. Quin ipsis errantibus stellis nunquid hac ratione propemodum incrementa & decrementa luminis fiunt? præsertim quibus vel amplus est epicyclus, vel interioris circuli excentrotis. Hoc certè in Marte imprimis, etiã in Ioue ac Venere pulcherrimè demonstratur. quibus accedunt etiã aliæ causæ, vt occultationes sub radius, inclinationũ anguli ad finitorem occiduum vel orientalem. quæ cuncta ex planetarũ theoriis sunt altius eruenda. Patet igitur motũ illi fuisse triplicẽ toto durationis suæ curriculo deprehensum. duo enim sunt recti, primus descensus secundum lineam rectam, alter ascensus quo sensim euanuit, tertius circularis ad raptum primi mobilis circa cardinem mundi. Vt tamen nec ortum neq; occasum subire potuerit, sed videri constãter cælo liquido per Europã vniuersam debuerit, perq; totius mundi margines quibus Cassiopæ sydus nequaquam sub Horizonte demergitur.

Vnde magnitudinis incrementa & decrementa.

Alio modo quàm gen. & corruptionis nouũ hoc sydus apparuisse atque ab oculis recessisse.

Motũ fuisse triplicẽ sydetis nouæ ex obseruatione colligitur.

Illa tamen exquisita distantiæ ratio, quam rei spectabilis

Quousque distantiæ ratio colligi possit.

bilis accipiendam ab oculis volunt, locum istic propter elõgationis amplitudinem non inuenit. Tantùm argumentis probabilibus σωτεκμαίρεσθαι licet, fuisse semper in aliquo trium orbium supernorum, supra non ætherem modò, sed & septenos illos circuitus planetarum. Quis adeò scit an ex vno superiorum in alterum ascensus descensusq; vicissitudine permearit? an potius intra corpoream molem atque crassitiem vnius cæli, quàm nullus alioqui sensus attingit? Proinde non est quod quisquam existimet nostram de recto syderis motu sententiam posse conuelli per demonstrationes geometricas, quæ ex aspectus varietate vel arcuum à fixis syderibus trahi possent. Omnis enim hæc ratio magis magisq; per phænomeni longiorem distantiam eneruatur.

Contra eos qui cometam hoc sydus esse voluerint, ipsum collocantes in orbe æthereo vel igneo elemẽto.


Scio plurimos fore qui pertinacius volent in æthere collocandum, quem tamen ipsi cum ignei elementi sede confundunt. Sed nos suprà ostendimus, istic tantisper stare illæ vel lucis specie, vel situs constantia non potuisse: nunc & demonstrationem alteram non minus firmam & validam proponemus, quòd præter alia quæ omnino stellis fixis consimilia tenet, istud quoque perpetuum annotauerimus: lumen syderis noui quantacunque magnitudine, & paruitate splendoris, efficaciam tamen, & scintillantis radij vigorem, impetum reseruasse. quod sanè cometis, aut exhalationum generi nulli competit, nisi fortassis eas adducas quîs capræ saltantis nomen imponunt. Verùm istis & alia motus difformitas adest, tum ipsa ignitæ materiæ species nullo solidiore vinculo coercetur. Postremò stellarum solis

Demõstratio partim physica partim mathematica.

corporibus accidit, præsertim soli ac lunæ, vt per diaphanõ ceu nubes, vel nebulas prope finitorem subeuntes multò maiores appareant quàm si in ipso vertice conspicemur. Cometis verò ac meteoris igneis non ita. Quin secundum

veram

veram apparentiam, vel omni vapore sublato minores apparent in eadem distantia ac centro terræ, quanto ad finitorem propius inclinantur, propter semidiametrum terræ, maioremq; elongationem ab oculis nostris. Vt facilè patet si quis angulorum proportiones adinuicem comparet duobus triangulis super eiusdem circuli diametrum constitutis in diuersa distantia ab eodem puncto, ac superficie terræ, maiorẽ etenim elõgationẽ esse à pũcto d. versus g. demõstrabitur, quàm sit ipsius d. b. lineæ longitudo, vel per penultimam primæ commodè demonstratur, & per consequens minorem angulum f. d. e. quã c. d. b. Itaque secundum hanc constitutionem medij, minor perpetuò visa fuisset hæc stella in decliuiore altitudine, quàm circa verticẽ: cuius tamen contrarium diximus obseruasse.




Quòd si non bene affecto medio propter refractionem radij visus sit angulorum diuersitas metienda, iam minus quod captant opticis theorematibus obtinebunt. Nam hoc constare imprimis debet, visionẽ non modò fieri per trian-

gulos

gulos, cuius basis in re spectabili collocetur, sed & alterũ ex aduerso, ab ipso videlicet centro, obiecti ad diametrũ crystallini: est enim sensus in mutua quadã actione & passione, verùm sensibilium perceptio maximè in radiorum concursu mutuo atque complexu circa pupillam. Quare in hisce obiectis quæ minus sunt lucida, maior actionis energia procedit ab oculo: in illis autem quæ suo lumine sensum feriunt, non dubium quin ab obiectis diffusi radij agendi summam obtineant potestatem. Duplex igitur refractionis differentia est, si vapor spectantis oculum & rem spectabilẽ intercedat. In cometis etenim nõ adeò vis illa agendi feriẽdiq; reciproca poterit assignari, quare neq; illa refractio multũ ad augmentũ luminis præstat, quin dissilientes radij prius quã reddantur oculis ab illis interiectis vaporibus obtundantur, eneruatiq; dispareant. In sole contrà & luna, cæterisq; fulgidioribus stellis, quibus lumen actiuum & penetrantius multo: his sanè videri diametrum longè augustiorem ex illa refractione cõtingit, vt hactenus etiam quotidiana experientia confirmauit.

Duplex refractionis differentia circa radios visus.



Ergò

Ergo cùm locus illius ſyderis vero proximus, tam in altitudine, atque diſtantia, quàm longit. & latitudine cæli ſit conſtitutus, omnis quoque iam ſtatus & motus ratio deprehenſa, nec non fulgoris ſpecies, magnitudinis diuerſitas, figuræ analogia ad proximas ſtellas: planam nunc forte cõfidimus inquirendi de cæteris viam: primò quid ſit, aut quo prodigiorum ordine collocandum: deinde verò cuius gratia apparuiſſe mortalibus videatur. nã & his duobus generibus quæſtionum, cauſarum pariter atque euentuum, ſiue totius præſagij ratio continetur. Vtar potiſſimum argumento à plena diuiſione rerum quæ ipſum conſtituunt vniuerſum, vt in diuinis fieri ſolet. Neque enim generabilem aut corruptibilem vllam materiem redolet, vt cenſeri exhalatio poſſit. Quin ſi cometæ ortum ſublimiorem multis paſſibus antecellat, nihil eſt quòd meteora reliqua conſerantur, cometas autem conſiſtere in orbe æthereo liber præcedẽs prolixius demonſtrauit. Atqui cometam non eſſe, ex ipſa primùm nominis ratione conuincitur. comam etenim nullam aut figuræ alterius ſpeciem nobis oſtendit, quàm exactè orbicularem, circumſcriptam vt in reliquis ſtellis. Deinde nullus cometarum vnquã viſus eſt ſcintillanti lumine viſum ferire, ſed triſtis ſemper, & lugubris, tranquillo effluuio, caudaq; in ſolis oppoſitum exporrecta: hæc autẽ planetas & propè ſydera fixa palpitantis radij traiectione, præſertim ſub ipſo vigoris tempore, ſuperabat. Eſt alterum, quod vel maximè probat cõſtantia loci, quam cometæ non obſeruant diu, etſi fortaſſis ad ſenſum per dies aliquot conſiſtere videantur. Nec patet hiſtoriis quenquam iſtorum vltra ſex menſes humanis oculis patuiſſe. Quod enim de gladij forma Hieroſolymis impendente per annum integrum recitatur, ea non tam criniti ſyderis quàm idoli alterius catalogo numerãda eſt, vt nec illa quã P. Creſſerus

Digreſſio ad alterã inquiſitionẽ de natura ſyderis noui.

Quæſtio duplex.

Methodus inquirendi.

Quòd non ſit cometa vel exhalatio.

describit anno 1527. *Postremò demõstrat ipsius lucis actiuitas, energia, quam stellis propriam in tanta distantia & magnitudine proportione diduximus. Quòd si quandoque cometæ fulgidiores appareant, vt & nocturnas tenebras visi sint illustrare, his profectò non tam tribuitur illud ex concretione materiæ, quàm ignitæ exhalationis copia, & totius corporis amplitudine: in stellis autem, potius tũ formæ, tum materiæ nobilitate contingit: in sole tum propter has causas, tum quòd & lucis copia cunctos exuperet. Iam & stellarum numero diuinum hoc spectaculum secludendum ratio dictat. quòd neque planetã facere possis, ab motus & luminis antipathiam: neq; fixarum aliquam, quòd orta semel, augmentum luminis, statum ac declinationem ostenderit manifestam; ac tandem ab aspectu cunctorum sese abripiat. Quid ergo relinquitur? Profectò corpus illius totum esse metaphysicon, ac supranaturam, certis tamen cælestium corporum motibus alligatum. Dæmones eò pertingere, atque tam diu illudere mortalium oculis posse, non est credibile. Restat vel angelũ quempiam esse, ac prodromum altissimi: vel Deũ ipsum se nobis hac lucis specie proferentem: cùm nullum sit corporis genus vndecunque cognatius, quàm exactè rotundũ, serenum, lucidum, in statu mobile, in motu stabile, constantis ordinis, figuræ, atque efficaciæ. Quid autem diuinis mentibus magis domesticum quàm duos habere motus rectos, quibus ascendant, atque descendant; cum illis verò & tertium circularem, quo reuoluantur denuò in seipsas. Rei substantiam pressius definire non licet. Mihi videtur satius in ipso formarum genere persistamus, vel Deum scilicet, vel diuorum quempiam apparere amictũ lumine sicut vestimento, adhuc tamẽ multa caligine sub pedibus, vt ait Psalmista: j. inter sensus humanos, & diuinam pulchritudinẽ interfusa. Sit hæc propemodum*

Quòd non sit planeta vel fixarum aliqua.

Quid sit generatim ex aliarum rerũ negatione colligitur.

Mentes diuinas triplici motu simpliciore circũagi.

dum latæ sententiæ loco, à qua prouocare sit perdifficile, si tot & tam perspicua testimonia non inuidiosis auribus hauriantur.

Neque multũ ab huius syderis specie illud abfuisse crediderim, quod olim tribus apparuit magis: de quo diuersi varia prodiderunt, sed Prudentius hîc poëtam (verè poëtã) agit, quanto maiorem solis orbita pingit. Nicephorus etsi in pluribus fabulosus, hîc tamen adiutus Græcorum veterũ monumentis, fidem vel maximè promeretur. Describitur autẽ Historiæ Ecclesiasticæ lib. 1. cap. 13. Nam, vt istic latius refert, Sapientes ij natalium splendore, atque opibus insignes, stellam in sua regione prius conspexerant, non ex illis vnam quæ à primordio rerum cæli firmamento affixæ sunt, neque ex iis generibus meteorum quæ prodigio, & quasi ænigmate regum successiones pronuntiant, cometæ, dolia, trabes, & iacula, quorũ ortus ab exhalationibus sursum latis, & circa ætheream plagã incensis, à physicis memoratur: sed nouam planè, insolitã, ad terram vergentem, ac plurimum relucentem, persimilemq; adeò reliquis syderibus cæli, nec aliis quàm qui syderibus cognoscendis operam dedissent conspicuam, & apparentem. Et illa quidem non breui, sed duos antè annos quàm Christus natus esset exorta effulserat, ne quis duobus post natiuitatẽ annis editam putet. Sed enim magi cùm nouo stellæ huius spectaculo in consyderationem ambiguam torquerentur, diu multumq; inquirendo, in prophetam Balaam inciderunt, qui de ea quod futurũ erat numine afflatus tot sæclis antè cecinerat: fortassis etiam ab iis quos in veneratione habuerant sacerdotibus paulatim per doctrinam ad mysteria eius quæ rationem omnem excellit, Dei verbi natiuitatis deducti essent, maximè verò Deus ad hoc ipsorũ animos excitaret. Proinde & summi regis prouidentia natam stellam,

Cõparatio syderis noui cũ eo quod ortũ salutis antecessit. Prudentius.

Historia stellæ quæ Christũ præcessit, ex Nicephoro.

Consyderatio diuinarũ rerũ quid faciat vide.

perinde atque animatam quampiam, intelligentiæq; participem vim ex Perside Iudæam versus moueri intelligerent, tanquam viæ ducem præcedentem posthabitis omnibus sint ponè secuti. Quum verò ab Hierosolyma venissent in Bethlehem, quæ disparuerat prius, se rursus ostẽdit, iisq; ab Oriente præcedens, tandem supra domunculam constitit, & quasi loco affixa, firmius immota permansit, vbi scilicet & mater ipsa, & regum rex illius filius admirandi præstellis cæteris effulgebant. Hactenus ferè Nicephorus: ex quibus apertè satis conuincitur, nõ multum illius essentiam ab huius specie discrepasse, imò vix aliàs, quàm quòd illa primùm præcesserit, inde constiterit, hæc autem eodem puncto semper immota permanserit. Quòd enim supra domus fastigium fixam ac velut pendentem in aëre dixit, fortassis illud ad captum potius popularem, quàm Mathematicè scriptum fuit. neque enim si prius ita stetisset, videri ex Perside potuisset; neque si descendisset postea, stellæ potius quàm exhalationis alterius speciem loco tam decliui & terris proximo reseruasset. nisi in omnibus ad nudam Dei omnipotentiam referre singula voluerimus: quod ita ridiculum est in diuinis spectaculis, vti in purè naturalibus semper confugere ad occultam proprietatem. Magis consonum rei, quòd cùm essent astronomiæ peritissimi, certis instrumentis primò progressum ex Perside versus Iudæam in cæli partibus obseruarint. simulatq; verò ipsi magi ad domum Bethlehẽ peruenissent: tum primò collatis obseruationibus dierum trium, aut plurium, nullam motus differentiam visam, quare cùm & verticalis maximè, & loco cæli immobilis appareret, admonitos esse hac ratione ne progrederentur vlterius, quippe qui iam profectionis suæ metam pulcherrimam attigissent. Ad hanc sententiã consensione mirabili accedit martyr Ignatius in Epistola ad Ephe-

Non multum differre hoc sydus ab eo quod apparuit magis.

Ephesios verbis ita planissimis scribens, Latuit principẽ huius sæculi virginitas Mariæ, & partus eius similiter, & mors Domini. Tria mysteria clamaui in silentio, Dei enim operæ nobis manifestata sunt. Stella in cælo fulsit super omnes quæ ante ipsam erant: & lux eius inæstimabilis, noua ac peregrina apparuit videntibus eam. cætera verò sydera cũ sole & luna coruscà facta sunt illi stellæ. illa verò superabat omnes splendore suo, & facta est perturbatio vnde hæc nouitas appareret. Hinc hebetata est mũdi istius sapiẽtia, iniquitas & malitia exterminabãtur, &c. Faxit omnipotens genitor nunc antenatalem Domini diem sydere rursus exorto nouo, nouam & meliorem reipub. Christianæ alioqui nunc afflictissimæ faciem liceat contemplari, positisq; cupiditatibus prauis, nos ipsi in Christo, Christus in nobis aspiratione mutua renascatur. ille enim discussis suorũ lachrymis pacem solus & ἀμνησίαν, ex vno benignitatis suæ vberrimo fonte depromet, noctemq; hanc obscurissimã luce lætissima commutabit, simulatq; nimirum temporis orbe perfecto, mundi partem inquinatissimam velut Augiæ stabulum tot inueteratis sordibus expiarit. Sed nondum exhaustus est calix, cuius mentionem Psalmographus facit dicens, Calix in manu Domini vini meri plenus misto: Et inclinauit ex hoc, vtique fæces eius sugent, bibentq; omnes peccatores terræ: psalmo 74. Etenim vinum purissimũ iustorum animas mãnet ab hoc terreno carcere sequestratas, vinum aqua dilutum iustos, dum hîc cribrantur iactãturq; vt turbido mari. Quare nil peccatoribus superest, quàm vt fæcem bibant, eademq; sese inebrient in condemnationem mortis æternæ.

Calix Domini vini meri plenus misto.

Quanquam verò quod reliquum fuit circa præsagia, forsan in animorum suspensione quadam relinquere præstitisset: ne tamen omnino mortalium votis, studiisq; flagran-

Postrema quæ hîc circa præsagium.

tioribus desim, subijciam pauca non quæ definiant certò, sed cogitandi altius de præsenti pariter atque venturo reip. statu materiem subministrent. Erit autem tutissimum, in summis generibus generatim & sub hypothesi modũ præscientiæ posuisse, vt demonstratum est suprà. Maxima pars decepta imagine rei, nullos euentus alios prædixere, quàm qui cometis tribui solent, eò respiciẽtes scilicet, quod à Virgilio proditum est lib. Aeneid. 10.

Fruſtrà huic prodigio illa attribui quæ cometis ſolét.

Liquida si quando nocte cometæ
Sanguinei lugubre rubent, aut Syrius ardor,
Ille sitim, morbosq; ferens mortalibus ægris
Nascitur, & læuo contristat lumine cælum.

Plura de his Manilius, Aratus, Pontanus, &c. sed frustrà secum has rationes putant: cùm prius ab horum cœtu atq; concilio longè nostra hæc stella sit segregata. Frustrà quoq; ex apparitionis tempore primo, ex copula & syzygiis aliorum tum errantium tum fixorum syderum, ventura coniecerint, cùm neque in eorum numero reponatur, neque illius exortus certa sit definitio, ac proinde nec vllas intẽsiones viriũm, status, aut declinationes in temporũ certa segmenta distribui possunt, neque cognosci quòd huius planetæ, aut illius indolem proprius præ se ferat. Quanquam aliquando tum ex coloris specie, tum præcedente deliquio Lunæ, nexuq; mirabili per idem tẽpus ipsius Solis cum Marte & Mercurio, postremò ex ingressu in Arietem anni 1572. vbi continuatis ordinibus inter se coierant ♃, ☉, ☿, ♀, cum ☌ ♂, non procul ab æquinoctio ♈, naturam in illo permistam putauerim ex prædominio Iouis, Martis, Solis, ac Veneris, vt tamen Sol omnium princeps ex lucis similitudine censeatur. Mihi hoc astrum nunc acrius intuenti multò diuinius visum est, quàm vt decreti ratio ad causas inferioris ordinis alligetur. Maius quiddã ex analogia cometæ potuit

Authoris palinodia.

præ-

præsagiri quem nos descripsimus anno 1556. *à quo hic annus* 1572. *decimus septimus numeratur, qui inter criticos primus est, in tertia septimana post exactum diametrum Lunæ, & cũ morbi acuti simpliciter in acutos ex decidentia commutantur. Solent autem à partu in puerperiis fœminæ mutationes efficacissimas sub idem temporis experiri. Locus verò illius syderis criniti cœpit propemodũ ab oppositis cæli partibus, nõ procul ab æquinoctio libræ. vnde incomposito motu sensim peruenit ad locum ferè eundẽ quẽ occupauit stella hæc noua, atque illic vti diximus expirauit. Scripseram nuper tumultuario calamo circa signum Leonis desisse, sed obseruatis quæ tunc non ita occurrerant pluribus ex tabella seposita comparatis, quod illic negligentius editũ fuit, istic duximus castigandum. Sed & hæc omnia parum fortassis pro rei dignitate commonstrant, tentandum est alia via, atque vti præceptum aliàs fuit, differendũ prius de significatione in vniuersum. Mox cui, quando, & quomodo, vt de euentuum specie paulo pressius inquiramus. Melius quidem in naturalibus ac paraphysicis à tota natura proficiscimur: in purè metaphysicis fortè per similitudinẽ rectius aut allegoriam, adiuncta dispositione materiæ receptricis, aliisq; quæ velut causæ præcedẽtes apparent vel effectus eiusdem causæ.*

Analogia cometæ qui apparuit anno 1556 ad syderis nouum.

Inquisitionis ordo circa præsagiũ syderis noui.

Instrumentũ.

Atqui iam illud non vulgare quippiam esse quod portenditur, sed sublime & maximè rarum, ostẽdit primò raritas signi, cui post Christum natum vix aliud hactenus comparandum: deinde & sublimitas loci in quo conspicitur: tertiò diuturnitas, cõstantia, duratio: quartò species, & fulgor insignis mole exigua penetrandi facultate mirabilis. Quare neq; operationis initia statim in limine fuerãt expectanda, quamuis profectò nũc semina prima, siue præludia, per totum orbẽ hũc Christianum sparsa crediderim,

Portenti hoc nulli propemodũ significationis excellentia comparandum.

1.

2.

3.

4.

Operationis tempora.

quæ forsitan post anfractus annorum criticos, vt 4. 7. 9. 11. 14. 17. 21. 27. 40, paulatim in actum proditura, etatum quoque suarum sine progressuum partes, ac vicissitudines consequantur. Sed quibus temporibus augmẽti, status, declinationis, momenta se singula circumscribant, solidè certum opifici primo. Quãquã de summo cardine si quid probabiliter licet, tum ex prodigij dignitate, tum præsenti dispositione materiæ dubitem vehementer, num ille hoc quadragenario primo sit expectandus, num potius secundo, aut tertio, vtpote intra annos 80. aut 120. quod verisimilius esse videtur. Possem in hanc sententiam plura ex diuersis auctoribus, tum sacris, tum prophanis: sed neque inanem operam in temporum scrupula lubens impenderim, neque illa tã superstitiosa indagine multũ potest ad artis vsum, aut gloriam comparari. Qui pressius volet venturos propè diem defectus luminum supra quàm dici possit horrendos, ex astronomorum tabulis animaduertat: præsertim annorum 85. 1605. deinde & ♂ ♄ anno 1583. circa Aprilis finem, ac postremò cõgressus orbium superiorũ ♈ & ♎ de quibus omnibus aliquando latius disseretur. Spernamus itaque nunc illud lubricum vulgi iudicium, cui cuncta nisi responderint statim, mox & prodigium inane & irritum putant, rerumq; diuinarũ obseruatores cõclamatæ demẽtiæ insimulant palam. Quin cùm multò pòst euenerint, etsi responderint adamussim, non tamen hæc horum decretæ fuisse permittẽt. Obstat enim ciusmodi ferè hominibus primum artis ignorantia, rectumq; iudicium; deinde & inuidentia sceleratæque nullam hactenus prouidentiæ partem in hominibus tulit, siue per purè diuina ceu causis physicis intercedentibus offerantur. Quòd si præsentes vrgeas præsentibus argumentis, protinus aut conuicti stupent, aut ex vno absurdo in aliud grauius prolabuntur, ea vociferãtes

Nequaquam oportere mortalium curã aut prouidentiæ studium in temporum scrupula prorogari.

Inepta vulgi æstimatio de prodigiis.

Contra plærosque θεομάχους ac diuinorũ munerum contemptores.

quæ

quæ non ſani eſſe hominis, non ſanus iuret Oreſtes. Velim contra hos tantùm eo verſiculo Græco quẽ in remediis magicis ex vſu fuiſſe veteribus narrat Plinius: φεύγετε κανθάριδες λύκοι ἔχει ὑμᾶς διώκει.

Quemadmodum verò tempus ampliſſimum totius decurſus fore coniecimus, de loco ſimiliter cogitandũ eſt. Fortè ex præſenti noſtræ reipub. ſtatu, quo nullus hodie vſpiam ſit violentior, plures quoque prodigium hoc vniuerſum ſoli huic regioni magna decernere cogitabũt. Sed paruis auſpiciis lenta ſæpe progreſſio, vires ſumit immenſas, & furibundo incẽdio advſque extremos terrarum ambitus euagatur. Locus euentus inquiritur.

An aduerſa magis præſignet, an proſpera, ſtudiosè inquirere longè vaniſſimum eſt: cùm quæ decernant pluribus locis, ac toti forſitan orbi Chriſtiano, non eandem vbique κατάσασιν *cauſæ receptricis inueniant, ac proinde cũ tantùm ſignificent generatim, mutationes maximas fore: harum profectò peculiares differentias, ex ipſa præſenti materie expiſcari reliquum fuit, nõ quidem vt ad infimas rerum ſpecies ceu ſingularibus proximas deſcendamus, ſed gradum in medio quodã genere defigamus. Quamuis enim vbique iuxta Sapientis oraculum incertæ ſint prouidentiæ noſtræ, quòd corruptibile corpus inſtar carceris animũ deprimat altius euolantem, quanquam & illud conſonum apud philoſophos minimè Chriſtianos,* An bona an mala portenda. Humanæ prouidentiæ fines.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſa nocte premit Deus,
Ridetq́, ſi mortalis
Vltra fas trepidet.

Sapientã quẽlibet optumũ vatẽ vel ex ſola diſpoſitione materiæ, adhibita cõparatione præſentium ad præterita.

Certum eſt tamen τὸν σοφὸν μάντιν ἄριστον εἶναι, *ſi ſeſe iſtis prædictionum ſinibus ſiſtat qui nobis iam pridem in vniuerſali artis iſtius methodo ſunt explicati. Tantùm igitur*

hîc ſecundum rationem iudico, eiuſmodi ſignatèr maxima ad ſummas rerum viciſſitudines pertinere. Atqui cũ bona, vel mala ſingula reſpectu quopiam cenſeantur, nec vlla ſit ingens calamitas, quæ non fortunam proſperam vel præcedentem panè ſequatur, vel ſe ſequentem è veſtigio trahat, quid iſtic dici, aut cogitari certius poſſit, quã quòd ſua cuique regno, vel prouinciæ qualiſcumq; fortuna pro præſenti ſtatu metamorphoſim maximam propediem ſit experturа? Videant igitur, atque attollãt oculos qui nunc in luctu ac tenebris, in luto miſeriæ vitam deſertam, inopem ducũt. Viuit enim Dominus, cuius nutu orbis hic excubat vniuerſus, paratus in ſpem meliorẽ cuncta erigere, ſi noſmetipſos vocãti nũmini per aſpirationes occultas & manifeſtas minimè ſubtraxerimus: paratus idẽ nos punire grauius, niſi actorum pœnitentia moti, & ſortem præſentem feramus æquanimiter, & repurgatis animis conſtans robur atque auxilium contra venturos impetus implorемus. Cũ enim, vt inquit Sophocles in Aiace, ὀυκ αὐτὸς ἀεὶ δαιμόνων παρέσατεῖ, cum q; fortuna iam ſæculi noſtri ſit velut in perigæo, atque ima totius circuli parte, ad quam ſic repentè delapſi ſumus; quænam porrò expectanda mutatio eſt, niſi paulatim aſcenſu quodam & trãſitu in ſublime, verſus abſidem ſcilicet vel augem circulo ſuperiorem vnde decidimus? niſi noſtro vitio contra vocãtis luminis ductum tanquam errones retrogradi in poſteriora vertamur. Rectè philoſophi inter extremos ſtatus fortunam cenſent afflictiſſimã meliorem, quòd ſatius ſit aſcendere quã deſcẽdere, quòd ſummè proſperis ſuus ſit morte atrocior metus, ſummè angustis nunquam ſpes ſuæ vel conſolatio deſit omni voluptate ſuauior: neque quicquam magis concuſſos animos conſolatur, vel nimiũm ſublatos temperat, quàm illa de viciſſitudine humanarum rerum, aſſidua cogitatio, iuxta illud Euripi-

Qualis cuique fortunæ mutatio portendatur prognoſis generalis.

Euripidis, πλαίῃ ὁ νικήτης, ὁ δὲ νικήσας ἀπώλωλεν: *id est flet victor, victi occubuerunt.*

Præfagiũ alterũ de tota repub. Christiana.

At hæc pro statu Galliæ, pro Belgicæ regionis tẽpestate incomparabili, fortassis non vsqueadeò absurda, aut inepta protulimus. Nunc quia spectare latius visum est sydus hoc nouum, ad omnem scilicet rempublicã Christianam, diuinarum pariter ac humanarum legum vinculis comprehensam; videtur sanè & eius diuinitas siue portenti species altera quædam, sed multò augustior, explicanda, saluo interim meliore iudicio, salua authoritate Ecclesiæ, quam cunctis humanis discursibus, toto hoc rationum labyrintho duximus præferendam. Aduertas itaq; primùm tot antè notatas colorum differentias, quæ partim in vna lucis specie visæ sunt temperari, partim successione consequi, iuxta distantiam siue recessus, accessusq; varietatem. Cœpit autem ex ruffo paulatim in fuluum & aureum permutari, donec ad summã magnitudinem peruenisset, hinc rursus ex flauo argenteus, ac postremò ceu penitus elanguescens pallidior terris illuxit. Ni nefas esse putarem effectus planè metaphysicos, vel naturalibus causis vel mathematicis alligare, non alienum ab ratione duxissem ex tota primùm mistura diuersorum luminum inter se, portendi statũ quoque fortunæ ac reip. Christianæ permistum primò & perturbatũ oppidò, duobus extremorum generibus, seu contrariarum partium studiis diu multumq; inter se luctãtibus, donec tandem ad æquabilitatẽ mutuam rediganturVnde si apparentis luminis vicissitudinem spectes, ex tam cruento venturum aliquando sit aureum sæculum: vbi scilicet hæc summa perturbatio in suo vigore constiterit. Sed vt cũcta celerrimè prona sunt in deterius, fortunamq; meliorem in lubrico tenẽt, illa quoque ætatum vicissitudo volubilis expectanda est: quæ cùm ab orbe condito sæpius circumacta

Exluminum colorumque vicissitudine.

Hæc latius author non tã præsagiẽdi studio quã vt superioris libri methodũ generalẽ hoc velut exemplo viuidiore cõfirmet.

cumacta est, tum verò circa supremum cardinem mundi, iuxta opinionem vero simillimam imprimis & subita & grandi agitatione voluetur. dum fide & chaxitate inter mortales extincta penitus, extremóque circulo reuoluto, mundo fatalem summam imponat Deus: quo tẽpore certũ est ea ventura insuper quæ Christus inter prodigia sui vaticinij loco posteriore commemorat.

Ex figura & notulis hieroglyphicis.

Verùm ex vna specie lucis colorumq; mutatione, obscura præsagiorũ ratio est, ac difficilis coniectura. Maius quiddam in figura aut similitudine diximus collocandũ, si quis stellam præsentem cõparet tum ad vicinas illustriores iuxta descriptionem superius datam, tum verò ad cardines mundi, ad puncta præcipua cæli ♈ & ♎, colurum circulũ & Galaxiam. Toto enim suæ durationis tempore situ eundem atque imaginẽ ex analogia perpetua nobis expressit.


1. *Quòd si enim gladij alicuius effigiem voles, stella nouæ in capulo versus Boream & polos mundi, acies ipsa ceu caput Cassiopæ versus austrum posita circumagetur, transuersum temonem duæ lucidiores nouo syderi propiores efformant.*

2. *Fortassis & arcus cũ extenta sagitta poterit designari, iuxta vaticinium Dauidis, Dedisti metuẽtibus te significationem, vt fugiant à facie arcus tui. Hunc locum interpretatur Augustinus in Psalmum 59.*

3. *Sin, quod potius reor, crucis ideam pictam diuinitus cõtemplere: antea quidem vnius T. literæ Græcæ, ac Romanæ similitudo in stellis Cassiopæ poterat annotari, nunc autem accessit & illius apex ceu Christi affixi verticẽ, seu potius titulũ triumphalẽ superimpositũ capiti repræsentet. Habes & alias stellas in singulis clauis, hoc est in iis partibus corporis crucifixi quæ graniora vulnera pro nostris sceleribus exceperunt.*

Iam


SYDVS NOVVM. Limbus ſuperior.



Aliæ figuræ Hieroglyphicæ ſyderis noui.

Iam

Caput Cassiopæ. Limbus inferior.



Aliud considerationis dignissimum.

Iam caput assiduè versus boream, manus ad ortũ atq; occasum sunt exporrectæ, crura pedesq; in austrũ, ac medium orbis totius cingulum extenduntur. Interim tota figura crucis exactè intra Galaxiæ, vel viæ lacteæ, limbum vtrumq;, australiorem scilicet & borealem, ceu propriæ quadem area, ac sicuti insignibus circũscripta est. Circulus autem qui per polos, & stellam incedit, vtrumq; complectitur æquinoctium, sed propius vernum. Quis verò nescit hoc puncto veteres mundi totius auspicium, ac prima cunabula designasse, ceu patet ex verbis poëtæ Georg. 2.

OV orbis totius præcipuũ punctũ.

Non alios prima crescentis origine mundi
Illuxisse dies, aliumue habuisse tenorem
Crediderim, ver illud erat, &c.

Vnde

Vnde & annorum circuitũ his primùm carceribus astronomi deduxerunt. Quòd mutationes maximè fiant, Sole ingrediente principium Arietis, vel æquinoctium vernum, sub 11. *Martij. quodq; eodem tempore, quæ penè marcuerant omnia repubescant; qui prius latebant imis clausi visceribus humores, ac spiritus vniuersi, nunc agitentur amplius, ac velut à centro ad exteriorem circumferentiã corporis effundantur, vnaq; cum ipsis partes singulæ mundi maioris atq; minoris vultus assumãt nouos, & ceu senecta posita in iuuentutem floridam rursus exurgant: cõtrà quã Sole Libram ingrediente, rerum natura procedit, quo signo primùm apparuit terribilis ille cometes anni* 1556. *cũ stella hac obtinens ingẽtem ἀντιπαθείαν. Ista quoque doctrinæ Hippocraticæ imprimis sunt cõsentanea, qui cauet maximè, ne qua validior humani corporis vel additio, vel subtractio, vel alia cuiuscumque generis concussio fiat, donec diebus elapsis aliquot, ante & post æquinoctium, ambientis cæli inæqualis fluctuatio conquierit. Vtinam verò & reipublicæ curatores eius præcepti dignitatem paulò attentius suo cum animo voluant. Verissimè quidem summis morbis extrema deberi remedia dixit Hipp. sed non vt vulgo putant. Græcè etenim non ἐσχάτας simpliciter curationes voluit adhiberi, ἀλλὰ τὰς ἐσχάτας θεραπείας ἐς ἀκριβείην: id est curandi formulam maximè exquisitã, in qua nimirum sit accuratissima ratio totius ἐνδείξεως: cui oporteat, quãdo, quantum, quale, &c. vti seipsum explicans latius alibi demonstrauit. Quare si in vigore maximè quiescendum, si commotæ nimium mouere amplius summè periculosum, quis dubitat in tanto rerum cardine moderationis extremæ & sapientiæ vsum esse pulcherrimum? hanc autem in extremorum omnium contemperatione paulatim facta, inq; virtutũ concentu quopiam, aut æquabilitate spectari.*

Annorũ initium.

Aequinoctij vires.

Veris.

Autumni.

Curandæ reipub. vius character in vnius humani corporis medicina delitescẽs.

Atqui

Circulus per Libram atque Arietem iustitiæ & relligionis statũ iuxta antiquorũ placita & mysticam similitudinem comprehendit.

Atqui cùm circulus ille per initia ♈ & ♎ ac polũ vtrumq; progressus dextram cæli partem à sinistra dirimat, non minus quàm æquator superius hemisphærium ab inferiori, ac leges tum humanæ tum diuinæ rectum ab obliquo, errorũq; tenebras à veritatis atque iustitiæ luce distinguunt: credibile & illud apparet, nouum hoc phænomenon totum spectare ad axim & cardines mundi, cũ quibus seruauit immotam hactenus, atque exactissimam symmetriam.

Signum filij hominis.

Confer nunc adeò quæ Christus de suo aduentu prodidit, Matthæi 24. præsertim cùm ait videbitis signum filij hominis in cælo. Non quòd velim exactè illud ipsum nunc esse, sed illius signi certioris ante aduentum Domini arcanam quandam imaginem, eius loci atque ordinis forsan

Ordo signorũ ante nouissimum diem.

quem in imperatoriis pompis caduceatores atque lychnuchi ante Tribunos & Satrapas semper obseruant. Nam si vero simile est Christum venturi finis præsagia, prout se inuicem consequentur, interrupta serie protulisse, multa profectò, eademq; horrenda maximè signum illud nouissimum

Distinguũtur planius signa critica ab endeicticis.

antecedent, vt ex contextu omnium liquet. Quòd si etiã in morbis acutis dies quosdam iudicatorios seu verè criticos appellarit Hipp. quibus nimirum mutationes subitæ fiant ad peius aut melius, salutem aut interitũ ægrotantis: alios verò istorum indices, certo numerorum ordine præcedẽtes, qui solùm ostendant quales futuri sint critici dies, sæpe & criseos imperfectæ quædã rudimenta producant. (sic enim quartus dies index est septimi, vndecimus decimiquarti)

Quo genere signorũ hoc phænomenõ recens contineatur.

quid vetat porrò consimilem esse tum tẽporum, tum signorum seriẽ ante τὴν κόσμου μεγάλην πανολεθρίαν, vt nimirum illud signum filij hominis, de quo Christus loquitur, expressum, euidens, absque Hieroglyphicis inuolucris, palã se omnibus manifestet: ac statim antequam eius diei tremendo iudicio attoniti reges, & populi colla submittant: istuc verò

verò sit alterum tempore prius, atque obscurius paulò imminentis propediem iudicij typum, fortè & venturi iudicis locum arcano mysterio repræsentans: quare etiam illius nõ tam criticum signum, quàm futuræ criseos endeicticũ, demonstratiuum, aut contemplabile poterit appellari. Iam & illud natura primitus comparatum est, omnes & causas atque effectus proximioris loci, præcedentis, procatarctici, in quẽdam circulum necti. Quare & signorum eadem ratio est, quippe quæ semper ab ipso causarum atque effectuũ genere protrahuntur. Id in cælesti vertigine imprimis liquet: dum alter congressus alteri vires conferit, subiectãq; materiem varia successione simul disponit, simul & plurimarum rerum vicissitudines in sublunari hac regione præsignat. Vt etiam in causis, signisq; mutationis tam publicæ, quàm priuatæ: nec non quibusq; humanorum corporum affectionibus manifestum est. Quòd autem de signo venturi iudicis amplius suspicarer, multum me nuper excerpta discursus totius capita commouerè, vt vel initẽdens acrius ab imis visceribus exhorrescam. Nam si præcipuas notas in summã colligas: Primum indicium est crucis idea perfecta, quam τὸ σημεῖον τε῀ υἱε῀ τε῀ ἀνθρώπε iure optimo sacri interpretes nominarunt. Alterum, quòd de illius ortu & fine, imò de tota essentia nihil exactè potuit deprehendi, sed potius quid nõ sit demõstrari, quàm quòd verè extiterit, quod summè diuinis proprium est. Tertiũ est, quòd cardines mundi contineat, capite & plantis Austrum ac Boream versus, manibus verò ad Eurum & Zephyrum exporrectis, ac tribunali cuipiã vel arcui illustriori totius æthe ris insidere videatur. Adde his triplicem motum cum verbi diuini maiestate optimè congruentem, quo & in terris descendit miserta generis nostri, ascendit rursus trophæum ex hoste deuicto referens, atque ante hæc omnia pleno circuitu

Methodus generalis in examinandis & parandisque mutuò rebus: sub nomine signi atque signatæ rei, tũ causæ atque effectus.

Præsagij superioris multiplex ratio.

1.

2.

3.

4.

5. *mundi ſpeciem condidit vniuerſam. Poſtremò ſeu crucem*
intelligas, caput eſt Chriſtus: ſeu gladium verbi diuini, cu-
6. *ius in Apoc. aliisq; pluribus locis facta eſt mentio, idem en-*
ſis capulum noua luce irradiat: ſeu denique ex nominum
7. *& figurarum impoſitione antiqua (quam cuncti Platonici*
certis impulſibus ſanctam, & rebus conſentaneam volue-
runt) ſedem Caſſiopæ cum Eccleſia compares, (ipſa etenim
tot prolium mater florenti palma in ſolio reſidens, captiuã
Andromedam filiam, monſtroq; marino expoſitam, & ad-
uentantẽ liberatorẽ Perſea iam dudũ lachrimabundis ocu-
lis intuetur) Chriſtus in baſi ſedis, imò in præcipuo totius
angulo collocatur, iuxta prophetæ verbũ: Lapis quẽ repro-
Epiphonema. *bauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. Feli-*
ces nimiũm, quicquid aduerſo turbine ſeſe in eundem la-
pidem inclinarint: contrà heu dira pernicies illis, in quos
ſaxum ex alto ceu ruina præcipiti deuolutum, non ſo-
lùm carnes & ſpiritus, ſed & neruos, venas, atque oſſa
collidet.

Qualis demũ eſſe debeat noſtri præſagij modus.

An Deus hoc ſymbolo crucem ſit grauiorem impoſitu-
rus humeris noſtris, an nuper impoſitam propediem abla-
turus, nemo eſt qui promptè diſcernat. vult enim admoni-
tam, ſed tamen ambiguam eſſe mortalium mentem: ac ſoli
nos ipſos circa particularia æternæ prouidentiæ cuncta cõ-
cedere, quam minimè dubium eſt, velut exercitatiſſimum
patremfamiliâs, ſua conſilia inſtituturam (vt hactenus) ad
ſalutem, ac bonum generis vniuerſi. Videtur tamen ita no-
biſcum loqui, Ecce ego trophæum vobis erexi ante ora pul-
cherrimum, durate, & voſmet rebus ſeruate ſecundis. cer-
tate ſtrennuè in nomine meo: qui perſeuerauerit vſque in
finem, hic ſaluus erit, huic ſplẽdor ille eximius æternæ lucis
pro diademate conſignatur.

Motus hoc ſigno dux illuſtriſs. cùm Neomagi propter
obſidio-

Præsagij formula singularis.

obsidionem Harlemensem versaretur, magno studio doctorum hominum audire sententias expetebat. Fortè tũ nostri facta est mentio, atque hinc rogatus admodum vt quæ viderentur paucis exponerem: primùm subtraxi me huic negotio scabroso & perdifficili, scribens neque id esse professionis meæ, quam adolescens olim duntaxat exercuissem animi causa, nec huius artis rationem circa particularia firmam aut solidam apparere: nec tutum denique principes viros in spem metúmue conijcere, qui (tanquam potentissimi orbis totius monarchæ) sæpe ab instituto recto transuorsum animum ferant. Vèrùm vbi secũdo rogasset, plærisq; respondens vt negare vel durum, vel inciuile penitus putaretur, respondi breuiter, summum totius & Christianæ reipub. & relligionis cardinem impendere, idq; nõ tam certum esse prodigiis manifestis, aut stellarum indiciis, quibus nil ferè lubricius datũ est; sed viuo potius oraculo Christi, qui & Ecclesiam suam prædixit afflictione grauissimæ supremis temporibus agitandam, quæ tamen tandem protritis hostibus vndecunque sit lætam victoriam relatura. Quod autem particulatius ad regionis Belgicæ statum, nihil me certum, neque exploratum argumentis solidis inuenisse. Fortassis Deum verberando fessum, nostri, qui vapulando defecimus, nunc demum exauditis precibus, misereri: vt semel à summa iustitiæ seueritate, sinum clementiæ nobis aperiat: cùm hæ virtutes, ceu sorores geminæ, se nunquam seiungi diu amplexu mutuo patiãtur. Postremò vetus esse oraculum, ne à cælestibus signis nimium consternamur, sed generali quadam prænotione contenti, diuinæ prouidentiæ cætera committamus: quòd nunquã hæc vna destituat illos qui pro Deo, & cum ipso Deo arma suscipiũt, iuxta illud diuinum Sophoclis dictum in Aiace, βιᾶλῶ κρατεῖν μὲν, σὺν θεῷ δ' ἀεὶ κρατεῖν, id est, cum re vincas, au-

Ispice at semper Deo. quod non dissentit admodum à voce Dauidica, Castrametatur angelus Dei in circuitu timentium eum. Nos ad figuram syderis propius alludentes, ita cecinimus:

Dux homini noua lux cæli ad fastigia, crux est,
Vincet qui sub luce, Deo duce, pro cruce pugnat.

Poteram multa deinceps tum ex prophanis, tum sacris authoribus, vt Danielis, Esdræ, ac diui Ioh. Apparitione in meam sententiam detorquere, nisi nimis theologum vel vatem quempiam viderer supra fas agere voluisse. sed hæc sufficerint, infinitam alioqui de consimilibus cogitãdi materiem præbitura. Vnum atque alterum lubens adiecerim, quod è vetustis vaticiniis promptũ huic miraculo accuratissimè correspõdet: Primum est illud psalmi 97. Dominus regnauit, exultet terra, lætentur insulæ multæ, nubes & caligo in circuitu eius, iustitia & iudicium habitaculum throni eius. Ignis antè ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius, &c. quæ deinceps continuato ordine comitantur.

Oraculũ Psalmographi.

Nunc aliud quoque in mentem venit, Vti priorem aduentum Domini stella præcessit, nulli meteorum alteri cõparanda, similem profectò quampiam ante secundum apparituram probabile fuit. Atq; vt illam certo præsagio dudum prædixerat Balaam, homo & improbus atque à religione fidelium peregrinus; (orietur inquit stella ex Iacob) ita & hanc videmus à gẽtilitia vate depictã suis characteristicis notis, vt planè eandem esse cum ea quã modò conspeximus, nemo lubenter inficias eat. Cùm enim in aures omnium fama tam noui syderis peruenisset, istuc antiquũ oraculum Sibyllinum diu neglectũ in lucem è tenebris rursus emersit: quod sanè tum propter orationis heroicã grauitatem, tum rerum cõsonantiam admirabilem, prætermittendum

Oraculum Sibyllinum.

vendum minimè ſum arbitratus. Quamuis enim propter afflatus dæmonum, apud plærosq; ſuſpecta fuerint ſemper vaticinia Sibyllarum; vera tamē pronuntiaſſe dē rebus diuinis vel impellente ſpiritu Dei, tum ex oraculis editis, tum ſacrorum interpretum atteſtatione certiſſimum eſt. Plura de his in D. Aug. & Lactantio leges. Titulus ſeu prima inſcriptio hæc fuit.

Sibyllarū oracula cuiuſmodi.

Prophetia T. Sybillæ ol. lvij.
an munne.

Videtur Sibylla Tyburtina in fronte ſignari, quæ vixerit olymp. lvij. de reliquis notis quid ſtatuam, planè ignoro. Eſt autem prædictio talis.

Orietour ſydous in Europa ſoupra Yberos ad magnam Septentrionis domū, coius radij orbem terrarum ex improuiſo illouſtrabūt. Hoc verò erit tēpore deſyderatiſſimo, quo mortaleis poſiteis armeis pacem onanimeis cōplectantor. Certabitor quidem varieis per dioutourni interregni occaſionem ſtudieis, coi imperij habenæ tradantor. Sed vincet tandem auiti ſanguinis propago, quæ eouſque armorum vi progredietur, donec fata cōtraria fatis obſtiterint. Nam eodem ferè tempore hoc demerſo ſydere, coeuū quoddam eious loumen longè ardentioribous Mauortis ignibus exardeſcens, Antipodum finibus occludet imperium. At prius houic ſoumittet ceruices Gallia. Ad eious genoua ſoupplex adnatabit claſſibus Britannia: Italia ægrè ad ardua ſceptra reſpirans olli languentem protender dexteram. Verùm hocce ionbar ante diem ingenti mortaliū deſyderio ſe diuûm noubibus condet. Quo extincto poſt deiras & ſanguinolentas cometas, igniuomáſque cæli faceis, nihil amplius

toutum ſaloutaréue erit. Oſque animantibus cæli firmamentum pugnantibuſque planeteis, & cõtrariis corſibus labefactabitor: concurrent orbibous orbeis, fixæ courſu anteuertent erraticas, æquabũt æquora montes: Hæc omnia denique erũt nox, interitus, rouina, dampnatio, ac æternaï tenebraï.

Ad calcem hæc adiecta inuenimus.

G. S. G.

Inuentio Sibyllini oraculi.

Inuentum eſt hoc ſcriptum in marmore vetuſtiſſimo, Latinis characteribus antiquo more exaratis & ſculptis. Quod marmor inuentum eſt apud Heluetios in Tauri mõtis viſceribus, qui 3. cal. Martij aquarum vi, & niuiũ decurſu corruens miſerabilem in proximis edidit ſtragem, anno M. C C C C C. X X. *ac nuper* R. *Dominus Cardinalis Sedumenſis Aug. principi Carolo Hiſpaniarum regi Catholico, electo Imperatori ſemper Auguſto, traductum hoc ex marmore tranſmiſit. Deinde idem Auguſtus Dominus ad Pontificem Max. illud idem traductum miſit. Pontifex Max. conuocauit vrbis Romæ aſtrologos ac philoſophos, qui in imperatorem Carolum vaticinium illud eſſe aſſeruerũt. Exemplar iſtius antiquum ac penitus obſoletum venit in manus noſtras beneficio matronæ viduæ ac lautæ parte prognatæ, quæ quondam nupta iuriſconſulto, & apprimè verſata in literis Latinis ac philoſophicis, idẽ ex viri monumẽtis in lucem extulit, & cum præſenti ſydere primùm non vana prorſus aut inani ſimilitudine comparauit. Impreſſum legimus Antwerpiæ in mœnibus fœneratoriis, ſub inſigni Aquilæ, arte 4. Euang. Typographo Ioh. Dousborch, cũ gratia & priuilegio: ſed huic ſubiunxerat tranſlatum non ita feliciter in Teutonicam linguam. Nec multò pòſt huic exemplar aliud exactiſſimè correſpondens ab Italia miſſum fuit. Partem quoque oraculi citatam reperi in laudem*

Impe-

Imperatoris Caroli à quondam Franciſco monacho ordinis Frãciſcani, libello De ſitu orbis. is enim aſſentãdi ſtudio dictum illud applicuit, (Antipodum finibus occludet imperium, at prius ſubmittet ceruices Gallia, &c. *quæ deinceps ad vſque ortum alterius ſyderis conſequuntur*) *Sed cùm prius tanta expectatione ceſſiſſet humanis Carolus, reiectum hoc vaticinium, ac blattis, tinéiſque conſumptum ab antiqua memoria propemodum exoleuit. Ita nullum in rebus myſterium vulgus æſtimat, niſi ſenſus anticipet fidem, & illa quæ portenduntur plana in ſpeciẽ, atque eueſtigio cõſequantur: vt in prædictione Noach ante diluuium, & prophetarum omnium ante ſalutis exortum certis exemplis perſpicuum fuit.*

Inepta vulgi iudicia in interpretandis oraculis.

Nec eſt quòd quiſquam in eruendis ſingularum vocum indiciis anxiè ſe fatiget. Scio enim ambigua multa & perobſcura, quibus fortè nec OEdipus ipſe ſufficiat; eſt tamẽ ſi non exacta ſcientiæ ratio, artificioſa quæpiam coniectura.

Amphibologia varia in oraculo Sibyllino.

Valde hoc ænigmaticum, quod ſupra Iberos dixerit, & tamen ad magnam Septentrionis domum, quis ſcit an locum vtraque præpoſitio, an potius analogiam latenter inſinuet. I.

Hîc velim Scotorum hiſtoriam conſulas à prima gentis origine doctiſſimè ſcriptam authore Hectore Boethio: excuſam typis Aſcenſianis per Iudocum Badium: vbi cõmemorat duos Gathelo fuiſſe filios, ex Scota cõiuge ſuſceptos, Hyberum atque Himerum. Hyberos tunc Hiſpaniæ gentẽ cum Scotis vnam propè terrarum partẽ, ſed diſparatis animis, alternatiq; diſſidiis occupaſſe, inde tranſlatos aliquot Scotos è Brigantia in Albionis partẽ, atque ad ſinum Dandalicum peruenisſe, præfecto claſſis Hybero, qui poſtea in Hiſpania defuncto patre reuertitur, rerúmque potitus imperium Scoticum prolatauit, atque ex ambobus relictis po-

pulis vnum fecit. Interea per Hyberum Aboriginum genti præfectus Himerus frater, ciuitates ac iura condidit, acceptique beneficij memor à fratre Hybernos voluit appellari.

2. *Quin illud tempus desyderatissimum quo mortales, &c. sic fortè intelligi debet: tempus quo desyderetur maximè, vt mortales positis armis pacẽ vnanimes amplectantur. Nam alioqui frustrà subiecerit: certabitur quidẽ variis studiis, &c.*

3. *Sed nunquid & anceps vocabulum interregni? aut quis definiet cur potius de habenis ac gubernatione imperij, quã de imperio simpliciter dixit?*

4. *Latet etiam æquiuocatio in auiti sanguinis inuolucro, prout vel ad imperiũ ipsum, vel ad gubernationis officium diuersa relatio fiat.*

5. *Videtur mox alterũ sydus vaticinari, quod hoc demerso sit oriturum, sed interstitij tempus non aperuit, vti nec in cæteris. Victoris potentiam verba quæ sunt deinceps indomitam, ineffabilẽ fore portẽdunt.*

6. *Sed & Antipodum nomen hîc mihi suspectum non tam eos forsitã sonat qui nobis obuersis pedibus ambulant, quàm aut relligionis speciẽ, aut vitæ diuersissimam consuetudinem, antipathiam generis atque animorum hactenus tenuerũt. Nescio an rectius Turcas, Iudæos, Africanos, an aliam nationẽ barbariorem his omnibus repræsentet.*

7. *Quæ deinceps filo continuo profert, vaticinio Christi non multum distare crediderim, nisi & hæc virtutum cælestium summa dissidia, concursus orbium, naturarum inuersas vicissitudines in elementis, vndiq; in allegoriæ speciẽ aut metaphoræ trahi malis: quod tamen Christum non voluisse vero similius puto, qui res futuras incertas maximè, per certa & sensibus manifesta præsagia voluit præfinire, quod*

quod ea ſimilitudo confirmat à ficus arbore deriuata

Eant nunc, eant plerique peruerſi contra quàm veri fons ille clariſſimus vocat, aduerſum ſtudia atque obſeruationes eiuſmodi pergant nunc palam furere, debacchari, clament eſſe indignas homine Chriſtiano, ſuperſtitioſas, illicitas: imò hæc diuina ſpectacula pro ſomniis atq; commẽtis anilibus ducant, confictis ad arbitrium hominis, quæ nihil vtilitatis, aut parum, vanitatis plurimum in ſe contineant: quæ fundamentum auguriorum, aruſpicinæ, idolatriæ ſapiant, animosq; ad ſpem vel metum inanem à recta religione abducant. Si tanta eſt horum vanitas, ac pernicies, cur eadem Chriſtus æternæ patris ſapiẽtia voluit obſeruari? cur genus mortale edocuit? cur terris oſtendit? Certum eſt iſtic feciſſe, quod optimi quique tum duces, tum imperatores ſolent, quorum prouidentia circa res bellicas, expeditiones, excubias, ſtratagemata, obſidiones atque cõflictus imprimis teſſera militari, certisq; nunc emiſſarijs equitum, nunc indiciis vexilli, tubæ, aut tympanorum, vel diſperſos colligunt, vel pugnaturos admonent, vel in acie firmant ac dirigunt, vel tempeſtiuè receptui canunt. Verùm hiſce calumniatoribus tum in præfatione apologetica, tũ locis pluribus, vbi iuſta exciuit occaſio, ſatisſuperq; me reſpondiſſe confido. Nam quibus iudicij vis ſana & perſpicax, tanta periphraſi atque argumentorũ mole opus non fuit: at quibus fuliginoſa ratio eſt, aut prauis affectubus compedita, his nullus tam canorus Orpheus, neque tam facundus Gorgias dari poſſit, quin ad ſemel conceptæ ſententiæ modum ac defenſionem cuncta detorqueant. Nec vllum aliud fundamentum rectè cõſtituas atrocis huius diuortij inter Eccleſiæ membra, tantarumq; hæreſeon quæ populantur orbẽ nunc vniuerſum, quàm præſumptionem temerariam, quæ ne ſuis quidem ſenſibus vbi opus eſt maximè fidem habet, niſi

Modeſtã præſagiẽdi rationem ex diuinis ſpectaculis Chriſti doctrinæ cõſentaneam eſſe.

Finis prodigiorum per ſimilitudinem explicatur.

In ſophiſtas contumaces.

Diſſenſionis in Eccleſia Chriſti ſeminariũ primũ.

nisi ex ratione præiudicata sententia comprobarit. Nullum contrà purioris vaticinij fulcrum, quàm si altissimis rerum inuestigandarum machinis aut ædificiis, basis profunda in ipsa submissione pectoris, in vno Ecclesiæ antiquioris obsequio collocetur. etsi hoc durũ maximè duriora ingenia reformident. Nam putent istis antiqua plurimum, malunt q3 ex æstimatione commenti sui nouum doctrinæ nomen imponere, vt olim Stoici, Academici, atque Epicuri de grege porci. Sed cùm semel occepimus, liceat rigidas mordaci radere vero auriculas. Illud nunc amplius addo, dũ circa quæstiones grauissimas eiusmodi cerebella quicquã videri præ cæteris student, demonstrant sese pro stupidis palã, qui scilicet putent nihil Deo possibile, nisi quod ratio capit crassis impuris sensibus alligata. Nullam esse intellectus agentis aliam facultatem, quàm quæ à corpore sit oriunda, & in discursus corporeos reuoluta, eiusdẽ angustiis terminetur.

Cõtra eos qui mundi curriculũ vniuersum humanis discursibus alligarunt.

Quare hi sibimetipsis diuinitatẽ auferunt animorum, quæ supra materiæ vires infinita extensione in Deũ ipsum æternorum compos fieri debet: nõ extenditur autem nisi à sensus caligine repurgetur, positoq3 superbiæ velo captiuam subijciant intellectui rationem, imq3 vnitatem fideliũ antiquissimam referantur. Videas tamen contrà in rebus incorporeis cuncta concipere ex ratione, & quodam corporeo modo: rursus verò in diuinis spectaculis atque præsagiis ne quidem oculos dignãtur attollere. Imò & insanire præ sese cæteros putant. Nimirum vt Persius ait:

Ostipo capite figentes lumine terram,
Murmura dum secum & rabiosa silentia rodunt,
Atque exporrecto trutinantur cuncta labello,
Aegroti veteris meditantes somnia: gigni
De nihilo nihil, in nihilum nil posse reuerti.
Hoc est cur pallent, cur quis non prandeat hoc est.

Porrò

Porrò hæc tam iucunda contemplatio phosphori noui in nocte plusquàm Cymmeria, diuinæ lucis, prouidentiæ maiestatis character expressus & euidens, tantæ raritatis & pulchritudinis, vt in omni deinceps venturo sæculo præ signis aliis stuporem admirabilem, imò & credendi summam difficultatem sit allatura, sic hodie peragrat animum meum, sic mentem sensusq; pertractat, vt quo penitius cuncta comparem atque examinem, minus iam minusq; auelli queam, quin propè in singularia ferrer, nisi me dictum sapientis ceu freno immisso validius retineret, Sap. 9. ægrè scilicet æstimari quæ sunt in terris, & quæ in prospectu sunt inueniri cum labore. Quæ autem in cælo sunt, quis inuestigabit? aut sensum tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam Deus, & spiritum tuum miseris ex altissimis? Est enim hæc speciosior Sole, (vt refert cap. 7.) & super omnem dispositionem stellarum comparata luci, hæc tamen prior inuenitur: nimirum vti exemplar sua imagine. Monet quoque nos Vrielis angeli vox apud Esdram, lib. 4. cap. 4. Tu quæ tua sunt tecum coalescentia non potes cognoscere, & quo pacto vas tuum capere poterit viam altissimi, ac iam externis corrupto sæculo intellige-re corruptionem euidentem in facie mea? ac paulo post: Quemadmodum syluæ data est terra, & mare fluctibus suis: sic qui supra terram inhabitant, quæ sunt supra terram intelligere solummodo possunt; & qui supra cælos, ea quoq; quæ supra cælorum altitudinẽ sunt constituta: quod etiam festiuo prius apologo, nimirum inter syluas & maria exorto certamine demonstrauit. Quapropter finem modúmque præsagij certum à mente communi sola, ab vna sacrosancta Ecclesia deinceps cum silentio & timore spectabimus, illa etiam quæ toto hoc opere dicta sunt generatim illius censuræ atque arbitrio commissuri: nihil ra-

Quã modeste sit nobis semper de diuinis spectaculis sentiendum.

tum in

tum in omnibus, nihil ex auro ſolido quod non ad vnum hunc lapidem Lydium, vel Heracleum antè ſit exploratum.

De plærisque memorabilibus quæ terræ Belgicæ, ac finitimis locis poſt apparitionem noui ſyderis, contigere: vnà cum præſagio temporum futurorum, iuxta ideam maxumè generalem.

CAPVT IIII.

Tragica præſentis ſæculi delineatio.

IAm mare, tellus, & æther infanda mortalium ſtrage, totieſq́ in caſſum effuſo ſanguine rubeſcebãt: iam cœtus hominum atq́ diuorum ſuſpenſi ſecum mutationis tẽpora numerabant: ipſa quin animalia bruta dudũ miſertæ generis noſtri, neſcio quæ præter ſolitũm triſtioris aſpectus, & vocis indicia dabant.

Sæuit enim in lucem Stygijs emiſſa tenebris
Pallida Tyſiphone: morbos agit antè metumq́,
Inq́ dies auidum ſurgens caput altius effert.
Balatu pecorum, & crebris mugitibus amnes,
Ardentesq́ ſonant ripæ, collesq́ ſupini.

Cùm mox ab huius exortu lucis inſolitæ, & ſyderis admirandi rebus afflictis vndiq́ præſentiſſimum numẽ, ac velut expreſſum humanis oculis videretur: Feruebat aſſiduis bellis, ac tumultubus inteſtinis Francia, rex ciuitatẽ Roſſellã obſidet terra mariq́, per autumnũ, atq́ hyemem vniuerſam: rigantur agri virorum nobiliũ cæde promiſcua. Aegrè diſcerpta viſcera redire in integrũ poſſe ſperabãt. Dũ enim in tanta diſſentientiũ infinitudine, eodẽ tamẽ prætextu religionis atq́ iuſtitiæ, ſuã quiſq́ partẽ pertinaciſſimè tenet, nec alter alteri in vnã remp. ſociato, vllis exiſtimat ſe iuriſiurãdi vinculis alligari; profectò illud efficitur, vt hæ tragœdiarũ iliades tandẽ excreſcant in molis cõfuſæ ſpeciem ſempiternam, abſq́ curationis aliqua in poſterũ ſpe: quan-

Iuriſiurandi fides atque religionis integritas, duo vincula pacis.

quam

quã quæ vires humanas atq; cõsilia superãt, facillima sine omnipotẽti Deo, qui mundũ hũc longè pulcherrimũ ex rudi materie, imò hanc prius ex nihilo cõformauit. Mense Nouẽbri 1572. capta Zuytphania per Albanum ducẽ, nec nõ Nardensi oppidulo, aliisq; vicinis locis in potestatẽ regiam restitutis, sæuus armorũ feruor incanduit, iã tota Hollandia in desperationem regalis clementiæ propè cõiecta. Inter enim tot ciuitates fretũ suis virtutibus Amsterdamum, aduersus cõterminas vrbes iactã semel fortunæ aleã per mille clades atq; pericula torsit: vti in Wallachiæ tractu nunquã satis laudatũ cõstantiæ nomine Middelburgum. Cœpta est obsidio Harlemẽsis circa finẽ Nou. conflictus acerrimi statim in limine, qui quales extiterint, singulatim atque ex professo melius ab huius ætatis & loci historiographis poterit exarari. Multis in ore iã versabatur, apparitionẽ syderis noui eò spectare, vt finẽ huius certaminis occulto mysterio designaret. Nos istæc inepta vulgi iudicia nõ tã opposita ratione, quã risu excipienda putauimus: quòd (vti dictum est suprà) portentũ tã magnificũ, neq; ad vnã hãc regionẽ neq; ad præsentis duntaxat sæculi statũ, neq; ad vulgarẽ speciẽ, aut simplicẽ, aut repentinã vllius mutationis attineat. Mirabar tamẽ subinde analogiã insigniũ, quibus hoc oppidum Harlemẽse donatum antiquitus ferunt, 4. stellis nimirũ in quadrati orthogoni forma dispositis, adiecto crucis, & gladij monimẽto. Quòd si hæc cũ figura totius syderis coaptentur, scutũ videbis ceu via lactea circũseptũ, sic tamẽ vt crucis aut gladij figura perstet erecta, reliquarũ stellarũ positio quadrata ex angulis rectis in rhõbũ obliquata, ac velut iã iam casura paululũ inclinetur. Sed horũ consyderatio pura est vanitas, quãquã cõquiri eiusmodi quãstudiosissimè solẽt ab his qui sese artifices doctrinæ caballisticæ profitẽtur.

Turbarũ progressus in Belgico tractu longè sæuissimus.

Figurarũ superstitiosa cõsyderatio.

Nondũ verò in ciuitatem Louaniensem manus extensa Domi-

Domini cõquieuerat: verùm vt sui erga nos amoris, & benignitatis magnitudinem inter aduersæ fortunæ grauissimos æstus ostenderet palam, præter afflictiones antea memoratas, iam quarto cum non exigua clade nos maximus terror affecit. Neque verò ingens illius diluuij vis à prodigiorum numero debuit exulare, verũ & pro miraculo duci: non ideò quòd incognita ratio, sed insperata venerit salus in summo rerum discrimine cõstitutis. Auctæ erant hybernis niuibus vicini fluminis ripæ, ac degelatione facta post gelu diuturnum longè acerrimum mensis Decembris, sic repentè intumuit vnda 8. Ian. die, anni 1573. vt neq; traduci primo laxatis ostiis, ac solita regione potuerit, neque deinceps murorum obijcibus vllis, oppositisue repagulis coerceri, quin omnem industriam & consilium anteuertens, supra mœnium pinnas excreuerit, tãdemq; hora ante mẽrid. decima, perruptis aggeribus stragem latissimam dedit, ita repentè inuoluens medium ciuitatis, vt casas humiles & carioſas, etiam plerasq; firmiores obiectas vortici violenter crueret. Quibus præterlabenti flumini sedes proxima fuit, bis ferè ad 12. cubitorum altitudinẽ demersa ædificia vix rapidi fluctus aduersos impetus sustinebant. Omnes passim pauidi vsque ad suprema tectorum fastigia properare, muros perfodere, tabulata perfringere, scalas, celoces, atque carinas ardenter exposcere, toto cælo confertim audiri gemitus, quiritatus, ædificiorum ruitantium fragor, horrendo murmure ab vtriusque sexus atque ætatis hominibus in vnam tragicam vocem & luctuosam speciem vndecumq; cõfusis, videre fuit hîc terris auulsas arbores, aut simulachra diuorum altaribus erutæ, illic domorum contignationes abrepras, tecta & latera; spondas & culcitras, capsas, subsellia, omnisq; generis auectam supellectilem fluitare: quin & ingẽtes formices, cum obuiis muris luctatæ

Ampla descriptio Louaniẽsis diluuij, cũ prodigiosa clade quã maiori parti ciuitatis inuexit.

paulu-

paululum, tremendo spectaculo mortisq; cogitatione acerba, secum & firmiores domos sæpe in præcipitium auferebant: quæ sanè belli ciuilis delineatio longè certissima videbatur. Sternuntur sepes, anterides, molæ, pontes, & peristilia: dissiliunt portæ cum catarractis: cauãtur strata viarũ, templorum aditus & pauimenta: ipsa etiam mortuorum ossa cum sepulcris subruta, ad formidabilem extremæ anastaseos typum alludere videbantur: hîc terra in tumulum exurgente, illic depressa eadem atque amplius debiscente, vt etiam insani vorticis raptu locis plærisq; in miram voraginis altitudinem sit patefacta. Nec vllum adeò firmum patuit carinæ aut nauigij genus, quod ad opitulandum in ea pernicitate fluminis sufficere potuisset, quin à plærisque tentantibus cum proraremus magno periculo in moles oppositas pelleretur. Iam verò ex altera parte disiectis mœnibus, qua primùm exuperantis gurgitis impetus venit, ad singula ferè momenta, moles aquarum in palmæ altitudinẽ excrescebat: multis in humili cõstitutis mensuram vitæ superstitis ipsa propemodum incrementi proportione significans, & iam extensis ad cælum brachijs, iam pallescẽtibus genis, & acclamante fœmineo genere ac puerorum, quisq; sibi fatalis exitij modum firma imagination conceperat: cùm fortior vnda strepitu magno, & violentia portam alteram ciuitatis (qua nimirum ipsius egressus patet) cũ mœniorum opposita parte conuoluens, sic ferente numine certaq; prouidentia, nos vitæ summo & fortunarum omnium periculo liberarit. Nam protinus vt foras effusus Dilia velut è carcere liber in campi planiciem venit, ipsa quæ pridem congesta fuerat intra murorum ambitus aquarũ copia, repentè defluxit, plus quàm humanæ staturæ prosunditas capit, multis tamen ruentibus ædificiis, postquam ab inundationis tyrãnide iam tuta sese atque secura putauerant.

Sic vires hostiles paruis initiis vbi cõtentæ fuerunt, in immẽsum celerrimè crescũt.

runt. Quæ clades priuatim, publicè; & quanta calamitas ſit inuecta tum in contentis tum continentibus rebus, anno vix eloquar: & ſi poſt hominum neces, ipſa Muſarum ſupellectile, vaſtatisq; bibliothecis, tabulis, annalibus, aliisq; præclaris ingenij monimentis, vix vllū grauius æſtimarim, quòd tanquam apoplexia vel ſyderatione percuſſi codices, perpetuam quandā paralyſim induiſſent. Prodigioſam hîc planè clementiam Dei vel cæci facilè in ſummis angustiis perſpexiſſent. Nam imprimis ex ipſa hoſtilis furiæ violentia, quæ necem obſeſſis vndique minitabatur, inſperatum auxilium venit, omni conſilio, humanaq; prudentia longè ſuperius. Deinde quod maximè mirum, inter tot caſus acerbiſſimos pauci hominū (aiebant circiter octo aut nouē) è medio ſunt ſublati, cùm ſi noctu obueniſſet hæc inundatio, vel multorū millium vitam cum ſpiritu elidere potuiſſet. Poſtremò quandoquidem apud nos rerum geſtarum ratio non ita in liquido pro ciuitatis meritis fuerit cōſtituta, viſus eſt Deus partim immuere nos quidem haud omni ex parte laudabiles, atq; à culpa liberos, ſed increpationem aliquam eſſe promeritos, partim tamen commiſeratione apud aduerſarios aucta maiorem nocendi, caſtigandiue libidinem extinguere voluiſſe, cùm ſatius ſit inter tot rerum ancipites æſtus, afflictum atque inopem deplorari, quàm cum opinione felicitatis nimiæ, propter alienam inuidētiam periclitari: quod etiam agnouit Pſalmiſtes, cū daretur optio trium, Satius, inquit, incidere in manus Dei viuentis, cuius multa eſt miſericordia, quàm in manus hominum: quòd ἄνθρωπον ἀνθρώπῳ λύμον vel longa rerum experientia didiciſſet: vt merito ſanè ex eodem fonte dicamus, Nō ſecundum peccata noſtra fecit nobis, neq; ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis: ſed quomodo miſeretur pater filiorum, &c. quæ loco eodem in eandem ſententiam

In rebus deſperatiſſimis præſentia numinis manifeſta.

Satius à Deo proximè, quā per intermedios homines maſtigari.

tentiam ſpectant. Porrò vt repetam noſtræ hiſtoriæ filum, ea apud nos obſeruata eſt diluuij magnitudo, vt nemo tam ſit antiquæ memoriæ ſiue ætatis, qui viſum prius cum illo rerulerit hactenus comparandum. Teſtantur annales non multo inferius anno 1500. *profeſto* D. *Thomæ, quod cauſis conſimilibus ortum ſimili modo portam eandem à fundamentis vſque ſubuertit, ſed tum & pedis vnius abfuit altitudo. Conati ſunt plurimi cauſas reijcere in aucti fluminis quantitatem. Sed vſu venit idem in publicis ferè negotiis quandaliquando in medicis imperitis, qui vel hoſtilem impetum morbi prius non animaduertunt, quàm vires indomitas ſortiatur, vel dyſenteriã, vel diarrhœã inten peſtiuè conantur aſtringere, nec inundantis humoris curſum qua decet liberum ſinunt: quare hic coercitus violenter, tandẽ eroſis viſceribus ſurſum deorſumq; prorumpit, pernicioſo aliorum humorum, facultatum, & partium detrimento.*

Etiã iergẽs diluuium anno 1500. Feb. 11. acrurſus anno 1511. ſed hoc vno præſentis anni reliqua ſuperantur.

De cauſa diluuij tanti.

Simile à dyſenteria.

Quanquam mehercule multum exuberantia niuis effecerit, cui dum ſolueretur permiſta copia ſpiritus flatuoſi, ceu labris feruentibus ſolet, adraritatẽ & amplitudinem humoris effuſi plurimum conduliſſe credibile eſt. Augetur porrò calidi vis in viſceribus terræ tum potiſſimum, quando à frigore diuturno aſtricta ſuperficies, omnem exhalationis collectam congeriem verſus centrum adytus q; propellit interiores, vt elegãti ſermone demõſtrat Hip. lib. De nat. pueri, animalium ortus, incrementa, interitus cum plantarum inſitione componens. Multam verò fuiſſe materiẽ antè ſubuectam, planetarum copulæ ad ventos ciendos efficaciſſimæ deſignarunt menſe Decemb. cùm verò nulli extiterint prius, ſed ipſum diluuium eueſtigio ſint ſecuti, facilè conſtat ſub degelationis auſpicia horum materiem fuiſſe cũ aquæ copia fermentatã. Verũ quidquid in cauſa fuerit, agendæ ſunt gratiæ opt. maximo ſeruatori, qui ſibi multi-

Ratio phyſica, ſed tantum coadiuuans, συναιτίαν vocant.

Terræ interiora magis hyeme calent.

pluci nos ratione deuinxit, nunc humaniter admonens, nũc explorans leniter, nunc patrio more castigans, nũc percussos iterum sanans, atque à morte eripiens. Confitebimur nomini tuo Deus, quia magna super cælos misericordia tua, & vsque ad nubes veritas tua. Mihi quod ex re seria lusimus dudum, nunquam recedet ab animo meo.


Peruigil æthereos radio dum persequor ignes,
Dilia sublatis me propè mersit aquis.

vel sic:

Dum superos ignes subeo, & cælestia templa,
Me propè in horrendum sorbserat vnda Chaos.

Chasma aliud siue hiatus cæli.

Ian. die 27. anni supra millesimum, quingentesimum septuagesimi tertij, chasma denuò in aëre visum instar ciuitatis incensæ, iam fortè propter frequentiam, frequentes etiã irruptiones hostium externorũ, ruinas vrbiũ ac populorũ, proditiones, conflictus & clades vndecunq; significans.



Multis

Tormentorũ in aëre sonus authoris incerti. Conflictus varij.

Multis etiam incerta de causa tormentorum sonitus sereno cælo cum cæco murmure exauditi, decimo, vndecimo, ac duodecimo Ian. ad multa miliaria ferebantur. Secuti sunt assultus, atque expeditiones variæ, terra & pelago, stræges infandæ propter Harlemiũ, præsertim mensibus Febr. Martio, de quibus nondum integra fama ad nos peruenit, sed pro diuersis affectibus hominum, studiisq; inter se pugnantibus figmentorum semper incredibili varietate laruata: vt periculum sit ne propter easdẽ causas vnquam illibata rerum hoc æuo gestarum veritas, in manus auresq; posteritatis sit peruentura. Omnem quippe historiæ fidem, in omni ætate obscurauit addictio, quæ propter vel idiopathiam certam, vel sympathiam mutuam, à paucis mortalium sequestrata est. Interea verò & classis regia multis instructa milibus, non absque iactura & discrimine summo ciuitati Middelburgensi per aduersariorum medias turmas subsidium tulit. Etiam virtus enituit virorum illustrium circa maritimos tractus Harlemij, quòd semel ex Amsterdamo immissis nauibus D. de Bossu in eas angustias venit, vt iam obsessi circumquaque de sua salute, & commeatu propemodum desperarent.

Prodigiosus circulus solẽ vndiquaque complexus.

Aprilis die 29. ab hora 12. vsque ad secundam ferè post meridiem Sol admodum pallens cælo sereno constitit, admirando quodam circulo circumseptus, quem planè insolitum & supra halones frequentius apparentes etiam atque etiam obseruaui ad instar iridis florentissimæ, trium colorũ specie, expressaq; varietate distinctum: processere tandem à sole nigrantes radij, qui suspenso dudum ad hoc spectaculum vulgo, sensim externam peripheriam dissoluerunt. Poterat rei ratio ad causam omnino physicam relegari: sed insignita species, vt populum quoq; in admirationem traheret, illud effecit vt cuidã portento nõ absimile putaretur.

Halones quid portendant. Differẽtia halonis & circuli superius designati.

Nos quoque halones vidimus numero infinitos, certo ferè præsagio futuræ mutationis ante triduum è sereno in turbidum cæli statum: sed ij semper è nube cãdida, leui, æquabili, tranquillo cælo, ante solis planitiem exporrecta, in quã scilicet velut in speculum intuens coronæ obscurioris speciẽ efformaret. Verùm hîc nulla conspicua nubes, ipse autem circulus cælo serenissimo exactã iridem præ se ferebat. Incertum nobis an ad extremas angustias, atque deditionem Harlemij propius imminentem, an quouis aliò fuerit referenda.

Frigus intempestiuum & noxium.

Horrendum frigus ac præter naturã tẽporis fuit Aprilis die 25. vt etiam vnda ad pollicis crassitudinem vna nocte concresceret. quo factũ vt vitis germina syderata spem de Lyæo antè cõceptam prorsus extinxerint: & summa secuta sit vini caritas, cùm tamen in cæteris vbertas amplissimæ Dei sit beneficio data, non omnem illius clementiam erga nos dormitare significans. Cœperunt & febres admodum pestilentes, cum deliriis, populabundo incendij cursu vniuersam Galliam, Hollandiam, Frisiam, Germaniam pernagari. Erat illis obscurus admodum typus velut ex multis generibus complicatus, proinde & acutarum vehementiã, & diuturnarum febrium cõtumaciam retinentes, multorum milium vtriusque sexus funera funeribus aggerebant. quòd paucis medicis character ille diuinus, morumq; occulta malignitas maturè fuerit deprehensa: ægrotantiũ verò plurimos, antequã ægrotare sese grauius perciperent, morbi fatalis vigor oppresserit: vel si eundem datis remediis, aut naturæ robore superarent, tandem tamẽ paroxysmorũ frequentia fracti fatiscerent, quósque violẽtia mali auferre non potuit, assiduitas enecaret. Vsque adeò in vnã ferè ideã rerum publicarum calamitates consentiunt vniuersæ, & bellæ quandoq; in morbis corporũ, morborum ratio in bellis

Morbi populares ex pestilentiũ genere.

Morbi epidemici præcipua ferè symptomata.

ciuili-

ciuilibus exarata est. Nos autem propter illius speciem ra- Comparatio
ram ac peregrinam, hemitritæis Galeni proximã, sed ma- cum hemitritæis.
gis perniciosam atque mirabilem, de causis atque natura,
de symptomatibus variis & curationis methodo singulari,
seorsim plura perscripsimus circa finem, quæ putauimus nõ
parum emolumenti posteris additura.

Die vndecima Maij, hora octaua manè, paulò obscurior Parilia vis.
Halo, ad cuius extremam circumferentiam duo parilia cõ-
sistebant: sic tamen vt versus orientalem plagam euiden-
tior appareret, tanquam è lebete repercussa Solis imago:
euanescente prius altera quam occidentalis regerebat. Re-
petitum est idem spectaculum vesperi circa quartam, vbi
tamen vnus duntaxat pariliorũ versus occasum constanti
quadam reflexione permansit; orientalis autem velut ha-
benas deserens, protinus expirauit. Fiunt hæc omnia natu-
ræ quidem legitimis causis, vt tomo superiore docuimus; sed
raritas facit, rerumq; consensus qui nox apparent, vt in
auguriis atque portentis locum non infimũ sint consecuta.
quanquam hîc aliquando multa effingat inanis imagina-
tio, plura in partes alias aliasq; detorqueat, vt si affectum
detrahas animo iudicantium, circa futuros euentus sæ-
pe contrariorum æqua sit æstimatio, vt multis historiis
demõstratum est. Equidem vsu nunc cõperi, quicquid spe- Causæ princi-
ctaculorũ est istiusmodi, vt irides, halones, parilia, ceu sim- pes atque in-
plicia, ceu geminata, triplicata, ceu figuræ multiplicioris oc dicia portẽto-
currerint: ceu rursus ad arcus constiterint circumfusos Soli rũ iſtiuſmodi.
ac Lunæ, siue oppositos, rectos, inuersos, perfractos, inte-
gros, coloris purpurei, viridis, flaui, atri, candidi, aut cuius-
cunque alterius: habere certum materiæ præparamentum
ex nube æquali, ceu puriore speculo in aëre constituta, quæ
iuxta peculiarem situm respectu corporis luminosi, figurã
variam, iuxta mistura verò vel prædominium elementi

Obſerua prædictionis artificium.

cæleſtis, ac ſublunaris ipſius quoqne coloris variam temperaturam, ac viciſſitudinem repræſentet. Vnde & illud conficitur ratione probabili, dominante ſydere Martis inter planetas, exhalationes quoque calidas, ſiccas, bili flauæ cõſentaneas aëris illis vaporibus complicari, eoſdem quoque propterea magis ex flauo & croceo in purpuram, bellorum ſeditionumúe populariũ, & imminentis ſtragis humanæ ſion abſurdæ penitus coniectura. Sic de Saturni prærogatiua, Iouis, Veneris, atque Mercurij præſagire docuimus capite ſexto, cùm de cometarum effectubus diſputaretur. Et hactenus quidem licet cum naturalibus cauſis vegetabilis mundi, cæleſtium conſpiratio ſola ad præcognitionem aliquã manu ducant, alias tamen ſubinde accedere quæ prorſus ſint ſupra naturam, nihil à ratione eſt alienũ. ſequuntur enim & liberæ mentes ſæpenumero locorum, & temporũ προκατασκευὴν, ad exprimẽda corporea ſimulachra, quibus non aliter res diuinas aperiunt, atque in myſteriis Hierarchiæ per aſpectabiles ritus, ſigna atq; imagines fieri docuit verè diuinus Areopagita: quando intellectum eò infelicitatis eſſe delapſum cenſet, vt à tenebricoſo carcere, nõ niſi per gradus, ac velut inducta conſuetudine quadam ad fulgidiſſimam lucem commodè pertrahatur; quin vt idem ex D. Paulo, ac ratione veriſſima conteſtatur, ipſa etiam mundi quæ cernitur fabrica, diuinarum rerum quæ nõ videntur ſit integumentum. Sed hæc de toto genere libenter inſerimus. Quod autem ad ſpectaculum præſens, nihil de ſignificatione preſſius dico, vt neque in aliis à nobis tentatũ fuit, poſtquam videlicet non tam præſiniendi ſcientiam, quàm ſpeculandi viam ac ſeminarium quoddam ampliſſimum præparemus. Quamuis enim, vt docui aliquando, ſecundum poſitionis differentiam, diuerſa parilia regni eiuſdem gubernatores ſerè diuerſos, aut vivos principes repræſentent,

Mæc contra imaginũ contemptores ac ritus Eccleſiaſtici à B. Dionyſio præcipuè ſcripta videntur.

Anceps iudicium rationis niſi à mente cælitus illuſtretur.

sentent, circulus autem regni partes aut ciuitates, verus ille Sol circuli medio personam regiam apta similitudine monstret: quia tamen inueniendæ similitudinis instrumẽtum ferè ambiguũ est, atque in põderandis rerum proportionibus anceps: nihil aut parum hîc sola proficiet ratio, nisi illustretur ab intellectu. Sic enim videmus interpretãdi oraculi, vel insomnij donum, non minus quàm alterius vaticinij, ac prophetiæ, in multis purè diuinitus dari: in aliis vtcumq; ducatur per certos scientiæ gradus, tum tamen tũ prius efficax apparere, cùm lustratis sensibus & cupiditatibus prauis, cælesti radio confirmatur. Redeo nunc ad illa quæ pressis vndique rebus ciuitatum insignium contigere. Circa principium Iunij mensis 1573. D. de Beauvoir periclitatus grauiter fortunas suas, per conflictus acerrimos, mediasq; classes hostilis exercitus è Middelburgo rursus Hantwerpiam redit, relicto præsidio & commeatu, quãto fortassis ad multum temporis indigerent. Initio Iulij vehemens inundatio cum inaudita clade Hollandiam, Frisiam occidentalem, regionesq; finitimas infestauit. Iam immi- Manifestum decremẽtum in lumine syderis noui. *nuta plurimũ spectabatur magnitudo syderis noui, vt etiã illa vicinior cæteris (vel astri totius vndecima stella magnitudinis quintæ) non multo inferior splendore luminis videretur, ita verò sensim illius decrementi, atque æqualis semper obseruata proportio est, vt vnius mensis aut septimanarum 6. consyderatio vix vllam quantitatis differentiã annotaret. Interea Princeps nequicquam Harlemio summa penuria laboranti volens succurrere, cladem accepit grauissimam paulo antequam ciuitas dederetur. Venit illa in potestatem R.M. 14. Iulij anni 1573. post obsidionem octimestrem, cũ se se incassum iam laborare amplius citeis misserrimi cognouissent. Nam licet aggressu primo, propter spem veniæ valde ancipitem, vniuersum in armis refugium* Fortunæ publicæ ingens mutatio.

collocassent, exemploq; Nardensis excidij attoniti vehementer, strennuè tanquam pro vita & bonis omnibus, pro liberorum, coniugum salute ac pudicitia dimicarent, multos etiam indies atque in horas per conflictus varios Orco demitterẽt, ipsius denique fœminei sexus plusquam fœminea virtus siue audacia in rebus desperatissimis enitesceret: tandem tamen conatus hic vniuersus repentè deficiens, ex ipsa fortuna non tam virtutis atque audaciæ, quàm temeritatis nomen assumpsit: fractis nimirum opibus ciuitatis, muris aggeribusq; perfossis, vt vallo duntaxat & fossis altissimis tutarentur. Postremò fortissimorum militum præsidio diminuto per assultus atrocissimos, per velitationes assiduas, per ærumnas, morbos atque vigilias: accedente famis acerbitate intolerabili, cui nescio an vlla fuerit ab antiquissimorum hominum sæculo comparanda. Aiebant & fraudis plurimum, occultæq; proditionis ad calamitatum numerum irrepsisse. nam cuibus quidem vitæ spes maior affulserat, interq; præsidiarios milites penè vt nationis & linguæ, sic animorum atque sententiæ magna diuersitas fuit. Præfectus illorum à strennuè cæptis non desistendum turpiter arbitratus, cùm ad deditionem inclinari partem iam maximam cognouisset, tormento bellico semetipsum traiecit, C. Cassij, & Catonis Vticensis fortitudinem imitatus: si quæ tamen eius facinoris vera est gloria, quam vel prophani philosophi (nedum Christiani) effœminato potius animo, ac formidini tribuissent. Capti sunt milites præsidiarij cum tribunis cæteris: mox de singulis horrẽdo spectaculo ac stupore mortalium vsque ad riuos sanguinis sumptum est capitale supplicium: paucis Germanicæ cohortis inde dimissis, plerusq; ad remos aut fodinas versus Alcmariam destinatis, quò & Harlemensium ciuiũ pars cõpulsa suprema infelicitatis turbinẽ exantlauit.

Audaces à temerariis euentus fortuna distinguit vulgo.

Exemplũ fortunæ tragicæ.

Eorum

Eorum qui capti in vrbe perierint, partim gladio cæsi, partim vnda demersi, aut laqueo suffocati, numerus propè ad 1800. *censebatur. Secuta est paulò pòst seditio in castris D. Fredrici: vt & fideliores quondã suo iã principi rebellarẽt. Quæres profectò fortunã regiã oppidò labefecit. Nam longo bellorum turbine conquassatis famis periculum, aëris inquinati virulenta excretio, cum aliis calamitatibus accedebant; tandemq; & marcescentibus sensim prædæ spes exuta, cũ solutionis difficultate in furorẽ propemodũ versa est. Ex altera parte captum est ab exulibus castellũ proximum Middelburgo, vulgato idiomate Rammeken appellatum: quo & totius ciuitatis iamdudum obsessæ terror adauctus, ac recipiendi commeatus fiducia propemodum expirauit.*

Calamitates variæ secathenatim consequentes.

Papilionum ingens exercitus rursum apparuit 18. *Augusti, qualis & anno* 1551. *item* 1560. *aliasq; sæpius ijsdẽ temporibus anni & constitutione consimili. Durant hæc animalcula tinearum instar vt plurimum dies cõtinuos* 3. *quæ nube densissima propter cursus fluminum vecta, hinc sole occiduo per vicos & lares sese dispergunt, & corruptelam aëris ex anni madore significant. Præcesserat copula diuturna* ♄☉☿♀. 20. *die tẽpestates horrendæ cum ventis assiduis subsecutæ. die vigesimo primo frigus insolens, ac supra tẽporis rationẽ. Febres contagiosæ amplius inualescebant, vermes autem atque id genus putredines supra modũ. Nã & eiusmodi mali præsagia ex illo insecti genere vel duce natura colligi potuerunt, quòd nimirum vnius parentis germanæ soboles videantur. Circa Septembris initia cumulatim & clades aliæ occultis aduersariorum machinis ingruerunt. Montensis ciuitas (cui D. Getrudem indigetant) propè in occidui maris littoribus sita, subitò ab exulibus occupatur. Nequicquam oppugnata Alcmariensis ci-*

Papilionum turba ex aëris intemperie nata.

Morbi epidemici.


Cladesvariæ.

Diluuium.

uitas hostilis turbæ stragem latissimam dedit. Quibus accessit rursum & inundatio noua in Frisiam Occidentalem, dum contra alluuionis pericula deficientibus neruis, maris indomiti vis omnes & opes, & artis industriam anteuertit.

Monstrum Geminorum admirabile.

Sexta Octobris 1573. Geminorum se complectentium prodigiosa species nata, ambobus quidem fœminei sexus, 4. brachiis, pedibus quatuor. Erant connatæ pectoribus atque inferiore maxilla; vt prorsus os vnicum viderentur.



Vixit ad spatium dimidiæ horæ. Dissecto cadaueri cor cuiq; suum, sua sede discretum, secus quàm aliàs apud nos visum fuit. An quicquam in illo quod ad præsentem Belgij statũ diuinitus cõsignetur, ignoro, coniectura facilis similitudinẽ deprehendit, sed nulla est demõstratio. Equidem hoc mõstri scele-

sceleton adhuc sua cute obtectum ipsus vidi, ac meismer manibus contrectaui. Viguit mirabilis intemperies aëris toto autumno humido, vẽtoso, post æstatem frigidam, imbresq; continuos, vnde & vino pariter, & castris regijs intemperies cæli infensissima permanebat. Etenim iam diuturnæ obsidionis tædio fatigatis, confectisq; inedia, præter innumeras cædes subrepsit & morbidus cæli tractus, quo penè per mẽses octo plura duodecim millibus sunt absumpta: quanquam assiduè Gallorum militum turbam incredibilem in decedentium locum fœcunditatis patriæ fortuna sufficeret, non secus quàm ex taurino tergore prouentus apum in suis Georgicis descripsit Maro. Febres itaque contagiosæ pluribus cõtigerunt, acutæ pariter & contumaces, symptomatum sœuis ac peregrinis generibus complicatæ, vt nihil dirarum amplius ex Orci vomica ad excretionem reliquum videretur.

Aëris intemperies diuturna morbos populares innumeros creans.

Circa Octobris medium conflictus naualis denuo propter Enchusas, vsque adeò ferox vt ex effusi sanguinis copia glaucus ille Neptuni color in purpuram mutaretur: captus hîc D. de Bossu, R.M. propugnator acerrimus, cũ nobilissimorum iuuenum tuba, vbi ad extremos spiritus strẽnuè restitissent. Nouembris duodecimo dux Albanus relictis in Hollandia castris, quo regionem hanc vndique popularentur, & aduersariorum vires it a lentando sensim, prædandoq; conficerent, per Hantwerpiam redit Bruxellas denuò, ad securitatem adiuncto sibi paucorum equitum comitatu. Hagam comitis inuadunt nostri idibus Nouembris. Venit interea & Gubernator nouus in hãc prouinciã, D. Commendatarius Castilianus, nomine Lodowicus Requezenius, quẽ plures profectò vt humanissimum virum, dexteritate ingenij, virtute bellica, aliisq; præclaris naturæ pariter, atque fortunæ dotibus admirabilem prædicarunt.

Conflictus maritimus atrox.

Aduẽtus Gubernatoris noui.

Huius

Huius auſpicium menſe Decembris initum, vt ad felicitatem regis, ac Reip. Chriſtianæ quamoptimè dirigatur, Deum termax. votis ardentiſſimis obſecramus: cùm nihil alioqui, nihil ſit durius medico, quàm rebus extremis, exhauſtis viribus, ac valetudine propè iam deſperata, ad curationem abſceſſus alicuius aut vulneris accerſiri. Verùm ſicut è nube denſiſſima maior tonitrui fragor, & fulguris ignem tanto maiori cum impetu iaculatur; ſic aliàs quoque diuinæ virtutis gloria in rerum aduerſitate perficitur, atq; vt ſæpius dictum eſt hanc præſentiſſimã nobis, ac maximè certam, cũ minus his lutulentis oculis patet, interiores oculi mentis, certaq; in Deũ defixa fiducia deprehendunt. Quin eò imprimis tam turbulenta epitaſis ſolet excurrere, dum neque humanis conſiliis, neque armorum viribus vltrà relictum pures, ipſa autem in melius repentina cõuerſio, vel vulgo iudice veniſſe diuinitus cenſeatur. Quid adeò mirum, quando hic circuitus vnius rotæ & malos proterit, & bonos aduerſis probat, viuisq; relictos in fide, ac prouidentiæ certa agnitione confirmat?

Ad fortunam medici apta rei gerendæ opportunitas prima eſt.

Tempeſtati ſuæ ſummus tranquillitas proxuma eſt.

Iam verò à vultu mortalium pedetentim altius ſeſe ſubducens Phoſphorus nouus, eò vſq; cõſcenderat, vt niſi acutius intuẽti, ac dudum antè quàm Solis iubar emergeret, vix vlli è populo potuerit obſeruari. Lunæ deliquiũ ingens, punctorum ferè 20. & quale à multis ſæculis, ſaltẽ ab anno 1555. vix conſpectum fuit: in diem incidit octauũ, hora ſexta incipiens, ac multo prius quàm ephemerides annotarunt: ſequentur hac maiores 1577. Diſceſſit Albanus cũ filio Frederico 15. Kal. Ianu. actis publicitus gratiis, cum laude conſtãtiæ, ac paræneſi in poſterum per magiſtratus.

Lunæ defectus.

Diſceſſus ducis Albani.

Quæ porrò circa maritimos tractus Hantwerpiæ, propter nauale prælium infeliciter geſta ſub Ianuarij finem anni 1574. cũ recens adhuc loquatur rei memoria, nõ eſt quod

latius

latius explicemus. Minus multo quæ mox fortunã Midelburgensis ciuitatis longè miserrimam spectant, quæ famẽ infandam, cæteraq; angustias, obsessorumq; robur atque constantiã, æternis præconiis dignam, quæ moderationẽ in victos, immunitatẽ præstitam ecclesiasticæ turbæ, præsidiariorum militũ saluteẽ insperatã, & alia multa, cuiusmodi, iuxta affectuũ varietatẽ, aliter alij vel militari astutia, vel singulari clementiæ tribuerunt. Sua tamẽ laude sui semper digna victoria est, amplissima quidẽ si quando ad sinẽ optimum destinatur: at hunc solus inspicit sol, qui terrarũ flãmis opera omnia lustrat: Solem iustitiæ dico, terram verò in cordis aditu interiore secretam. Est tamen sæpe de factis hominum si non ad cognitionem certam, certè ad suspicionem validam hominibus prægnans occasio: vt non mirũ fuerit semper, vel res præclarè gestas ex deteriorum hominum consuetudine, nimiaq; licentia deprauari: quæ sensim paulatim in turpem exitum cedunt, sic ferè & prius multo in partem pessimam accipi consueuerunt: quando & omnem hanc æstimationem gratiæ circa res fluxas atque caducas æternorum ille neglectus, protritaq; religionis vocabulum maximopere labefactat. Nihil hîc equidem induces, aut principes viros dictum acerbius, nihil detortum volo, cùm horum codices, ac simosa volumina manu Omnipotentis inscripta nobis aperire sit difficilimum: ac licet his ipsis tum numinis cultus, tum salus publica, exactæque iustitiæ ratio in singulis prima esse debuerit, præcipites tamẽ successione rerum in vniuerso, ferantur interdum non quò maximè velint, sed vel honesti opinio mouet, vel maioris periculi metus impellit. Quin & exemplum Psalmographi regis vsurpant sibi, quale in Ioab & Semei: sic rebus vrgentibus, vt quorũ scelera nõ capit oblitio, tamẽ in salutem plurium supplicia differantur. At illi profectò veniam

Factorũ probitas, improbitas ex fine potissimum metienda. vide præclaram sententiã hac de re Maximi philosophi & martyris, Centuria 3. Apophthegmate 70.

Diuina humanis, priuatis publica præferenda.

Ex vno errore in alios plurũque delabi.

Insanæ multitudinis æstrum sibimetipsi pernitiosum.

veniam non merentur, qui obstinatis animis, apertis tibiis, se libertatis publicæ vindices vocant: dum tamen quodcũque sectarum genus liberum volunt: solis antiquæ fidei ac religionis cultoribus seruitutem turpissimam, silentium sempiternum, & fortassis acerbiora his omnibus meditantur. Hæc certè si non in ipsis capitibus forsan, in membris attamen vnius corporis patent, atque hæc illac dispersa vibrantur, capitiq; contumeliam faciunt, tanta dissensione fluctuantium inter se viscerum internorum, vt vniuersum hoc intus ita diuulsum contra impetus externorum, ipsa si velit salus seruare non possit. Nam certè vtrunque vel genus vnicum infestum omnibus sibi, facta conspiratione sustulerint, tandem & sese mutuò conuersis armis vt prorsus elidant est necessarium: cùm vna in sede duo contraria minimè perseuerent, nullumq; multiplex sibi dissentiens nisi ab vnitate contineatur. Hæc equidem sint hostibus planis in speciem dicta: nescio quid grauius mereantur qui sub agninis pellibus lupos agunt; qui sub iustitiæ titulo, gregem sibi commissum deuorant; qui Deum faucibus, atheissimum ex imis pectoribus spirant: rumpit inuitũ dolor vt in commune dictum id audiant omnes:

Hoste sub protectoris nomine nihil acerbius.

Horat. lib. 3. Oda 24.

O quisquis volet impias
Cædes, aut rabiem tollere ciuicam,
Si quærat pater vrbium
Subscribi statuis: indomitam audeat
Refrænare licentiam.

Sed frustrà hæc mecum queror: exasperantur vel mollibus nimium inflammata remediis.

Circa deditionem oppidi Middelburgensis (quæ facta est 19. Feb. 1574) multa è prodigiorum numero tum nostro Belgio, tum Franciæ atque Germaniæ contigerunt. Nam & 27. Ian. naues ardentes non procul à Lunæ cor-

Parasselina prodigiosa.

pore

pore sunt conspectæ, cum paraselinis aureis, colore sanguinis intersuso, vti à Franciscanis fratribus tunc iter nauigio facientibus visum ipsus audiui. Magis horrenda quæ Purificationis proesto obseruata à variis memorantur, ceu bella & cædes in nubibus exaratæ, cum fremitu ac stridore pugnantium inter se. Sed istis nolui pingendis latius immorari, cùm neque à nobis conspecta fuerint, neque (vt nõ vana suspicio mouet) pars horum maxima multũ à figmentorum vanitate abhorreat. Credo fuisse chasmatis genus, quod rusticorum plurium narrationi connumerat: qui lucidum corpus Soli non absimile noctu exortum, atque à se visum testabantur: verùm vt ex eo traiectiones variæ in varias species incertis ordinibus differuntur, accedens animus horrore plenus, spe, metu, ac superstitione perculsus, multa velut in somnijs pro voto, ac studio solet affingere: sæpe & similitudines aptans, quod sensu minimè percipit, imaginatione defixa se sibi sentire persuadet. Ita prodierat quidam libellus de tempestate grandinis memorãda, quã Pesselano monti conterminis agris cecidisse commemorãt, vastata prædia, demersas ædes, armenta & homines interemptos: fuisse molem plerisq; librarum trium, auditam cælitus vocem, conspectum puerum flammis circundatum, qui orbem immensum humeris sustineret. Ascriptum Saportæ medici nomen, & F. Mendozæ. diem constituunt 5. Maij anni superioris 1573. quo tamen nobis aër perpetuò sudus atque tranquillus fuit, vti in Ephemeridibus annotaui. Scriptum quoque de spectro legimus forma cacodæmonis viso in ciuitate Winmariensi inter pugnantes religionis antistites; multaq; præterea, quibus quantum authoritatis vel efficaciæ nomine sit tribuendum ipsa posteritas aptius deprehendet. Vnum hoc insuper duximus annotandum, quòd circa hæc tempora tanto splendore & magnitu-

Simulachra varia in aëre visa.

Sæpe ex imaginatione turbaris sensibus res alias videri quàm sint.

Amantes etiã sibi somnia fingunt.

Prodigia varijs variis locis, de quibus tamen nondum penitus explorata veritas.

Stellæ Veneris obseruatio.

gnitudine Venus effulserit circa occasum, vt multis plebeos inter & imperitos pro nouo sydere sit conspecta: nonnulli & cometam crediderint, cùm inter nebulas rariores effusa coma instar ardentis lampadis rutilaret. Sed huius phaenomeni triplex ratio ex Plan. theoricis liquet. nam & illius maxima elongatio fuit à sole: situs non procul à perigæo: occasus in signis ♈.♉. quæ vt obliqua oriuntur, etiam rectâ descendunt. Martij die 20. suo corpore exactè conigit à parte superiore supremam Pleiadum inter Occidentales.

Ratio mathematica.

Redeo nunc ad apparitionem sydèris noui: quod hisce temporibus modo mirabili sese subduxit ab oculis nostris: neque enim supremos abitus aut ortus illius primos, aliamue augmenti ac decrementi proportionem, passus est Deus ad certa dierũ, aut septimanarum spatia definiri: quòd (vti dictum est suprà) fortassis diuinorum æmulam in omnibus esse voluerit. Nam vtcumque adhuc à nobis spectata sit Ianuario, ac Februario mensibus anni 1574. sensim tamen ita disparuit, vt vespertino tempore, præsertim Luna præsente, minimè cerneretur; manè cõmodius, sed instar puncti primùm, postremò vt nebula, & stellæ vestigium appareret. Mense Martio, quo primũ incipiunt 18. coniunctiones stellarum errantium admirandæ, & nullis alterius generis schematibus interruptæ, aduerti similiter vsque ad finem, sed serenissimo cælo, quoties videri & orbis lacteus potuisset: visa tunc eo est modo vt quamuis intentis in cælum oculis adingens spatium perstitissem: sæpe nũc obliteresceret, nunc rursus ac velut momento visum suo fulgore perstringeret. Hæc autem mora progressu dierum facta est maior.

Sydus nouum quo modo recesserit.

Suprema obseruatio sydèris noui.

Dubito sanè (ac dubito vehementer) num circa Aprilis medium defixo intuitu aliquoties obseruarim. In idẽ tempus rara coincidit oppositio Sat. & Iouis, crisim adferẽs eius

coniun-

coniunctionis quæ facta est in ♋ anno 1563. Vide num propter analogiam sign. ♊ & ♑ cometã nouũ aut aliud sydus venturum intra annos duos tréfue portendat. Saltem hoc mense ni fallor humanos oculos supergressa lux nouæ viam à terris aperuit sursum, portumq; securum prodidit, ad quem tot inter ancipites æstus aspirare debemus. Atqui hîc de nostri sæculi phænomenis vt cõquiescam, nescio quis aurem vellicans tacitus monet. Facem arripiat, quisquis cursurus deinceps in hæc vestigia properabit.

Mihi nunc Ligus ora
Inteper, hybernatq; meum mare, qua latus ingens
Dant scopuli, & multa littus se valle receptat.
Lunaï portum est operæ cognoscere ciues;
Cor iuber hoc Enni: postquam destertuit esse
Mæonides, quintus Panone ex Pythagoreo.
Hic ego securus vulgi, & quid præparet Auster
Infelix, &c.

Iam iam defessus, anchora fixa, detractis carbasis nauẽ in littore constituerã, cùm rursus reuocat alter, nescio quid cursu in medio relictum clamitans, quo minus quæ festinantior iusto arripui passim, pro dignitate suscepti muneris aut præfixi tituli responderent. Plura mẽhercle de sectis futurus flagitant, pleraq; & planius dici quæ ad salutẽ publicam spectent in illa præsentium, ac præteritarum cõparatione demersam. Sed ô stupendam ignauiam, ô curas inanes hominum, ô veternum inexpugnabilem! Quid vota furentes? quid delubra iuuant? num Christus ipse verifons longè purissimus, num reliqui vates, & martyres vobis duntaxat vt surdis fabulam cecinerunt? catur ad illud sanctissimum penetrale, quod vnicus agnus aperiat: videte, & perscrutamini sedulò, num illa sit facies in procinctu, quã nostræ salutis author ante quingentos annos atq;

Progressio ad cõparationem venturi sæculi, cũ præsenti temporũ statu, iuxta vaticiniũ Christi

millenos fore prædixit, Matthæi 24. & Marci 13. Lucæ 21. quæ si cum Paulinis dictis, ac B. Augustini aliorumq; virorum celebrium testimoniis conferantur, ordo signorum conuenientissimus efflorescit, quem nos etsi parum theologi, attamen studio verbi diuini, quod nouissimorum temporum status iubet versari perpetim ante oculos, atque in animis nostris, complexum paucis velut in capita certa digessimus.

Vaticinium Christi de nouissimis temporibus mũdi partes duplices continere.

Illud verò præ cæteris obseruandum, quòd primam totius commemorationis, vel vaticinij partem D. *Chrysostomus potissimum referat in excidium gentis Iudaicæ. Nil tamen eadem vetat de supremis sæcli totius temporibus dici, ac Christum Dominum vtrôque respicere voluisse: vt eadem serie calamitates, & signa vtrobiq; se mutuò consequantur: sic vt ruina gentis Iudaicæ, sit typus excidij generalis, non aliàs differens quàm minus diluuiũ à maiore, figura vel signum à re signata.*

¶Primum indicium aduentus Domini:
Multi venient in nomine meo dicentes ego sum Christus, & multos seducent.

¶Secundum.
Audituri estis prælia, & opiniones præliorum.

¶Tertium.
Insurget gens contra gentẽ, erit pestilentia, fames, terræmotus, persecutio propter nomen meum: exorientur pseudoprophetæ, abundabit iniquitas, multorũ charitas refrigescet. Qui autẽ perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.

Hæc quidem hactenus qui prima fronte inspiciat, contigisse iamdudum nemo inficiabitur; imò vel ante Christũ natum. Nihil enim in orbe nouum, vt Sapiens inquit, si rerum genera & species contemplemur. Quare & raram & insigni-

& insignitam magnitudinem rei à Christo denotari verisimillimum est : cùm alioqui nihil dixisse videretur , plures etenim vno conspecto atque altero signo exclamant protinus hæc illa tempora , his impendere sæculi finem : at nõn ijdem cogitãt multo grauiora sparsim hominibus ante hoc sæculum obtigisse : velut de Arrianorum secta, & Mahumetica, de diris incursibus Gothorum ac Vandaloum , aliisq; numero infinitis : quibus profectò si quis iam pridẽ præterita bella , dissentionesq; contulerit , illorum maximã partem pro ludicris æstimabit . Quid de præsentibus dicam nõ occurrit . Sua cuiq; pestis grauissima, suum afflictissimum sæclum non iniuria nuncupatur. Hinc enim & Augustinus in epist. ad fratres Maudarenses , illius temporis expletum curriculum censet , neque aliud restare quippiam , præter supremum iudicium Dei.

Aliud est rerũ mutationes maximas appellari respectu vnius ciuitatis aut regionis, aliud respectu vniuersi.

¶ Quartum præsagium verbi Dominici: Prædicabitur hoc euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium gentibus, ac tunc veniet consummatio.

Nescio an hæc ad illam Indorum vocationem, an potius antiquæ gentis Iudaicæ conuersionem sint referenda. Multi enim ex dispersis gregibus Israel, Indos, & cæteras nationes, ceu germina sparsa per vniuersum , non infidis argumentorum discursibus collegerũt. Quid si quemadmodum primò in gente Iudaica Deus secit hereditatem sibi , quod illi ereptum hactenus fuit , nunc nobis ablatum denuò, (& merito nostro) circa orbis extremos terminos, fatorum vicissitudine, atque Adrastiæ legibus in eundem populum revoluatur ? Iam enim huc omnia spectãt consensione mirabili, fortassis & denuò apud hos locum habet vox Isaiæ 60. Surge illuminare Ierusalem, venit lumen tuum , & gloria Domini super te orta est : quia ecce &c.

De vocatione suprema, & fidei trãslatione.

¶ Quinto hoc insinuat,
Futuram desolationem à Daniele prædictã (capite 9.)stantem in loco sancto.

Hanc vidimus primùm in religione Iudaica: venturam similem, aut fortasse maiorem Ecclesiæ nostræ rerum analogia demonstrat. Nos ea quæ de hebdomadarum numero dixit, viris in illa parte versatis discutienda relinquimus: præsertim cùm ipse Deus venturit temporum partes, atque momenta perquirere. Magnas quidem aliquando per vniuersum hæreses extitisse cognouimus, sed tam diuersas in vnius exitium vndique conspirãtes, nullis historiis designatum est: numquam tot fraudes & scelera, neces, direptiones, oppressiones, hypocrises impunitas, sub vno tamẽ religionis, pacis, atque iustitiæ titulo militãtes, certissimo sanè indicio maiorem indies fieri defluxum ab vnitate in multitudinem, quæ ferè vnica causa est peccati in anima, mortis in animalibus, interitus in vniuerso.

Ampliſſimũ fore & maximè generale quod mundi diluuiũ portẽdat vniuerſale.

¶ Sequitur sextum.
Tunc qui in Iudæa sunt fugient ad montes, &c. *quæ verba sonant cuncta complenda exulibus præpersecutionis acerbitate grauissima.* Væh enim prægnantibus (inquit) & nutrientibus illis diebus. erit enim tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque nunc, neque in posterum erit.

Perſecutio ſumma.

Vbi sanè & solo magnitudinis incremento se distinxisse indicia satis ostendit. cui plurimum consonat D. Paulus ad Thessal. epist. 2. cap. 2. Nequis vos Seducat vllo modo, quoniam nisi venerit discessio primùm, &c. Exponit hunc locum D. August. tractatu de Antichristo, atque ad Romanum Imperiũ maximè refert: etsi certa de causa nomen prætereat Paulus, vt patet ex verbis (& nunc quid detineat scitis.)

defectio generalis ab Ecclesia.

¶ Se-

¶ Septimo ita subiungit.

Exurgent pseudochristi, & pseudoprophetę, ac dabunt signa, & prodigia, &c.

Aptissimè sanè huic tempori quadrat, vt statim emergat & ille, qui verè se faciet antichristum. is est quem peccati hominem loco superius allegato Paulus appellitat, non talem modò qui falsis dogmatibus, aut cruenta dextera Christi Ecclesiam persequatur: (etsi ad generis notionem sæpe tum Christus, tum sacri interpretes id nominis vsurparint.) quin potius aliquem fore credibile est, qui extollatur supra omne quod Deus est, ita vt teste Paulo in templo Dei sedeat, pro Deo se ostẽtans. Nam & Christus illa subnectit, Dabunt signa & portenta ad seducendos si fieri possit electos Dei. *B. Augustinus acutè admodũ ex præcedentibus causis, & signis ad ea quæ consequuntur indies grauiora, materiei receptricis aptitudinem comparauit. Vt quando iam ferè antiquæ ecclesiæ splendor ab hominum sensibus obliterit, offensi plurimi rãtis diuortiis, atque exemplis pessimis, etiam de Christo Dei filio dubitare incipiant, eiusq; doctrinam habere suspectam, vitæ genus sophisticum, puras præstigias, promissa inania clamitantes: tum scelestissimus ille opportunitatem in scandalo nactus: hinc robustissimos sibi ad persuasionem neruos acquiret. quanquam postremò veritas obtinebit, & veritatis antagonistem Christus elidet spiritu oris sui.*

Aduentus Antichristi.

In scandalis reip. Christianæ oportunitas Antichristi.

Hinc quoque conficiunt doctorum plurimi tempus adfore, vt desponsatam sibi meretricem propè fastidiẽs Deus, sponsam ante tot annos desertam, inopem ceu postliminio rursus inuisat: quod in historia Thamar, cùm geminos peperit, pulchria allegoria per Chrysostomũ explicatur, capite super Matthæum primo.

¶ Octauo in hæc signa prorumpit.

Statim post tribulationem dierum illorũ Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum.

Aliqui ceu per metaphoram ea cuncta percipiunt, credo tamen & portenta maxima, & obscurationes grauissimas luminum indicari, fortasse supra naturam. Possent suspicionem maximã nobis mouere eclipses annorũ 1585. & 1605. de quibus dictum est suprà, præsertim cũ & cõiunctiones accesserint admirandæ Planetarum trium ♄♃ & ♂, nec non connexus orbium supernorum in capitibus ♈ & ♎, quales & orbe condito primùm, & paulò antè quàm Christus nasceretur, obseruatos astrologi collegerũt. Sed hæc naturam habent & causas ab origine præfinitas. Metaphysicum fore quod Christus insinuat, quæ mox sequuntur aperiunt.

Karæ synodi ac defectiones luminum imminentes.

Vide coniunctiones ordine consequẽtes in ♈ dodec. Anno 1584. Martio & Aprili mẽsibus: sed magis mirandam copulã in signis aqueis omnium planetarum, anno 1583. circa medium Feb.

¶Nonum prodigium.

Cadent stellæ de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur.

Equidem moueri tunc maximè reor, cùm præter hactenus obseruata, quoddam in illis nouum exoritur corpus, atque recedit, tanta specie lucis, tam firma status atq; circuitus lege, tanto tempore perseuerans, vt omnis humana scientia, omnesq; naturalis indaginis vires, velut ad conspectum Gorgonis obstupescant. Sed hoc (vt indicauimus suprà) iam iam venturi consimilis signi, expressioris multo, magisq; diuini fortasse velut præmunciũm potuit appellari. Lucas addit consonionem sonitus maris, & fluctuum sore, pressuram gentium, arescentibus hominibus præ timore & expectatione rerum, quæ orbi superuenturæ sint vniuerso.

Mutationes naturæ aliquas immutabili cõtingẽtes præ cæteris æstimandæ.

¶Decimum signum.

Tunc apparebit signum filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ.

Videte

Videte quàm pulchra sit diuinorum omnium symphonia, quàm nexu perpetuo, signorum numeris, speciebus, atque ordinibus ista consentiant cum exitu populi Israelitici, quando eundem Deus modo mirabili, à persecutione grauissima, ab oppressione Pharaonica liberauit: atq; post 10. *plagas, siue prodigia, sicco pede per medios æstus turbã transiuit electam sibi, malos autem & persecutores nominis sancti submersos ante bonorum oculos, ac reuoluto in semetipsum gurgite maris absorpsit. Adduntur ab Apostolorum principe huiusce temporis portenta ter maxima,* Cæli magno impetu transibunt, & elementa calore liquescent. *ante hunc aduentum nouissimum plærique veterum moti Iohannis vaticinio in Apoc. restare crediderãt millenarium regni in terris noui, quo & vnicus pastor, & vnum ouile fiat; Iudæis cum Turcis, & Christianis ad vnius fidei columen reuocatis, aurea pax cum sorore iustitia mũdum gubernans, lætitiæ sanctæ muneribus impleat vniuersum: sortassis & copotissimum argumento, quòd Christus futurum dixerit, vt quemadmodũ ante diluuium Noach, nubentes, edentes ex improuiso corripuit furor Domini; sic etiam nunc futurum, vt velut iniecto laqueo aduentus hic filij hominis opprimat imparatos, tãquam si nullus ante iudicij diẽ apertis indicijs, inter festa & celebres dies, punctum hoc atrocissimæ tempestatis immineat. Verùm neque si suspicemur plerima cum ratione, quicquam hîc præter Ecclesiam statui debet. Hoc pluribus coniectura probabili in eandem sentẽtiam solet expũdi: Quòd Dei filio mediatori (vt vocant) inter patrẽ & hominẽ, qui medius inter latrones, inter cælũ ac terras, terrãũ medio, suspensis medio die, in orbẽ descendisse comperit, quo par sit annorũ numerus ferè sub euangelij regno, cum cotempore quo tantũ figura illius viguerit in humanis pectoribus exarata. Sed*

Confonantia prodigiorũ veteris ætatis atq; præsentis.

Hæc Chiliastarũ opinio meritò ab Ecclesia reprobatur.

An Christus in media mũdi ætate terras inuiserit.

alia ratio ex aliis authoribus maiore pondere definita est, vti mox audies. Iam verò signorũ classis præteriit vniuersa: sequitur ecce supremum, & cuius gratia tot anteactæ mutationes, atque portenta præcesserant.

¶Et videbunt filium hominis veniéntem in nubibus cæli, cum multa virtute & maiestate. De die autem illa nemo scit, neque angeli cælorum, nisi pater solus, &c.

Dies iudicij quanta maiestate & turbine sit vẽtura.

Erit hæc illa dies quam planioribus verbis vates sanctissimi prædixerunt, vt Ioel 2. propè est dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis: magnus enim dies Domini, & terribilis valde. & Malach. 4. Ecce enim dies illa veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi, & facientes iniquitatẽ stipula. Atque vt Isaias 2. reges, principes, serui, & liberi introeuntes in voragines terræ, dicent montibus, cadite super nos, & collibus, operite nos à facie formidinis Domini, & gloria maiestatis eius.

Aetates mũdi ab Augustino designatæ.

Præterea porrò quæ de Heliæ vaticinio, & 6. milienis annorum anfractibus à chronographis annotãtur: operæpreciũ illa imprimis excutere, quæ à D. August. sunt prodita 13. quæstionum libro, quæst. 58. Illic, quemadmodum in homine sunt ætates 6. mundi quoque totius ætatem pari proportione distribuit.

Hanc diuisionẽ alias in senarium, alias in septenariũ redigi, nihil absurdum est, prout quasq; partes nũccõ pressius nunc explicatius trahunt.

1. *Ab Adamo ad Noën,*	*quæ sit instar*	*Infantiæ.*	
2. *A Noë ad Abrahamum,*		*Pueritiæ.*	
3. *Ab Abrahamo ad Dauidẽ,*		*Adolescentiæ.*	
4. *A Dauide ad trãsmig. Bab.*		*Iuuentutis.*	
5. *A transmig. ad Christum,*		*Consistentiæ.*	
6. *A primo aduentu ad alterũ,*		*Senectutis.*	

Sexta est, inquit, qua homo exterior tanquã senectute corrum-

corrumpitur, qui etiam vetus dicitur, & interior renouatur de die in diem: inde requies interior ſempiterna eſt, quæ ſabbatho ſignificatur: quod futurum credimus ſecundo aduentu Domini; quo in claritate venturus eſt, cuiúſq; præcurſor ſperatur Helias, &c. Hæc ferè verbotenus ex Auguſt. Equidem ſanè iam non ad ſenium modò, vel ſenectutem nos peruenisſe autumo, ſed & ætatẽ decrepitam attigisſe, cuius terminus eſt ſeptima dies, quã figuratè ſcriptura ſacra in hexameri operis creatione deſignat.

Nos in ſenectute verſari.

Refer eôdem omnia quæ Chriſtus in allegoria patris familiæ dixit Matthæi 20, vbi mentionem facit horæ 3. 6. 9. 11. Sed huius loci, & cõſimiliũ, tomo ſuperiore data vberior eſt explicatio.

Huius plenior mentio facta eſt libro ſuperiore, cap. 4.

Verùm quid adeò eſt cur dubitem, num noſtra hæc ætas nouiſſima, ac verè decrepita cẽſeatur? quòd ſi enim à ſicus arbore, iuxta præceptum Domini, rei veritas perdiſcenda eſt, video incuruos homines, effœtos, emeritos, atque (vt ſenectus ipſa morbus exiſtit) ignauia putres & marcidos, crudelitate atque odio tabeſcentes, gelidos in amore diuino, in peſſimarum rerum cupiditate flagrãtes? Iuſtè inuehitur Columella in eos qui putent vbertate nimia prioris æui defatigatum, atque effœtum ſolum nequire priſtina benignitate præbere mortalibus alimẽta: lõgoq; ſitu qualitatem cæli, ſtatumq; mutari: cùm potius hæc vniuerſa nõ naturæ ſenio, ſed noſtri vitio, cui cuncta ſeneſcunt, accepta ſint referenda. Non illos tamen accuſo qui phyſicis fundamentis, ex facultatum naturalium decrementis, vitæ brevitate, ſtaturis corporum imminutis, inuentionis acumine, ingenij maturitate præcoci, & horum congeneribus ſignis mundo ſupremos inſtare carceres arbitrantur. Sed accuſandi grauiter, qui dyſcraſiam exteriorem ſedulò notant, eam verò quæ intus in ipſis pectoribus latet, (quippe quæ

Mũdi ſenectã eſſe in qua verſamur, argumentis variis demõſtratur.

Prima ſenescendi cauſa in nobiſmetipſis.

Naturam nobis cõfenescere.

tot malorũ causa præcipua est) non animaduertunt. Quin & Hipparchum legimus signis eiusmodi monitum prodidisse: aliquando adsore tempus quo cardines mundi loco mouerẽtur. multiq; iam primò ceu notis certissimis deprehendũt, vastos cælorum ambitus, qui Peripateticis quondã naturam inuictam, inalterabilem obtinebãt, quiddã quoq; mutationis & ataxiæ paulatim obijcere sensibus nostris, eámque maiorem indies, quanto magis & nos ipsi mortales à prima perfectione deficimus. Vident enim reuolutionum inæqualitatem in singulis non obscuram: vident & annos solito breuiores: mutatas tãtopere declinationes maximas Solis: mutari celerrimè Planetarum centra, vel apogæa, & perigæa, si Ptolomæi paratereseis, cum istis nostrorum temporum conferantur. Nam ad illius ætatem vsq; cùm Eccentrotis immutabilis haberetur, nunc differentiã reperiunt maiorem gradubus sex & viginti, quemadmodũ instrumentis adbibitis certissimò liquet. Quod si ita est, nõ erit cur Peripatetici nostram sententiam velint conuellere de motu recto syderis noui, vno nimirum hoc axiomate freti, quòd corporum penetratio naturæ sit inconcessa. nam si centra euariant, etiam centrorum circuli, atque cum illis corpora Planetarum in partes alias atq; alias mouebuntur. Certè & cælos nobiscum deferri instar vestimenti, non solùm ex verbis Dauidicis, verũ ex ipso etiam Platone colligitur. Quando naturæ princeps, & architectus rerum à se conditarum inferiores præsides ita alloquitur, Dî Deorũ quorum ego opifex & pater sum, hæc attendite, &c. ait quidem sic se volente mundum indissolubilem factum; sed hanc voluntatem suam illis esse maioris vinculi loco, quàm nexus cæteri, aut seminales in materia rationes, quibus, cũ gignerẽtur, aptainter se, & colligata sint vniuersa. In animalibus quidẽ vna est summè mutabilis regio, quæ in humoribus,

Cælum quoq; mutabile contra quã Peripateticis visum est.

Contra Peripateticos.

Quousq; cælũ indissolubile factum.

Argumentum à simili in animalibus.

moribus, ſpiritibus vagis, nec nõ carnoſis partibus obſeruatur: vnde & temperamentum vagum in illis, ac momentaneum, à morbis quibuſlibet, aliſq; occaſionibus alterabile non abſurda medicorum tulit opinio. Quod autem in ſolidis reſidet exemplar alterius, quippe cæleſti calido, fixoq; ſpiritui penitus adhæreſcens, totum id propè eſt immutabile: ſaltem ad vitæ ſupremos terminos perſeuerat. Attamen paulatim & ifluc cuerritur. nam diſſoluta elementorum ſymmetria, iuſtaq; miſcella (aëriæ potiſſimũ & aqueæ portionis) in diuortium properante, ſimul diſſoluitur ipſe cæleſtis calor, ac rerum quæ inſunt corporibus miſtis, adminiſtratione defungitur. Quid prohibet cælos, ratione conſimili ceu ſolidas partes in vniuerſo, legem quoque mutationis modo vel maximam experiri? cùm Dei voluntas, ac virtus omnium gubernatrix fortaſſis ab opere tanto, velut remiſſis brachiis ſe pedetentim ſubtrahat: ſeu propter degeneres fœtus, ſubnaſcẽtemq; humani generis antipathiam, naturæ communioris ampliſſimam ſedẽ, remos, & gubernacula deſtituat: vt quodam receſſu materiæ ab opifice ſuo ac moderatore, illa cõcretionis æquabilis olim, lucisq; præſtantia non aliter eneruetur, quàm ferro ſemel impreſſæ qualitas ab heraclео lapide, per longiorem ipſius intercapedinem elanguеſcit. At iſta quidem mutatio, rebus alioquin immutabilibus facta, mundi ruinã non procul abeſſe ſignificat, ſed tamen duntaxat ex accidente demonſtrat: cùm aliud quiddã ſit multo interius, quod nos in rebus externis oculatiſſimos, intus & oculis prorſus & auribus priuat, vniuerſam tamen hanc ſeriem ſecum celerrimè in exitium rapit. Tunc enim tempeſtiuum eſt lyram abiicere, quando non ſolùm in ſingulis neruis turpis eſt diſſonãtia, ſed & interior vterus abſurdeſcens modũ proportionis amiſit, pereuntq; tonorũ ſpatia, cervicis vincula, verticilli, quibus non modò

Vt ſpiritus duplex ita & tẽperamentũ & natura partiũ vel inſitus calor.

Quaratione ſenſim & cæli vis elãgueſcat.

Interitus vniuerſi ex alia cauſa interiore ac validiore dependet.

Simile.

Exeurſus in noſtri ſæculi mores, ac fortunæ Belgicæ deploratio, quæ παραλειθόμενα nō procul abeſſe ſignificet.

modò chordarum prima connexio, ſed & totius muſicæ ratio continetur. Quid autem hoc manifeſtius, ſi ſolam fortunam Belgicam, noſtriq; tam ſerrei ſæcli mores ante oculos ponamus? poſtquam extincta iam pietate amoris mutui, religionis ac iuriſiurandi vinculis ruptis, ſacra, profana promiſcuè violentur: vt vix amicum ab hoſte amplius, vix lupum (quod aiunt) à cane diſtinguas. Loquuntur tot cædes infandæ, tot ſacra diuorum pedibus conculcata, tot virgines raptæ, tot matronarum ſtupra & corruptelæ, tot monachi, ſacerdotes, ac nobiles viri infandis generibus mortis, horrendæ ſupplicij crudelitate perempti. Liberet nunc eò prorumpere, hēu quæ nunc tandem tellus, quæ me æquora poſſint accipere! Miramur exteros? hoſtémne metuimus circūfuſum? vide quò noſtræ regionis integritas ceſſit? ipſi inter ſe domeſtici viri, ijſdem partibus nati, coniuncti ſanguine, ab ijſdem vberibus cōnutriti, bella inter ſe, bella impia fouent, iṁq; perniciem mutuam, direptionem, & contumeliam ceu concitati furiis agitantur. O te infelicē ſelix quondam Brabantia, cui tantum abeſt vt opem vicini ferant, quin confluentes vndique, tanquam leoni mortuo petulanter inſultent. Iam verò accuſent alios alij, potius quàm ſemetipſos: equidē nunc primùm præſtantes Italiæ, Hiſpaniæ, atq; Germaniæ populos miror. In his profectò laborem, induſtriam, maturitatem, humanitatem erga genus imbelle: in illis conſtantiam ſortem, fidelitatem mutuam, amorem & ſtudia erga tum doctos, tum bonos atq; præclaros viros, quîs ſæpe vel medio Martis in turbine pepercerunt. At nobis iam genus hoc nouum ex locis ſimitimis prodit, nulli fidum, nulli miſericors: nil niſi rapinā, & ſpolia ſpirans: quod omnes externos in peſſimis imitatur: nullum exactè in ſolis vinitutibus refert. Quare quo monſtri, aut portenti nomine vocem neſcio. nam vnum hoc verè con-

Nō ſocer à genero nō hoſpes ab hoſpite tutus.

Regionē hanc ſuismet viribus perire priusquā alienis.

flatum

flatum ex variis Geryoni, Sphingi, Chimæræ proximũ adulationem ambitiosam, leuitatem atq; perfidiam haurit ex semetipso: Germanicum luxum in perpetuam temulentiã; Hispaniæ seueritatem in crudelitatẽ Turcicam vertit. Et hæc quidem omnia sub defensionis nomine, sub prætextu iustitiæ ac religionis amplissimo, quo ferè, cùm non sit efficacior alius, aut conciliandis cœtubus oportunior, solet facillimè tum capitum multorum turpis ambitio, tum seditiosæ plebis ad res nouandas innata cupiditas tegi: quanquam si tectum illud interius, si facta moresq; inspicias, inter affectus cæteros odio, fastu, auaritia, humani sanguinis siti potissimum flagrent: pro Deo verbis depugnent, re ipsa se atheos esse commonstrent. Velim hîc eius farinæ ingeniæ vocem diuini spiritus audiant Psalmo 14. Dixit insipiens in corde suo, nõ est Deus, &c. Sed magis 50. Peccatori autem dixit Deus, quare tu narras iustitias meas, atq; assumis testamentum meum per os tuum? tu verò odisti disciplinam, &c. Verùm hæc oscitãter audiunt omnes, venit veternus immedicabilis, Heu mentem, & stupidos alè sopor occupat artus: adeoq; internis dissidiis Christiana respub. flagrat, vt imminẽtem ruinam foris, imò iam humeris incumbentem minimè sentiamus. Dicã liberè: nam nisi tandem depositis armis, hi quidem à rebellionis proposito quicquam, illi à vindictæ nimia seueritate remiserint: ni conciliatis animis, omniq; errorũ nube discussa, in solidam pacem atque securam, in vnitatem Ecclesiæ, religionis, inq; amorem mutuum sociemur: hoc sanè sit omnibus prolatũ oraculi loco indubitati, ac longè certissimi, (quod quidem non astra, sed rerum consensus siue connexio prodit) tempus propediem fore, vt idem obueniat nobis, totiq; reipub. Christ. quod in festiuaranarũ, & muriũ pugna depinxit Aesopus: vt magna mortalium parte sublata, principibus viris

prætextus dæmonũ astuq; prodigiosus.

Quò nostra hæc dissidia tandem euadant, vide.

viris ad internecionem mutuam implicatis, exhaustis æra-
riis, depræda tis agris, castrorum ac ciuitatum dirutis mu-
Animi plebis muri fortissimi. nimentis, auersis animis hominum, ac studiis inter se (quæ
valli fuerant quondã tutissimi loco) illum ex insidiis erum-
pentem subitò videamus, qui ex professo se Christiani no-
minis hostem fecit: qui nunc astutè tanquam in specula
latens, altos cuniculos agit, terra mariq; classem instru-
ctissimam parat, vnumq; id tempus expectat, quo penè cõ-
uulsos, obrutos somno, confractos propria mole, nullo dein-
ceps negotio comprehendat, interq; prostratos sæuiens in-
Tyrannis Turcica- star Leonis, seu rapacis miluij, viuos exenteret atque de-
glubat. Vtinam verò hæc videant atque intelligant maturè
principes viri, ac subleuatis in cælũ oculis, patrem amoris,
Clementiæ, pacis, ac moderationis encomium. clementiæ, totius benignitatis, qui solem suum probis iuxtà
& improbis oriri facit, vestigiis propioribus imitentur:
ideoq; non ea prodigalitate sanguinis Christiani propria
hæc laniari viscera, diuelli articulos, ossa collidi iam sibi nõ
sinant effectura vlterius patiantur. non hîc se degere sciant tan-
quam perpetuò permansuros: non sathanæ regnum posse
cum Christi nomine conspirare: illud in fraudes ac cædes
assiduè rapi: istud non aliò quàm vt pacem loquatur plebi
suæ; iis qui pœnitentiam agunt, sedem quietam præbeat,
plenam gratiæ & veritatis. Quod optimè vidit B. Ignatius
martyr epist. 6. vidit & B. Dionysius in ea epistola quam
de castigandi modo, & ordine, ad Demophilum exarauit,
Ostentũ mirabile ex epist. B. Dionysij. prodigiosam Christi clementiam in archetypum figens: dũ
Carpo cuidam seueriori in vindicãdis impiis, cælo visus de-
scendere, ac porrecta dextra latus offerre, paratum denuò
quò salutis humanæ causa lethale vulnus exciperet, dum-
modò in posterum peccare desistant. Sed hæc prolixius iusto
in speciem concionis politicæ succreuerunt, & nequicquam
forsitan auris discerpta fugacibus volant, cũ stupet insanis

acies

acies fulgoribus, & cùm accliues animi falsis meliora recusant. Vultis ad medicinam ceu propria septa resiliam? nulli nota magis domus est sua. Referam admirabilẽ casum, à morbo publico & curatione non alienum: ne frustrà putetis libro superiore nos docuisse, quòd vna sit ars & ratio curãdi humani corporis, animiq; ægroti, ac regni cuiusquam vel ciuitatis afflictæ.

Salutis publicæ viã ex arte cyclognomica & medicina fontibus rectè diduci.

Magni nominis mulier, nobilitate atque opibus potens, pietatis, formæ, variarumq; virtutum insignibus longè clarissima, virum consimilem nacta, diu festos atque hilares dies in amore solido transigebat. Fato contigit, vt postquã hæc succulentia cum flore ætatis suæ ad habitum illũ athleticum imprimis suspectum Hippocrati peruenisset, repentè vterus intumescens nouæ alicuius sobolis, siue conceptus spem de se amplissimam daret. Nihil interim illa opes habere suspectas suas. Accidere singula quæ primùm gestantibus solẽt, eructationes crebræ, vomitiones, fastidia, (Græci κίττην καὶ μελαγχλωσίαν vocant) pallor in facie, stupor in cruribus, vertigo & somnolẽtia, cæteraq; eiusmodi. Sed cũ paulatim & rigor, & animæ defectiones, maiorẽsq; concussiones interiorũ orirentur: cœpit hîc ipsius affectus mali maioris suspicandi causam tum medicis tum obstetricibus dare: qui tamen omnes absente marito nihil tentandum rectè cogitabant. plures etenim mensibus primis purgare corpus, detrahere sanguinem mole sua, & qualitate peccãtem abortus vitio metuebãt: iuxta Aphor. Hipp. 1. sect. 4. Grauidæ mulieres sunt medicandæ, &c. Erat aliorum alia ratio, atque in sententiam planè contrariam vergens, cui tamen & legislatoris eiusdem norma subscribit, vacuandũ esse in acutis, quoties materies turget, ac vires constant, vel eodem die. Sic vtrorumq; dissentientium finis in consultãdo & vnus, & integer fuit, iisdémq; principiis ambo, cõsimilibus

Casus mulieris grauidæ in exemplũ collocatus.

Consultationes medicæ ex iisdẽ principiis in eundem scopum pertinẽtes, in ipsa tamẽ inuentione medijs sæpissimè pugnant.

libus viis, à morbi videlicet ac laborantis cõstitutione, tendebant. Verùm in melioris electione, propter quãtitatis æstimationem, dißidium vertebatur. Hanc enim non semper ingenioßis, non exercitatis aperit Deus, ßed ßibi ßecretò ßeruat, inßpirans hominibus quibus, & quando maximè velit. Placuit demum tanta difficultate rerum, ex differentibus hißce conßiliis vnum facere. Detractus eßt ßanguis, ßed moderatius primò: inde paulatim copioßius, nequid præcipiti ßubductione periculi tum in coneptum teneriorem, tum in mulierem grauidam redundaret. Et iam afflictæ quædã tranquillitas maior, ceu ßalutis ßpes affulßerat: cũ progreßßu temporis aliud maius ße aperuit malum. Nam & liberiores medici venturæ hydropis metu validiora cathartica inßuper obtrußerunt, quanquam nunc quartus à conceptu menßis, vitalem fœtum in vtero demonßtraret. Hinc verò naturæ tenerrimæ cõcußßa & cõcita vis vniuerßa eßt. vt quãuis validè purgaretur, ventrem tamen inflari amplius, tum robur & impetum fœtus magis, magîßque diminui ßenßerit. Quin eò res rediit, vt præter obßtructiones, aquoßi humoris copiam, & febris lenta ßuccreßceret, extincto propemodum calore natiuo; tum quod grauißimum videbatur, multis ac variis argumẽtis, vt torßione, palpitatione cordis, frequenti cõuulßione, lipothymia, certò collegimus & molam quampiã, vel aliud monßtro quid ßimile, cũ embryone in vtero contineri: quod victus errore ßæpißimè, aut intempeßtiuis pharmacis natum, omne non ßolùm fœtus alimentum ad ße reuellat, ßed fœtum vnà cum muliere rodendo ßenßim, ßugendóq; conficiat. Orta eßt cõtrouerßia noua; volentibus aliis, maturè fœtum vel cum ipßa conceptæ carnis illuuie deturbandum, quo ßalus ægrotæ fœminæ procuretur: aliis verò, paulatim eße purgandum, quo ßimul & matri & puero conßulatur: plurimi verò, qui virtutem fœminæ impri-

Difficultas præcipua in electione potioris.

Multitudo medicorum perdidit Cęßarem, vt in prouerbio eßt.

Videquã multis inter ße luctantibus ßæpè doctorũ ßententię propter æßtimationẽ potioris in diuerßa ferãtur,

imprimis habuere ſuſpectam, à tot tantisq; purgationibus temperandum pentus, deſiſtendumq; ab omni vel leuiorũ medicaminum genere iudicabant. Hoc autem reſolutione pulcherrima ab ipſo fine, per medias cauſas & elementa, quemadmodum in opere Cyclognomico demõſtratum eſt. Exempli gratia, finis eſt, fœtum vitalem cum ipſa muliere ſaluum in vtero, inter tot cruces & calamitates grauiſſimas retinere: ſalus dari non poteſt niſi duobus ante omnia procuratis: quorum præcipuum eſt virtutem in grauidis integram conſeruare; quòd natura cuiuſq; ſiue inſitus calor ſit primarium inſtrumentum, quo ſimilium conſeruatio, extraneorum expulſio fiat, cunctarumq; partium, humorum, ſpirituum harmonia perpetua foueatur, imò & præſidiorum, vel medicaminum virtus ex poteſtate in actũ redigatur: vno etenim hoc nobis deficiente, nequicquam in reliquis laboratur. Alterum verò, ſed ſecundarium eſt, vt cuncta naturæ obſtacula ſeu viribus matris, ſeu maturando fœtui aduerſaria ſecludantur. Eiuſmodi nunc multa coincidunt inter ſe pugnãtia palam: vt febris, & hydrops, & atrophia, & mola potiſſimum in vtero confirmata. Sed quia illorum quæ præ cæteris vrgent, & prima debeat eſſe curatio: maſſam hanc inutilem, affixã cotyledonibus oportet expellere: quòd nimirum matri, conceptui, exæquo ſit perniciosa, ac medicorum aggreſſiones cæteras remoretur. Verùm dependet ijſdem radicibus, membranis, venis, arteriis, quibus infelix embryo continetur: vt nec ſine abortus, neque ingentis hæmorrhagiæ diſcrimine, ſolũ quod vniuerſo infeſtum eſt, poſſit excludi: tum virtus grauidi ex anteactis detractionibus nimium fracta, vſum vlteriorem medicaminum interdicit. Adeſt & nauſea, & appetitus deiectio, quæ nec medicinæ pocula nec pharmaci nomen potis eſt ſuſtinere. Quid pharmaca dixi? imò ne cibos quidẽ, aut

Analyticæ methodi vel reſolutoriæ παράδειγμα perſpicuum.

Virtutis prima vbiq; habenda ratio.

Indicationum pugna.

Molæ ſubnaſcẽtis periculũ.

Prudẽtia nauitæ potiſſimũ in tempeſtate cõſpicitur: medici verò in morbis, cũ agendarũ rerũ rationes maximè pugnant.

potius, quibus ipſa deiectio virium ſit inſtaurãda. Quònam igitur hæc indicationũ contrariarum turba deuergit? num & medicus ipſe tanquam otioſus nauita ventis, & fluctubus vela committet, dum rerum euentus ancipites timet, interea & meliora deos ſedet omnia poſcens? nequaquam verò: ſed inter procellas, æſtusq; contrarios ne impellendo in ſyrteis & ſaxa detorqueat, ſerè ad momenta ſingula formam conſilij temperabit, medicamenta ſeuiora reiiciet, naturam tenerrimam ſibi perſpectam, maiori ex parte cõfirmans, quòd ea omnium moderatrix alimentis, potubus,

Naturæ prudentia.

vel pauxillulum roborata, opes vberrimas contineat in ſemetipſa: ac ſæpenumero per quietem placidam, abſtinentiam nudam, ſpontaneas aggreſſiones faciat, vel ipſis medicis inſperatas, quibus non modò (vt. Epid. 6. Hipp.) conſeruat propria, aliena repurgat, verùm & ſeipſam maturitatis ſubſidio in formæ prioris redigit εὐφυΐαν. Quare vbi

Per indicationes contrarias via exactè media, vel in vtrumq; latus ſenſim & cauendo extrema eſt nauigandum.

ſe talis offert occaſio, ſi quidem in vigore conſiſtit morbus, ipſaq; naturæ interior vis ſpontaneos motus prudenter inſtituit, totum illi negotium penitus permittendum eſt: ſiue irritata potius vel oppreſſa in ſuis conatibus antè deficiat, profectò ad inſtrumentum recurrimus, quod medici antiquiores ἐπίκρασιν appellarunt; vbi alternis in vires incumbitur, alternus in purgationẽ reipernicioſæ. Sed quo Mercurio duce nunc illud ſe nobis aperiet, vt inter tot ſcopulos rebus ita pugnantibus non modò quid ſit agendum ratione certiſſima cognoſcamus, verùm & quantum, & quando,

Vide Gal. 9. Therap.

Circa rerũ extremas peripateſeis exactã cognitionem ſolũ diuinitus expectandam.

& vbi conueniat, qua denique moderationis lege, vel ordine vniuerſum hoc medicationis curriculum poſſit expleri? iam enim ex illa nimis communi rerum indagine, repentè ad ſcrupula, ſeu naturam inſectilem vſque prouoluimur. Profectò, vt aliàs demonſtraui, omnium diſciplinarum error præcipuus in rerum æſtimanda quantitate ſepultus latet:

ret: Deus enim ſoli arcanæ ſcientiæ ſuæ rerum menſuras, & ponderaſeruat. Quare poſt omnem ἀνάλυσιν eò eſt veniendum, vt imploretur cælitus ille luminum parens, cuius ſpiritu mens accenſa, ac ſeipſa illuſtrior, cuncta perſpiciat, quæ nullis alioqui humanis oculis patent, neque viribus cedunt, nec rationum diſcurſibus eruũtur. Multos enim medicos ad artis ſpecimen natura ingenioſos, præſtantes induſtria reddidit: ſola pietas, ac numinis imploratio verè felices facit. Nam quantumcumque exacta methodus ſit in ſubſidium rationis, imaginatrix animæ pars per vſum præcipuè, exempla, atque hiſtorias confirmetur: reſtãt tamen ab intellectu notiones cælitus hauriendæ, cùm ſanctæ & tacitæ aſpirationis influxu, qui ſecum luctantes analogiſmos, atque epilogiſmos in vnum poſſit adducere, cuiuſq; arbitrio omne quod multiplex eſt, ac diſforme ſibimetipſi ceu baſi firmiſſima teneatur. Quòd autẽ affixi rebus præſentibus tam ſegniter illa ſpectemus, adeoq; circa res æſtimandas verè vt ſunt, infinitis errorùm laqueis implicemur, rationem aperuit Proteus apud humanum genus, vel Ariſteum multiformis naturæ ſymbolũ repræſentans, Georg. 4.

Reſolutionis finis & cõpoſitionis initium.

Principiorum mutua cõſpiratio latius in cyclonomicis exarata.

Progreſſio ad myſticum ſenſum totius fabulæ Orphei, atque Euridices.

Non te nullius exercent numinis iræ,
Magna lues commiſſa tibi has miſerabilis Orpheus
Haud quaquam ob meritum pœnas (niſi fata reſiſtant)
Suſcitat, & rapta grauiter pro coniuge ſæuit.
Illa quidem dum te fugeret per flumina præceps,
Immanem ante pedes hydrum moritura puella
Seruantem ripas alta non vïdit in herba.

Deſignat hîc Orpheus intellectus agentis vim admirabilem, cuncta ſerarum genera demulcẽtem. Hic ſibi per harmoniam corporis, rationis paſſibilem vim ſiue Eurydicen ẽlicet à primis mundi cunabulis in vxorem duxit. Ea verò

Coniugij ratio.

Eurydices mors.

conſpiciens humanæ infelicitatis idolum, quod ſe relictam paulisper ab intellectu velut apprehenſurum proximè ſequebatur, tota in ſenſus defluit, atque hinc per phantaſiam multiplicem erroribus vitæ obnoxiam, velut ab hydro immaniſſimo puncta, vitam, quæ propriè fuit in intellectu, rerum ſenſibilium tenebris, ac miſeranda morte commutat. At quantus hîc Orpheo dolor, paulò poſt reſerens docet.

Vita hominis duplex integra ante peccatũ, poſt peccatum lex deſcenſu animi labefactata.

Ipſe cava ſolans ægrum teſtudine amorem
Te dulcis coniunx, te ſolo in littore ſecum,
Te veniente die, te decedente canebat:
Tænarias etiam fauces, alta oſtia ditis,
Et caligantem nigra formidine lucum
Ingreſſus, manéſq; adiit, regémq; tremendum,
Neſciaq; humanis precibus manſueſcere corda.

Deſcenſus Orphei ad inferos.

Sic intellectus ab alto defluens, affixam ſenſibus rationem velut Orco demerſam, rurſus virtute muſica, ſeu per concentus virtutum optimarum, & notionum in ſuperas auras reuellere ſtudet. Sic Deus miſertus humani generis poſt peccatum rebellionis longè grauiſſimum, in terras ſeſe demiſit, quo ſuperatis inferis, noſtriſq; ſceleribus expiatis, ſibi deſponſatam Eccleſiam à tenebricoſo rege in lucis æternæ conſortium vindicaret.

Muſicæ vis.

At cantu commotæ Erebi de ſedibus imis
Vmbræ ibant tenues, &c.

Etenim ad intellectus argutos radios, auramq; planè diuinam, omnes tum rationum diſcurſus illuſtrati, tũ varia idola ſenſuum ſimulachra rationis expertia penitus obſtupeſcunt.

Iamq; pedem referens caſus euaſerat omnes,
Redditáq; Eurydice ſuperas veniebat ad auras:
Cùm ſubita incautum dementia cepit amantem,

Ignoſcen-

Ignoſcenda quidem, ſcirent ſi gnoſcere Manes:
Reſtitit, Eurydicénque ſuam iam luce ſub ipſa
Immemor heu, victúſq; animi reſpexit:

Relapſus Eurydices ante vestibulum Ditis.

Amor ſanè fortiſſimus, arctúmq; conſortium rationis viriuſque, facit vt intellectus illa vis agens & maſcula fœmineam ſibi repertam in tenebris reſpiciat ſemper, ideóq; non ante præfixum fati curriculum extra portas infernas hanc ſecum omnino in campos æthereos reducere poſſit. quin poſtquam Eurydice nudam hanc intellectus aciem ad ſe conuerſam, & luce clariſſima radiantem, ex tenebrarũ diuturna conſuetudine non admodum ferat, non mirum ſi iuxta Proſerpinæ legem rurſus in poſteriora, loci nimirum ac temporis ſpeciebus abrepta, feratur. Ibi omnis

Qui Manes abripiátratione nem ab intellectu.

Effuſus labor, atq; immitis rupta tyranni
Fœdera, térq; fragor ſtagnis auditus Auernis.
Illa quis & me, inquit, miſerã, & te perdidit Orpheu?
Quis tantus furor? en iterum crudelia retrò
Fata vocant, conditq; natantia lumina ſommus:
Iamq; vale, feror ingenti circundata nocte,
Invalidáſque tibi tendens heu non tua palmas.
Dixit, & ex occultis ſubitò, &c.

Nequicquam agit mentis ſuprema particula, quãtumuis Deo contermina, dum tamen ad harmoniam corporis alligata ſequeſtrare conatur à ſenſubus rationem, totámq; ad ſe reuellere ſtudet, inq; vnionem perfectiſſimam retinere. Nam ipſo ſollicito nimis intuitu mentis in rationem & ſenſibilia ſimulachra, quam penè ſubuexerat facultatem, prope veſtibulum Ditis rurſus amittit, atque in ſua relabi veſtigia cogit. Quare hoc caſu tam deplorando attonitus intellectus

Orphei planctus de miſerando coniugis fato.

Quid faciat? quò ſe rapta bis coniuge vertat?
Septem illum totos perhibent ex ordine menſes

Rupe ſub aërea, deſerti ad Strymonis vndam
Fleuiſſe, & gelidis hæc euoluiſſe ſub antris,
Mulcentem tigres, & agentem carmine quercus.

Orphei miſerandus interitus.

Sunt hæ ſeptenæ periodi Planetarum ad ætatum noſtrarum numerum, atque naturam aptiſſimè cõgruentes, neq; prius hîc animi dolor, querelæ carminis, oculorũ lachrymæ ceſſant, quàm diſſoluta compage corporis, per furorẽ Bacchidum (elementorum intelligit ametriam) diſcerptus Orpheus intereat, atque intellectus à cõrpore ſeparetur. Nam iſtic per gelidos montes, iuga vaſta procellis, dum vitã ſibi acerbam ducit,

Nullæ Venus, nulliq; animum flexere Hymenæi:
Solus Hyperboreas glacies, Tanaimq; niualem,
Aruaq; Riphæis nunquam viduata pruinis
Perluſtrat, raptam Eurydicen, atque irrita ditis
Dona quærens, ſpretæ Cyconum quo munere matres
Inter ſacra Deûm, nocturnáq; orgya Bacchi
Diſreptum latè iuuenem ſparſere per agros.

Amoris magnitudo pulchrè delineata.

Vt autem amoris magnitudinem etiam poſt fata ſuperſtitem explicarit, ita ſubiungit,

Tum quoq; marmorea capiit à ceruice reuulſum
Gurgite cùm medio portans Oeagrius Hebrus
Volueret, Eurydicen vox ipſa, & frigida lingua,
Ah miſeram Eurydicen anima fugiente vocabat.
Eurydicen toto referebant flumine ripæ.

Hic ille tragicus ſe deperemtium finis: hæc vna fatalis eſt ſeparatio, non potentiarum inter ſe, ſed animæ totius à corpore: quæ & ſupremum imponet ærumnis, atque anguſtiis finem: cùm illa inferior virtus, velut à ſopore altiſſimo fuerit experrecta; cùm illa ſuperior quoque à craſſiore muſica, diuinam alteram reſonantem ex æthere longè puriſſimo comprehendet. tunc, tunc cõiunctis viribus ſociatæ, ſine

Orphei atque Eurldices ἀναθέωσις.

nube

nube aut intermedio ſepto, in Veneris ceſtum indiſſolubilem coaleſcent, fructumq; amoris perpetui conſequentur. Ceſtus indiſſolubilis.

Soluet lethargicum ſomnum Phœbus ille ſplendoris æterni, in ſingulis quidem cum proprio fato quiſque ceſſerit, pœnam aut præmium promerito relaturus: ſoluet in tota Eccleſia, quando poſt mille perſecutiones grauiſſimas, illam diſcerptam miſerè, rurſus in integrum ponet, ac nitori priſtino reddens, inter tot vmbras & latebras veriſalſiq; diſcrimen aperiet. Allegoriæ caput in Eccleſia & ſingulis membris.

Quare vt tandem his Orci compedibus expediti, in atrium domini, ac lucẽ puriſſimam euolemus: luſtrentur oculi mentis, atque ad aſcenſus obſtacula ſubmouenda, hymnum hunc ſuauiſſimum ab imis pectoribus, ex Orphei verè diuini cythara concinamus. Operis nuptiæ.

Carmen conſolatorium.

Pſalmi 125.

Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion immobilis in ſæculum manens.

IAm fera tempeſtas terris, iam ferueat alto:
Iam breuia & Syrtes, Erebi ſpiracla debiſcant:
Fulguribus, ventis ruàt ipſo à cardine mundus:
Cui vigor & conſtans animo fiducia rerum,
Cui ſpes in Domino ſedet alta mente repoſta,
Ceu mons immani conſurgens vertice Sion,
Seu domus, æthereas cui tantùm culmen in auras
Subrigitur, quantum radix in tartara tendit:
Ille etiam pelagiq; minas, cæliq; procellas,
Murmuráq; inſano ridens reſonantia Ponto,
Integer, immotus manet, æternúmq; manebit.
Aſpice vallatam Solymæ tot montibus vrbem,
Et iuga circuitu veteris pendentia ſaxi:
Illa quidem haud fragili muros cinxere corona;
Fortior at virtus Domini, quæ mœnia circum,

Quæ circum populiq3 fui, templiq3 ſenatum,
Arces, & pluteos, & propugnacula firmat:
Non vi, non hominum ſæclo conceſſa moueri.
Nam licet in miſeros ſceleratæ inſania gentis
Impunita diu, & vaſto ſublata tumore
Sæuiat, vt præceps maris implacabilis æſtus:
Ne tamen hac rerum facie concuſſa piorum
Genua labent, neu qui ſenſus exempla ſecuti
Dormitare Deum, promiſſaq3 inania ducant,
Atque alios falſa ſumant ab imagine vultus:
Iam veniet, iam, iam dextræ diuina potentis
Gloria, ſupremis velox à partibus orbis
Ingruet, infeſtas acies, arma impia frangens.
Tum prius aduerſo fortunæ turbine preſſis
Abſtergi lachrymas, puraq3 in luce videbunt
Nigrantes circum circa perrumpere nymbos,
Inuertiq3 vices praui, & mutabilis æui.

Mactè boni radiis: verbi ſapientia mactè
Muneribus, quæ cuiq3 ſuo pro iure paraſti.
Perge piis, perge ô vultu aſpirare ſereno,
Et capita inuiſi generis fugitantia recti,
Ocyus illa tui cum vento flamma furoris
Abripiat quôuis, ſcopuloq3 infigat acuto.
At terræ, populisq3 tuis Pax aurea palmis
Vberibus, ramum expediant frondentis oliuæ.
Quam ſaliant circum pueri, innuptæq3 puellæ,
Matres, atq3 viri: colles, ipſa æquora plauſus
Ingeminent: clara teſtentur voce, Deorum
Te Patrem, ac Dominum æternos regnare per annos.

Cogitaui vt intelligerem hæc, ſed labor eſt coram me: Donec intrem in ſanctuaria Dei, & intelligam nouiſſima eorum. *Pſalmo 72.*

Τέλος.

Caſus

Casus mirabilis cuiusdam abscessus in puella Louaniensi, relatus nuper in prodigiorum classem, istic vberius in medicorum gratiam explicatur.

PVella nobis vicina, filia doliarij fabri, annum agẽs ætatis decimum quintũ: habitu corporis mediocriter succulento, formæ venustate atque ingenio nõ vulgari, cui tamen in vultu subtristis quædam alacritas misturam æquabilem humoris sanguinei & melãcholici præ se ferret, (nomen huic inditum Catharina Gualteri) cœpit lãguere variis symptomatibus circa Ianuarium anni, 1571. menses bis terúe processerãt: sed à morbi initio statim suppressi insignem totius corporis lassitudinem pepererunt, eius generis quam φλεγμονώδην Galenus appellat. magna fuit veneni suspicio, quòd à gentili & coætanea quadam quã sibi offensam semel, & minitatam grauiter antè meminerat, obtrusum libamenti frustulum accepisset, in quo mandendo se sensisse dicebat saporem non prorsus extraneum, sed asperitatem deglutioni resistentem. Atqui ab eo tempore cœpit primùm angi circa præcordia, extenuari plurimum, vomere per interualla, aorexiam, vertiginem pati, aliísque propè quæ grauidis solent accidere, infandis symptomatibus conflictari: potissimũ tamen quarto mense & septimo: nam circa medium Iunij febres occultæ sensim in manifestas abierunt, cum siti & quadam conuulsionis specie, animíq; deliquio. Interdum verò sic auctus est dolor, vt instar furibundæ de loco in locum continuè fluctuaret. Sæpe inflatis præcordiis multò vehementius quàm in hystericis solent, eò angustiæ venit, vt nigricante facie, fauces velut ab iecto laqueo premerentur. Nec leue illud spectaculum fuit: tres, quatuórue ministri quantumuis robustissimi, vix retinẽdæ

Morbi occasiones atque præludia.

symptomata indies grauiora.

sufficiebant: quin repentè exiliens lecto in omnem conuul-sionis speciem torqueretur: vt magno horrore assistentium, plerique obsessam virginem à malo dæmonio clamitarent. Hæc mala cùm se per vices intenderẽt, atque remitterent: mense Augusto, qui nonus ab initio fuit, exacerbata sunt supra modum. Fortè euenit, vt tum pertæsi primùm mole-stiæ, spem serè quam antè conceperant ex vnius naturæ in-tegritate, deponerent: & (quæ nostratum hominum con-suetudo est) in summo turbine tentandam medicorũ operã iudicarent. Ventum est ad me primò, quòd cæteris vicinior forem: sed cùm abessem, quo tempore mors in limine vide-retur, accitus est D. Doctor Beausardus: qui vt conspexit afflictam miserè, non malè à vermibus mali ferociam est suspicatus. Præscriptum audio puluerem ex cornu mono-cerotis: qui cũ in officinis ægrè parabilis esset, euenit intereã vt post terribiles cruciatus sponte cõcita vis naturæ, anguil-lam viuam per posteriora detruderet, quam ad me protinus

Anguillæ viuę excretio por-rentosa per sedem.

detulerunt. Erat illi legitima forma cum tota specie, cras-situdo pollice maior, longitudo pedis vnius atque dimidij. Aderant illi & squamæ & oculi, & spina, & cauda vni-uersim vt in anguillis solet. Quin quod magis mirere, tri-duò ante quàm foras eruperit, auditum narrant bis térue in vtero sonum, non ipsi puellæ modò sed & astantibus cir-cumquaque, velut argutum, & tenuem ab angue produ-ctum: & cùm egereret, manifestè puella retulit se sensisse, quòd primùm exerto capite se retraheret per posticam, in-de cũ impetu exiliret. Iacebat anguilla diu inter fæces ve-lut exanimis, sed iniecta in vrnam aqua plenam, reuixit denuò. Cessarunt ab huius excretione dolores illi extremè feroces. Sed quæ sequuntur stupenda magis symptomata, nihil est quòd præcedentibus conferantur. Hactenus velut partus ab vteri gestatione successit: supereſt puerperium, dũ

boni

boni quàm admirabile! Anguilla, quam mortuam exente- Præstigiosum
ratam q3 suspenderant loco sublimi ab animalibus tuto, re- quiddam.
pẽtè euanuit. Puella interim cœpit euomere ingentẽ aquosi humoris copiam, quã ego tum quoque vocatus vidi humano lotio non absimilem, saporis vt ipsa narrabat absurdi. Durauit ea vomitio plus 14. dies, singulis profectò exonerans supra libras 24. vel vt vulgo nominãt gheltas 3. Testor hæc omnia nobis non ex relatione describi, vidi inter alios his oculis meis, atque his manibus contrectaui. Nec magis obstupui, quàm vbi vidissem tanta humiditate per os excreta, nihilominus vrinam interdiu bis téruereddere copiosam: quòd nullus in ventre tumor, nulla in toto corpore inflatio exterius appareret: quòd ipsa puella potus ac cibi paucissimi, vix vnum cyathum vini, aut cereuisiæ, aut liquoris alterius potitaret. Eò venit hæc aquæ excretæ abũdantia, vt spatio duarum septimanarum facilè amas duas implere potuerit. Antea quidem bellè cũ cæteris ratiocinabar, tanquam hactenus visa in ipsius putredinis modo causarumq3 effectricium analogia, naturam suam quantumuis recondit am obtinerent. Sed hæc tam enormis quantitatis ratio, quòd omnem vim superet intellectus, certam apud me suspicionem prodigij fecit, ac latere in eo quippiam vel summè diuinum, supra corpoream molem, supra syndromen physicam, spiritum, atque animæ facultatem, vt ex progressu rerum euidentissimè liquet. Namq3 post decimũ quartum diem, singula rursus accuratissimè in examen reuocans, ventrem offendi compressum & planum, vrinas sanorum lotio non admodum differentes: pulsus, respiratio non omnino præter naturã, nisi cũ paroxysmus inuaderet, tunc enim vtriusque facultatis quædam oppressio, vel plena abolitio ad multum temporis videbatur. Quæsiui num in hypochõdriorum altero quicquam persentisceret: aiebat

Vomitus mirabilis.

Nota quantitatẽ prodigiosam, ex qua primũ diuinitatis character effulsit.

Inquisitio medica etiam circa casus morborũ prodigiosos.

multum

multum ſibi dolere ſiniſtrum latus, ab eo tempore quo anguillam excreuerit, imò & dudũ antè; ſed prius ſuiſſe alicuius ponderis ſenſum, nunc etiam morſum & acrimoniã acceßiſſe. Quin cũ validius premerem, offendi ſe grauiter dixit, nec parua parentis hac de re admiratio ſubiit, quòd ipſius hoc prius tentãndo inuenerim, quã cuiquam à laborante proditum fuit. Nam ipſa virgũcula præ doloris acerbitate, non omnia referebat: ſed interrogata ad ſingula, quorum meminerat, exacta ratione reſpondit. Cùm enim

Methodus inueſtigandi loci affecti.

curaturo oporteat alia quædam reſpicere, ac præſertim cõtinentes & proximas cauſas, formam affectionis ſcilicet, locum affectum, & materiem (ſi qua ſit) ea ſede contentã: cœpi per reſolutionem altius cogitare, ac ſtatim id ſubiit, anguillam eiuſmodi non potuiſſe tam diu in ventris ſpatio deliteſcere, quin prius excerneretur, quàm tantam molem ſit conſecuta, ſi modò in ſtomacho, ventriculo, aut inteſtinorum quopiam habitaſſet. cùm quanto minor ſit, tanto facilius elabatur: neque illius locus in cauitate abdominis potuit aſſignari, ſic enim non niſi diruptis inteſtinis exitũ reperiſſet. Idem de cæteris locis humani corporis iudicandũ eſt. Nam abſceſſus ingentes, acus, & alia iſtiuſmodi per vaſorum anaſtomoſes mirabiliter vacuari, nõ nego: & frequens hoc docet hiſtoria: ſed de anguilla craſſiſſima idem ſperare abſurdiſſimum foret. Quia tamen per aluum quaſi ex ſiniſtro hypochondrio foras erupit, atque in eodem latere permanſit contumax dolor, vt etiam omnes paroxyſmi deinceps hinc velut aura quadam delata, primùm ſui auſpicium apertius præmonſtrarint, ac poſtremò infanda quæ ſequitur rerum excretarum varietas per œſophagum ſit delata. Mihi profectò iam non cognoſcere certò, ſed videre locum affectionis exiſtimaueram, apertè ſentiens natam anguillam intus in inteſtino colo, ea potiſſimũ parte qua

Vbi hæc anguilla latuerit.

per

per omentum, & conterminas venas, tum lienis corpori, tum fondo ventriculi adhæresçit, vt etiam ex sympathiæ stomachi magis, magisq; postea demonstratum est. Nam quicquid abscessus reliquũ fuit, vniuersum eò decubuit, ac vomitione secessit: per aluum inferiorem penitus nihil. Sed quia iam pridem adducta ratio subinde in diuersam sentẽtiam concitaret, neque putarem istic tam subitò nasci anguillam, neque tam diu formatam rectè consistere potuisse: aliud quiddam in mentem venit, quod per frequentes anatomes in Xenodochio sum consecutus: nasci interdũ abscessus nobis reconditos, quorum materies diutissimè velut inclusa membranulis teneretur. quas ipsa humorum copia, vel edax malignitas sibi efformat inter diploides pleuræ, peritonei, aut cuiuscumque menyngis alterius: vt euidenti exẽplo patuit in dissecto cadauere domini de Schoonhoue: cui ex percussione, dum iuuenis esset, equinæ calcis in ventrem, locus factus est imbecillior, senectutis tempore fluxio nata in diuturni abscessus speciem transiit, ac suppurata demum, erosis membranulis, è peritoneo in abdominis cauitatem decidit, vnde paulatim putrefactis intestinis, ac diarrhœa superueniente, decessit. Sed hæc in aliis non infrequenter adeò sunt animaduersa: nunc quamuis quæ viderim hactenus in puella maiori ex parte quid metaphysicon redolerent, hoc tamen vsuuenire putabam, vt quæ non naturaliter fierent, plerumq; tamen haberent naturalem essentiæ modũ, ex materie corporũ, necnon formarũ auspiciã, rationesq; seminarias, & filum generationis acciperent. Quare non alienum à ratione credidi, ad instar istorũ abscessuum, primò fuisse collectam materiem inter intestinorum tunicas, quibus paulatim à mole diuulsis, tumor pepẽderit intus in quo anguillæ facta sit generatio, non alia ferè quã fœtus in vtero, inq; membranis suis. Sic enim fieri potuisse,

Demõstratio ab exemplis.

Historia dissecti corporis.

Naturales causas vt plurimũ metaphysicis permisceri, ideoque & duplici curatore torũ in illis negotium peragendum.

tuisse, vt primò exigua nõ adeò vehementer afflixerit, augescens postea tot fuerit dolorum & cruciatuum causa, donec via vi facta, & velut matura partui abscessum ruperit, fractisq; meningibus sic se effuderit foras. Docet verò hanc formam generationis totius, omnium præcedentium pariter & sequentium perpetua symphonia. Nec adeò sum falsus animi, quin quamuis exigua spes in medicorũ auxiliis putaretur, vno tamen præsagio multos in artis admirationem, cultumq; pertraxerim. Nam & membranas varias, variamq; humoris speciem, cũ mira supellectile prodituras, dudum antè prædixi, quã euentus ostenderit palã. Omnino id mihi persuasi, causam motricem quiddam existere supra naturam, sed quæ materiem sibi ex naturalium rerum genere in subsidium sumeret, formã affectionis metaphysicam sanè, sed physicæ consentaneam sequeretur: quippe quæ partus naturalis imaginem, imò gestationis totius, conceptus, & puerperij, non in subiecti legitimo loco, aut specie constitueret. Quare nec modum curationis simplicem vltra restare conieci, sed partim præceptis medicis esse nitendum, vt causæ proximæ tollerẽtur: partim lustratione, precibus, atque eleemosynis, quo possent & præcedẽtes, & procatarcticæ velut iniectis vinculis refrænari. Atq; vt redeam vnde diuerteram, vbi per 14. dies ingens illius aquosi humoris copia profluxisset, cœperunt & pili confertim exire per vomitum alui, copiosissimi numero, digiti lõgitudine, sed longiores alij, alij breuiores, eiusmodi sanè quales annosis canibus euellũtur: auctaq; est indies ea pilorum quãtitas, vt facilè pilas quãplurimas iustæ magnitudinis implere potuerint. eiecit hos omnes magno fastidio, ac vomitus difficultate. Ac iam circa vesperũ deliquia quædam animi admirãda contingebant: quæ primò in vim veneni, ac vermium corruptelam reijcere solebamus. Sed magis

Causarũ effectuumq; connexio methodi fundamentum.

Authoris præsagium.

Mirũ cõmentum dæmonis ad exprimendam cõceptus partusque similitudinem loco nõ suo.

Pilorũ excretio portẽtosa.

Deliquia.

magis magisq; se proferebat, quod diuinum maximè, atq; à ratione secretum fuit. Cùm enim vesperi in ipso defectu puellam velut examinem offendissem: diligenter obseruans singula, vidi supinam subitò sese ex vno latere in aliud iactantem tanto impetu, vt, nisi coercita, caput promptissimè in aduersum parietem, vel spondæ vertices impegisset. Manus contractæ erant tam validè, vt nulla vis posset effringere. Interdum manu subitò reducta pectus percutiebat, tanto sonitu ac vehementia, vt magno in periculo fuerit, ne vllum præcipuorum viscerum lethali vulnere violaret. Durabat istuc per horas interdum duas à septima ferè vsque ad nonam vespertinam. In paroxysmo neminẽ agnoscebat. sæpe velut ab vtero suffocata rubebat insigniter, ac ferè is rubor sub vesperum erat mali alterius certus prænuncius, cũ lassitudine quadam, ac sensim obortis febriculæ rudimento. Semel atque iterum spumeum quiddam circa os apparuit: vt iam planè mihi constaret veras accessiones epilepticas permisceri, ex emprosthotono in opisthotonum, & hinc in alternatã speciẽ successionis lege mirabili transeuntes. Itaque & morbos naturæ solitos in affectione insolita contemplatus, illa porrexi quæ in morbis comitialibus secundum methodum, artisq; consuetudinẽ opitularentur: imprimis consyderatione adhibita, quòd genus hoc vniuersum nõ exidiopathia cerebri, sed tantùm ab infernis locis, ac lege consortij promanaret. cũ statis horis, ac simili propemodum forma malum recurreret, ac manifestè cum ipsa accessione anhelitus breuior, pulsus inæqualis & turbulentus, præcordiorum sæua inflatio, stupor internorũ, externorumq; sensuum subitus appareret. Contigit semel, sub paroxysmum repentè ex risu in fletus, ex fletu in risus maximos solui, & cùm ad se reuersa paululum, in longam ecstasim liberetur, subitò silentium rumpens, non secus

Ecstasis admiranda.

Accessiones epilepticæ.

Ecstasis diuina.

atque

atque cũ Deo locuta est, velut attonita extensis ad cælum digitis, ferè his verbis: Itáne ô summe Deus tua illa tam incredibilis pulchritudo est? quousque nobis hîc permanendum? aut quando me rapias vt te fruar? Tum quasi à somno altissimo expergefacta, sic coram assistentibus inquit, Ecquis vestrûm ita mihi est odiosus, qui me summæ quieti traditam, atque in hortis floridis longè pulchērrimis lusitantem, in hunc miseriæ campum ac tenebricosum carcerẽ reuocarit? Quæ sanè dicta grauissimè; quo pacto à puellæ rudiore, præsertim huius ætatis, efferri, nisi per ecstasim possint, minimè video. Venit in mẽtem quod de Hippothoi famula 6. Epid. scribit Hipp. Porrò cũ ad se tota post paroxysmi curriculum rediisset, inquirenti denuò num quis dolor vlla in parte corporis supereſſet, sinistrum hypochondrium designauit: cuius is erat sensus, qui recentiori vulneri solet. Cùm illi darentur vel acriora paulò, vel acida, vel aromatica, statim dolores hi latus afflictum violentius impetebãt: vt se morderi, excoriarique extrinsecus clamitaret. Exhibito decocto Zarsæ parillæ cũ rad. consolidæ maioris, plantaginis, ligni aloes, & cinamomi modico, dolor hic valde lenitus fuit. cessarunt accessiones comitiales per aliquot dies, vbi octiduum potitasset: imò & lateris tumor paulò factus remissior, aquæ excretio planè cessauit. Interea tamẽ nonnulli vomitus, qui floccos ingẽtes pilorum eijcerent cũ materie purulenta instar saniei, interdũ simili stercori columbino aut anserino: in qua colluuie & frusta lignorum, & membranarũ tenuia rudimenta; sed lignorum partes adeò viuæ, vt ex caudicibus obsoletis diffractis inæqualiter comminutæ portiones viderentur, vnguis amplitudine, aleæ crassitie, intus fungosæ, foris obductæ vetustiore cortice nigro. Dedi corallinam cũ oculis cancrorum, & cornu cerui-no, adiecto momento lapidis Bezahar, atque ossis de corde cerui.

Doloris species in hypochondrio sinistro perseuerans.

Curatio medica.

Excretiones variæ omnes mirabiles.

cerui. Paulò pòst cœpit alius vomitus ater vt carbo, dixisses ātramentum verum, vel sepiæ succum, imò carbones veros minutissimè tritos, atque permistos, singulis diebus prodeuntes ad quantitatem lib. ij. aut iij. sæpissimè cū pilis tam copiosis, vt nuci iuglandi includi non possent, omnibus albis, prolixis, & duriusculis; quæ cū per triduum ita durassent, eiecit semel & puri sanguinis tanquam è vena dissecta libras duas, nulli rei alterius generis permistas. Interim puella extenuata plurimum, interdiu tamen valebat mediocriter, bene appetens, bene excernēs. Reddebat & lotiū naturale: pulsus mediocris, frequens, subaridus, color viuax, subalbidus, macilētior quidem, sed animus hilaris, & afflictionum grauissimarum facilè obliuiscens. Noctu quies vberior, nullis interrupta symptomatibus malis. Hærebant tamen interdiu dolores circa ventrem, atque præcordia, præsertim vesperi, rarius sub aurorā: nam tum vix semel atque iterum apprehendit. A vomitu sanguinis rursum secutus est ater, acsi antimonio trito tinctus fuisset humor, omnino liquidus, in dies singulos ferè ad lib. v. aut vi. atque hoc portentum septimanam integram constanti horarum lege, & spatio perduranit: actum relinquere penitus cœperunt epileptici paroxysmi, qui primùm diebus singulis affligentes, postea non nisi post tertium diem, ac postremò post septimum repetierant. Tum quoque puella facta alacrior, adeò roborata est, vt etiam prodiret foras, atque discurreret quacunque libitum esset, imò & parentibus necessaria compararet. Magni idipsum loco miraculi venerabar, à tantis, tam diris, diuq; perseuerantibus tempestatibus non aliter fuisse confractam: certo & perspicuo in omnibus argumento, multum hîc valuisse artes diaboli, qui miseram permissione opificis nostri vndecumque concuteret: sed rursus & boni genij præsens auxilium astitisse, vt quam læuæ

Vomitus atramenti.

Sanguinis puri.

Diuini numinis protectio manifesta.

Virtutis constantia prodigiola.

Curatio per diuina officia.

Dei manus ferierit, eiusdem superimposita dextra sanavet. Neque me puduit, præter ea quæ ex naturæ thesauris contuli, etiam diuinorum cultus acrius inuestigare. Legebat instinctu tum nostro, tum aliorum, dietim illud mysterium sacrosanctum, In principio erat verbum, &c. *quo quidem antidoto ex lucis æternæ luminosis radiis temperato, nullum profectò potentius intellexi contra principes tenebrarum, si & preces sanctorum in terris ac cœlis, si operæ pietatis oblationesq; accesserint, si diuinarum rerum officia, Ecclesiastici ritus, sed ante omnia mens in Deũ defixa, per confessionem ac pœnitẽtiam à veteris vitæ inquinamentis optimè repurgata. Quid autem illa momẽti habeant vivo exemplo meus aliquando expertus est P. M. parens, qui (vt ab illius ore audiui plus decies) claudus vtroq; crure, imò paralyticus, à cunabulis vsque ad sextum ætatis annum, cũ subnixus duplici scipione ac materteræ ductu, festo solemni D. Bonifacij in templum illius peruenisset: statim oblato munusculo ante omnium ora sese erexit in pedes, atque dehinc restitutus perpetuò in integrum fuit. Sed hoc sit obiter dictum. Redeo ad puellam, cui præter diuinæ officiæ multas quoque confectiones tum aduersus venenæ, tum corroborandi gratia temperani. Dedi rursus corallium cum oculis cancrorum, & puluere Zarsæ parillæ: & quia plerusq; vasis ex diuturna vomitione ruptura metus accederet; radices cõsolidæ condiri saccharo iussi, & sub auroram sæpius exhiberi. At virgo interea pilos adhuc, sed*

Historia rara in patre authoris.

pauciores, gradatimq; atriores excernebat, imò & breuiores indies: vt cùm prius ex flauo russescerent, paulatim lividi, nigri, tandem aterrimi, ac velut dissecti in frusta minutissima per vomitum redderentur. Quandoque cum his & virulentus humor, & crassus, quandoque similimus limo. Circa Septembris medium membranæ frusta maiora,

Membranarũ prima excretio.

tan-

tanquàm ventriculi partes, euomuit: habebant hæc speciẽ tunicæ crassioris, carnosæ, lentæ, fractuq; cõtumacis: quibus profectò vt fœtus inuolucro choroeidi, etiam venarum ductus inarati ramosa propagine spectabantur, interdum medij palmi longitudine. Has aliæ sunt è vestigio subsecutæ tenuiores multò, sed penitus nigræ, venarum duntaxat vestigia referentes, aliquin membranæ allantoeidi non absimiles. Postremò venerum & tertij generis tunicæ vasorũ prorsus expertes, aliarum omnium tenuissimæ, vt locũ amnij reținerent. Sed erat his alia multo substantiæ atque figuræ ratio, quã in agninis fœtuum inuolucris. Nam huic tenuitati àderat mira soliditas, figurarum ratio quouis miraculo maior. Fragmenta illius varia, sed tria præ cæteris rara duorum palmorum amplitudinem superabant, intertexta striis profundis sine epigraphis: quæ sese à vertice ad basim secantes mutuò, cancellos in rhombi speciem efformabant, non habeo cui melius conferam, quàm cum senecta viperæ: quanquam nihil hactenus à me conspectũ fuit, cui posset meritò comparari. Sed hoc in eo præcipuè admirandum, quòd secundum longitudinis ductum velut canalis quidam profundior appareret, insculptus fibris trãsuersis & raris, prorsus vt in aspera pulmonis arteria Erat hæc regio penitus cana & circularis, in vnius mẽbranæ fastigio paulatim angustior, anguini capitis vestigium repræsentãs cũ apophysi mastoëidi, seu processu mãmillari: in alterius fine sensim latescens nescio quid ventricosum & inæquale, etiam bifurcato verticinõ absimile, præ se ferret. Vniuersæ partes inuicem coaptatæ totius anguillæ longitudinem, atque crassitiem satis luculenter expresserãt. Illud autem tuberculum papillare viam fuisse respirationis existimo, fortè per quam & solidis & humidis ad sui nutricationem necessariis vesceretur. Postquam hasce membranas eiecit, se-

Secundæ.

Tertia præcæteris stupẽda.

Membranarũ delineatio.

Anguillæ vestigium in membrana.

Lapides excreti.


cuti ſunt lapides ferè innumeri, quos veſperi ſemper, ac ſtata horarum periodo, magnis cũ tempeſtatibus, animiq; deliquiis eructabat. Formæ fuit eiuſmodi quæ paſſim in veteribus ædificiorum ruinis ſolet occurrere. Lapides ſolidi, anguloſi, inæquales tum ſpecie tum magnitudine, quæ ſubinde ad nucis iuglandis quantitatem acceſſit, non abſque ſuffocationis diſcrimine manifeſto. Videbantur quandoque obtecti calce, & coagmentati variè, vt ab illis qui parietibus detrahuntur diſtingui non poſſent. Semel me præſente quendam eiecit lapidem anguloſum, vix cũ duplicis caſtaneæ mole librandum. Hæſit is per horæ quadrantem, aut plus eo in œſophago: ſic vt & tumor inſignis idipſum oſtenderet in externa gutturis regione. Eodem temporis ſpatio omni pariter & pulſu, ac reſpiratione deſtituta permanſit, vt ne pluma quidem ori appoſita moueretur. Manus pedesq; frigidi, corpus rigidum inſtar ſtatuæ, vt ipſus ego nil amplius ad vitæ ſpem reliquum arbitrarer: quin commiſeratione perculſus abitum properabã, actum eſſe proclamans, cũ ſubitò me reuocans mater, moueri filiam rurſus, atque oculos aperire conſtanter aſſereret. ſtatim vt reuerſus fui, ſaxum illud magna ſpiritus contentione proiecit, vt & vomentem viderim manifeſtè, & in lebetem ſonitum cadentis audierim, magno horrore cum animi mei, tũ turbæ vndique circumfuſæ. Eueſtigio magnam quoque ligni portionem pollicis longitudine pariter, & craſſitie, ſed minore difficultate ſecreuit. Erat hoc ſatis poroſum, ſt.aminibus rectis inſigne, cui & commiſſura quædam inſignior, velut per medium totius longitudinis excurrebat. Interea tamen & pili per vices, ſed minores ordine, pauciores ac nigriores. Acceſſit aliud quod omnem excederet fidem, quoq; puella in ſummum ſtrangulationis periculum venit. os enim triangulare ſolidum ſoris, intus cauum, ac ſpongioſum

Rarum ſpectaculum.

Ligni excretio.


Oſſis triangularis excretio.

ſum reddidit, ferè huius formæ & magnitudinis, † vt planè



conſtaret eſſe fragmentum cruris bubuli: ac parẽs diceret, ſe tale vidiſſe pridie in ſuis carnibus iurulentis. Nec mora ſequenti die articuli oſſei, tali, digitorum acies, rotulæ variæ ſpeciei & magnitudinis prodierunt. † Interdũ tamen

Articuli varij per os redditi.



& pili & lapides intermixti, atque omnium poſtremo viri & ariſ portiuncula, quam cum cæteris rebus excretis in

vnam tabellam curauimus exarari. Magna pars singularum mihi dono à parentibus data, ad æternam memoriam asseruatur. Iam verò non amplius de causis metaphysicis dubitandum est, ideoq; lustrandam sacris omnino, & sacerdotum precibus asserebam. Atqui diuinis missarum officiis ritè peractis, collatisq; eleemosynis, statim illa portentosæ excretionis & tempestatis genera conquierunt. Virgo quidem ærumnis assiduis valde concussa, ac decolor mansit ventre subtumido cũ aorexia, tanquã ad hydropisim valetudo vniuersa spectaret: sed solo decocto rad. eryngij, asparagi, iridis illyr. ac Zarsæ restituta cõualuit. Aiebat sibi tumorem relictum in inguinibus, quem vbi tentaui digitis, ac cedere vidi, herniam flatuosam subnasci ex vomitus violentia iudicaui. adhibitus ergo consolidantibus medicamentis extrinsecus, adiunctaq; fascia cum pulluillo, ita curaui vt ruptos soleo. Huius prodigiosæ historiæ duo præcipua sum admiratus. Primò quòd cũ res singulæ supra naturæ speciẽ spectarentur, ordo tamen pulcherrimus ac naturæ gubernatrici consentaneus effloruerit. Deinde (quod longè maximum puto) cũ afflictionis magnitudo atq; frequentia vires humanas propemodum superaret, ipsam tamen vel statim à paroxysmo liberam, non secus animo prompto & alacri ad solitas negotia rediisse, quã si lenis dũtaxat febricula tenuisset. Omnino ratiocinabar vniuersum hoc singulari factum prouidentia Dei, quo scopo nõ assequor, nec puto plenius à quoquam intelligi. sed dæmonem fuisse ministrum, qui naturam corporis vnà in subsidium adhibuerit, illa lubriorum infinita varietas ostendebat, qua non modò artis nostræ machinas atque consilia, sed & superstitiosam inquisitionem de causis rei ridere meritò, imò ex composito videbatur. Naturam cooperari successus rerum, ordo & materiæ apta dispositio tũ in coloribus tum figuris edocuit.

Diuina officia quantũ conducant vide.

Morbus relictus medica arte curatus.


Examen totius historiæ

Astitisse


Astitisse postremò & angelum bonum, stupenda tum præseruatio, tum repentina liberatio satis demõstrat. Ita quidem in vno ceu paradigmate longè clarissimo, se diuinorũ omnium connexus aperuit: quiddam in materie corporis, quiddam in anima spirituq́; ; quiddã postremò in angelis bonis & malis: quorum omniũ apex atque fastigiũ Deus, qui nodo amoris inexplicabili supremis infima pariter, ac media iungit, atque ita res hominum atque deorum, mare & terras, variisq́; mundum temperat horis.

Varia suppellex excreta puellæ annorum 14.


1. Anguilla viua per sedem.




2. Pili varij per os excreti.



Membranæ variæ ceu fœtus
inuolucra.



Lapides vomitione
reiecti.



Ligni fruſtulum.



Æris fruſtulum.



Deſaro

De raro genere Epidimicæ febris ac peſtilentis, quæ ad Galeni Hemitritęos accedens proxumè, magna contagij vi totum biennium pergraſſata eſt, etiamnum durãs in hãc æſtatem anni 1574. Quo quidem exemplo lõgè aptiſſimo methodus vniuerſa tum ad cauſæ inuentionem, tum ad curationem in morbis abditiſſimis aperitur.

Breue totius cyclognomicæ methodi diagramma.

Qvicunque affectionis alicuius, aut ſubſtantiæ naturã ſibi reconditam arte velit elicere: ille diſcurſionis ſimplicis filo, cauſas eiuſdem effectionesq; conſyderat: accuratam in illis ſeriem connexumq;, & conſpirationem mutuã perueſtigans: vt tanquam à præcedentibus, & ponè ſequẽtibus internam eſſentiam rei, ſeu cauſas conſtitutrices proximas conſequatur, id eſt formam atque materiem: quæ totius progreſſus à ratione centrum aliquod, vel punctum medium repræſentant. Atqui nos huius gratia diſcurrentis animi carceres tres, totidẽq; vias ac principia in cyclognomica arte depinximus: quorum complexu mutuo, vel naturarum omnium receſſus penitiſſimos ingredi fas ſit. Verùm vbi de rerum agendarum ratione proponitur ſcopus, velut curatio morbi, conſeruatio ciuitatum, humanorum affectuum moderatio: tum ſanè vlteriore analyſi (vt & illic præceptum fuit) nobis eſt opus: nam profinis varia notione, ſemper tres terminos ante oculos collocamus: agens, patiens, & intermediam vtriusq; proportionem. vt in dirigendis expeditionibus belli duces aque præfecti naturam imprimis aduerſariæ claſſis, aut vrbis oppoſitæ diligenter explorant: vt ſitum, ſtructuræ ſpeciem, indolem animorũ, artes, machinas vniuerſas. Deinde & ſuorum militum vires, inſtrumentorum ſubſidia, opportunitatem locorum & temporum; ac poſtremò vtrorumq; inuicem facta compa-

Quæſtionis ſimplicis indagatio per analyſim & rationalis animæ tripliceim viam.

Quæſtionis practicæ reſolutio.

Vbique terminus.

Simile in expeditionibus belli.

ratione, suorum vires similium analogia seruare quãmaximè studeant, hostium facultates contrariorum oppositione cõuellere, per proportionẽ videlicet instrumẽtorũ ad res obiectas singulas, nomine quãtitatis, figuræ, situs, & aliarũ rerũ, quæ similitudinis, dissimilitudinis analogiã characteristicam comprehendunt. Sic etiam in arte medica cũ curare volumus morbum, resoluitur huius curationis inuentio in affectus naturam altius perscrutandam, deinde in præsidiorum copias ac facultates, postremò in proportionem vtrorumq;, vt medicamenti ad morbum, suturæ ad vulnus inflictum, vectis aut ferulæ cuiuscunque ad formam cruris, aut exarthrematis speciem in officina chirurgica. Hæc autem cognationis aut contrarietatis firma inuentio, per 10. gradus subst. quantit. &c. per indicationem reperitur: quæ nihil est aliud, quã rei agendæ ratio, sumpta à natura vel causis proximis ipsius subiecti, circa quod versamur. quanquam & alia sit quædam endeixeos species vel ab effectuũ genere sumpta, vel à remotioribus causis, tanto infirmior sanè, quanto illius principia longius à rerum essentia interiore distiterint. Planius omnem indicationis naturam ita definio, vt sit demonstratio quædam similis, aut contrarij ad actionem artificis necessaria. Omnem verò illius doctrinam quisquis tenere compendio volet: non eò se redigat quò plures tum veteres, tum neoterici solent, tot ferè indicationum species statuentes, quot sunt loci à quibus deriuãtur. Aliud certè est indicationum genera, aliud species recensere: aliud denique fontes, aliud fontium capita, vel riuos in fontem vnum profluentes. Indicationum genera duo tantùm reperio: aut enim exigimus inuentionem similiũ in conseruandis rebus, aut contrariorum in obterendis & profligandis. Species tantùm pro categoricæ classis discrimine tribuuntur: nam similitudo, contrarietas, latius accepto

Similitudinis applicatio ad medicinam.

Indicationis siue ἐνδείξεως vsus pulcherrimus.

Differentia accidentalis.

Definitio.

Indicationũ traditio quot capitibus contineatur.

1. Ind. genera.

2. Ind. species.

ceptio vocabulo, alia est secundum subst. alia quantitatis, qualitatis, loci, temporis. Fontes indicationum, id est præcipua penuaria vnde promantur, differũt pro vt similium, aut contrariorum inquisitio fiat. Nam vbi conseruare est animus, prima indicatio sumitur à virtute, secundaria à morbo. Contrà vbi oppugnare decretum est maximè, prima habetur affectus ratio virtutis non nisi ex accidente, vt & Gal. eleganter explicuit Meth. ther. Ergo in conseruanda valetudine à totius hominis robore, vel partis affectæ, alimentorum & potuum ineunda est ratio. In oppugnandis morbis, à morbi essentia ceu proximis causis: quæ semper ad minimum duæ constitui possunt, locus affectus, & affectionis forma: interdum accedit & materies loco contenta, quam malunt plærique inter affectrices recensere. saltem quicquid alij statuant de continentibus causis, mundi res vniuersæ formam & materiem habent, quæ iuncta illarum essentiam verè, proximeq; componunt. sic & morbi, & symptomata, affectionesq; qualescunque locũ habent in quo existãt aut fiant velut materiem, & modum affectus velut formam: etsi Arist. in metaphysicis aptè accidentium definitiones ingredi subiectum voluit loco formæ vel differentiæ, formam loco generis siue materiæ. Vt in pleuritide, cũ dicimus inflammationem membranæ costas succingentis: inflammatio generis quoddam vocabulum est, sed à loci peculiari specie restringitur ad solius pleuritidis notionem. Nunc verò quia fontes indicationum vtrarumq; sunt obscuri, quòd intellectus acies astricta corporeis, rerum intima non ita paoximè consequatur, à proximis causis vel fontibus totius compositionis ad riuos singulos procedendum est, id est, affectus & causas vlteriores ita naturam facultatum, vel virium modum à posteriore cognoscimus, per pulsus & respirationis officia, perq; alias actiones

3. Ind. fontes.

Causas continentes in omnibus dari.

4. Indicationum capita prima.

actiones in singulis partibus apparentes : à priori verò, per cuiusque temperaturam propriam, & communem, per sexus, ætatis discrimina, & consuetudinem, quæ naturæ proxima recensetur. Ita morbi essentiam rursus à posteriore siue effectubus per actiones læsas per excretiones & passibiles qualitates, quòd harum vnaquæque in genere subst. quantit. qualit. naturam causæ suæ proximioris 4. loci & materiæ, & ex consequenti formæ totius indolẽ repræsentent; à priore verò eadem scrutamur à præcedẽtibus causis, vt naturæ totius promptitudine, temperamento, partium cõformatione procliui ad hãc vel illã affectionis speciẽ perferendam. Quòd si & horũ ratio maximè perobscura est, ad capita quædã priora ordine, ad causas προηγουμένας, procatarcticas, velut filo continuo ducimur : id est per rerum principia, & causas, vsque ad elemẽta. Sic enim explorandi tẽperamenti gratia vel morbificæ causæ, cõsyderamus res extrinsecas, anni tempora, & peculiares catastaseon differentias: item locorum discrimina, rationẽ victus præcedentis, somni, vigiliæ, laboris, ocij, pertur bationũ animi, retentionis, excretionis, atque his omnibus sæpe priores influxus syderũ, cæli radios occulta inspiratione manantes. Ergo hæc rerũ agendarum susceptа indagatio in problematicas quæstiones aptè resoluitur: vt sic totius subiecti passibilis natura ad scrupulũ exarata, illi per omnia quoddam reperias quod proportionè respondeat instrumentũ. Nam vbi consenserint singula singulis, sola applicatio restat, vel agentis actio fortunata, quæ totius methodi circularis primus est iuxta analysim, postremus iuxta synthesim scopus.

Analyseos totius extremi carceres & syntheseos primi sunt elementa rerũ.

Quæstio practica resoluitur in problematicam.

Finis principium in analysi, in synthesi verò postremum.

Libet huius doctrinæ amplissimæ gratia, nunc in exemplum trahere morbum planè diuinum, qui nobis à primo vsque exortu syderis noui serè ad hæc tempora, id est per biennium integrum atque eo amplius perdurauit, populabundus

bundus in Belgium vniuersum ac regiones finitimas, turbæ mortalis incredibili quodam diluuio, & symptomatibus admirandis. Oportuit curaturis primò vt dixi characterismum illius morbi, vel vsque ad scrupula vestigare: neque duntaxat circa diuini nomen hærere, vt medicorum vulgus solet, in asinorum ponte defixum, occultæ proprietatis affectum clamitans, vel formæ totius, vel inflictam diuinitus plagam, quæ certè non nisi cũ artis, artificumq; pudore maximo vel apud idiotas maiorem nobis medicinæ partem inaccessam, atque incognitam profitentur. Quin ab idea affectionis cuiusque communissima, quæ se vel sponte ingerit vbi animus tum lectione paululum tum rerum vsu fuerit confirmatus, debemus sensim ad definitam demonstrationem, circumscriptionemq; essentiæ proficisci. Ergo cùm rerum agendarum indicatio tum ab ægrorum naturæ & viribus, tum ab affectuum causis proximioribus, formæ & materia sit petenda: has autem venemur ab effectubus primò, deinde & præcedentibus causis atque occasionibus: meritò nunc morbi speciem confusaneam, velut discursus totius centrum inter priora & posteriora, effectus inter & causas ex ordine statuemus. Dicã prius quæ sit communissima forma, per accessionis modum & communiora symptomata; deinde & illa quæ cathenatim iuncta præcesserint, cum natura morbi semel posita comparabo: tandem & singula symptomata tum quæ passim obuenerint, tum quæ plærisq; duntaxat secundum idiotropiam.

Applicatio methodi ad præsentẽ historiã & morbi naturã diuinã maxumè intricatam.

A confusa cognitione ad definitã debere procedi.

Cẽtrũ totius discursus morbi speciesſub cõmuni quadam & confusanea notione.

Cœperunt acutæ febres in populũ diuagari anno supra millesimũ quingentesimũ septuagesimo secundo, propemodum à mensibus Iulij, Aug. sed imprimis mense Octobris: tũ enim & ij qui cõualuerant, recidebant perculsi rerum tẽpestate, quæ tũc vigebat per Galliã inferioremq; Germaniã. Hipp. primã, vel cõmunissimã æstimationẽ in morbis

Narratio.

facit

Hippocratis in æstimandis naturis & medicinæ scopis methodus accurata.

facit à morbi acumine, siue vigoris distãtia, vt Aph. 7. 8. 9. 10. lib. 1. particularẽ verò à singulis paroxysmis, vt Aph. 11. 19. ac deinde vtrumq; nobis incertũ quadruplici fonte deriuat Aph. 12. Primùm à morbis ipsis: Græcè enim sic habet, τὰς παρ ὀξυσμὰς, καὶ τὰς καλασάσιας διαλώσασιν αἱ νοῦσοι, καὶ αἱ ὧραι τοῦ ἔτεος *: morbi nomine intelligens ipsius essentiam interiorem loco & materie definitam. Nam etsi hîc videatur ignotum per ignotius explicandum, rapit tamen humanus animus speciem confusaneam primo, indefinitam adhuc, eamq; paulatim ex characterismis generalibus ad certiorem imaginem quasi duntaxat sub hypothesi veritatis idolum postea fingens, & limitans partim ab actionibus læsis, quæ partis essentiã proximè consequuntur: partim ab excrementis propriis atque germanis, quæ loci affecti speciem, sæpe cum materie morbum continente delineant: vnde hæc signa pathognomica dici rectissimè voluerunt. Cætera quæ assidentia, & insuperuenientia Galenus nominat, triplicia ab Hipp. memorãtur: successiuæ circuitũ reciprocationes, (ἀνταποδόσιας τῶν περιόδων vocant) anni tempora, quo nomine & causas externas, & præcedentes meritò comprehendit: excrementorum tarditas, celeritas, quorum ambitu qualitates passibiles, & reliqua τὰ ἐπιφαινόμενα signa complectitur, quæ sæpius non tam speciem rei, quàm modum qualitatemq; describunt.*

Ab idolo ad certã speciem proficisci.

Signa duplicia.

De cõmunissima forma præsentis Epidimiæ.

Profectò qui morbi istius characterismum in pluribus obseruarunt, etiam de communissima forma plurimum dubitantes hærebant maximè, num acutum dicerent, num diuturnorũ cathalogo accenserent, num potius acutum degenerem, atque (vt vulgus) ex delapsu vel decidentia nuncuparent. aderat enim τῶν ὀξυτάτων *vehementia,* καὶ τῶν χρονιωτάτων νοσέων *inexpugnabilis contumacia. Erat vt plurimum mitis inter initia, notis obscuris admodum vel qualitatem*

Character cõpositus ex acuto & diuturno.

tatem materiæ, vel modum putredinis manifestans. Primus assultus nunc cum [illegible] concussione, nunc cũ horrore leuiculo: in plerisq; tamẽ exigua tantũ refrigeratio: in paucis nullius frigoris sensus occurrit: quæ quidẽ accidẽtia maioris minorisq; nomine differentia Gal. alibi in alias causas reijcit, nec sibi facilè cõstat. Mihi sæpius visum est fieri, pro mistionis modo in materie putrefactæ: nam si sanguis solus est qui putrescit, aut inflammatur, non facilè fit rigor, cùm ille constet ex humoribus in vnam massam temperatis, atq; ita diffusis per vniuersas venas, arterias, æquabilius extendatur. Sed si sit alius humor: is aut permistus sanguini puret, aut ab eodem penitus separatus: si quidem permistus inæqualiter, (vt sæpè in pituita) horroris sensum sæpius adfert, rigoris nõ facilè: sin separatus omnino, (quod flauæ bili promptissimũ est) rigorem incutit ratione mobilitatis suæ, quæ minor maióue conspicitur pro tenuitate substantiæ, pro separationis modo, pro partis natura neruosa & sensili qua continetur, ac demũ pro incendij magnitudine circa cor, quo inflammata singula ad suum principium, seu caloris fomitem tanquam ad succensam cucurbitam rapiũtur.

Refrigeratio horroris atque rigoris ratio satis paradoxa

Iam ipsa temporũ ratio in morbo hoc valde mirabilis. aliis enim consistebat statim quarto die: aliis septimo, nono, nõnullis prius decimoquarto, vigesimo, vigesimoseptimo, quod etiã materiæ varietatem in singulis ostendebat. Sæpe hoc animaduerti, crises imperfectas à septimo in nonũ aut vndecimum fuisse dilatas: ex hoc rursus deinceps in alios atq; alios criticos dies: natura sic interim velut à morbi sæuitie paululum respirante, ac rursus exurgente aliquoties: donec vel fessa succumberet, vel aduersarij vires, quod vna nõ poterat, crebra velitatione confringeret. Obseruauimus tandem vnum & communem omnibus characterem, quem pro centro totius discursus præcipuũ duxi. Erat is primò in illa præci-

Morbi tempora.

Crises diuulsæ.

Totius morbi communis characterismus.

præcipitis contagij vi descriptus, qua sæpe in eadem familiæ tres, quatuor, plures aut pauciores inuicem sunt consecuti. deinde & in circuitus ratione perpetua: nam quotquot miseri labor antes, integras nunquam periodos vel in apyrexiam desinentes animaduerti: sed tamen exacerbantur diebus singulis: quandoq; bis, quandoq; semel tantùm: aliis vesperi, aliis manè: dehinc se paululum remittebant. Verũ alternis diebus maximè ferociens malũ imaleſcebat acerrimè, nunc cũ horroris specie vel rigoris: nunc absque manifesto frigoris sensu. intendebatur ea sæuitia pluribus statim à principio vsque ad quartum, septimum, nonum, decimum quartum, decimum septimum diem: in paucis statim à principio declinabant: in nonnullis verò tenorẽ æqualem oppidò retinebant: vt & veræ continuæ species tres in vno genere spectarẽtur, ὁμότονοι, ἐπανιστικοὶ καὶ ἀνακμαστικοί. *Non possum eas exactè reducere ad Galeni Hemitritæas, quas ex quotidianis continuis, ac tertianis intermittentibus facit. Nam hîc vt plurimum non magis tertiana quàm quotidiana visa est intermittere. imò incertum sæpius, an quotidiana cum tertiana continua fuerit complicata: an potius tertianæ duæ diebus alternis gubernaculà susceperint. Sed vero similius est duplicẽ speciem fuisse continuis complicatam: vt neutra prorsus intermitteret: quãdoquidem alternæ accessiones tum tempore, tum vehemẽtia maximè discreparent. Porrò Galenus non omnes complexuum differentias est prosecutus, imò ne quidem illorũ minimam partem. nam etsi exercitatissimum fuisse non dubitem, plurima tamẽ non tam ex rerum vsu, quã accurata mentis indagine, vel ratione constituit. Quin de essentia febrium singularum nos aliquando studiosis peculiarem commentarium scripsimus, alterius longè sententiæ quàm hactenus forsan à quopiam proditum fuit: & nos eandem ple-*

Differentiæ in variis hominibus spectatæ 3.

Comparatio cũ hemitritæis Galeni.

Vera appellatio morbi cõplexus ex continua & quotidiana & tertiana.

pleniùs exaratam aliquando (si superi sinant) ætati posterûm relinquemus. Nunc tantùm repeto paucis, quod etiam tomo superiore perstrinxeram, me vsu assiduo & ratione id consecutum: quòd febres omnes in vniuersum ex duplici quadam materie constent, vna quidem desixa in vasis, lenta & glutinosa: siue hæc iterum sit fœculentior bilis, seu sanguis crassior, seu pituita, aut melãcholicus humor: altera verò mobiliore, tenuiori, ac magis inflãmabili, quæ si bilem flauam non exactè refert, tamen ad illam proximè semper accedat. Quòd respexit Hipp. quando morbos omnes per κατάχρησιν vocabuli constare dicebat ex bile & pituita. atq; ille tenuior succus incendij fomitem, sed crassior alius obstructionis, materiem recursus totius nec non durationis vinculum subministrat, pro vt multus, paucus, lentus, sequax, crudus, maturus, in vasis aut cauitatibus viscerũ, his vel illis denicq; vasorum speciebus aut partubus adhæresit.

De vniuersa febrium genere pleniori dissertatio.

Continuas omnes quæ sunt legitimæ, etiam pestilentes, in arteriis collocari, propter phlogoseos celeritatem ac vehementiam: quæ etsi rẽmittat sæpius, nunquam intermittat.

Febrium cunctarum duplex materies iuxta Hipp. lib. De morbis 2.

Continuæ febris locus atque materies.

Intermittentium sedes in venis aptissimè constituta est.

Intermittentium locus atque mat.

Continuas per consensum, nothas ac spurias scilicet, censeo in ipsis visceribus inflammatis, vel spatiis inanibus contineri, ad quæ venarum arteriarumq; ductus, & oscula recta positione pertingunt, ac putredinis halitum ita continuè ad cor transmittunt. Intermittentium quæ quotidie repetunt, locum in venæ cauæ caudice, ac supra gibbas hepatis partes potissimum inuenerunt. Materiem ex pauciore bile quæ sanguini non adeò permista incenditur, eadémque mobilis, propterea discutitur singulis paroxysmis. affluente iugiter noua ab hepate, quantisper ab altera quadam materie glutinosa, pituitosa, truncus ille superior secundum interiorem superficiem oblinitur, ac præterlabenti sanguini versus

Continuæ illegitimæ locus & materies.

Quotidianæ intermitt. locus & materies duplex.

1.

2.

cor, difficiliorem transitum præbet. Hæc igitur diuturnitatis pariter fomes est ex natura sua & propter vicinia cordis recursus quoque frequentiam facit. Nam in vniuersum iuxta distantiam fomitis ab ipso caloris fonte, etiam longius quoque vel breuius spatium infebricitationis efficitur. Itaque tertianæ materiem similiter duplicem acceperunt, præcipuè tamen in vasis hepatis vel minutissimis illius plexubus, qui diuaricatione capillari propemodū infinita synanastomosim mutuam præstant venæ cauæ, quam κοιλὴν, & portæ, quam σελεχείαν anatomici vocant. Quanquam non dubitem quin etiam in caudice præcipua venæ portæ tertianarum materies colligatur, vna quidē vt bilis crassa & fœculenta, cui (cùm sit coaguli loco) propter analogiam hîc etiam pituitæ nomen attribui possit, vt veram sententiam diuini Hip. faciamus: Altera verò fluidior bilis, vltrò citroq; permeās, nouæ inflammationis periodum facit: etsi summatim in omnibus intermittentibus ferè istæc tenuior totius materiæ pars causa sit cur ægri denuò incalescant, crassior verò cur tenuis obstruatur atque putrescat: ac rursus hæc glutinosior magis accessionis totius periodos, illa liquidior in paroxysmis æstum reciprocum cieat, & cōtinentem febris materiem repræsentet. Quartanis febribus natura locum à corde maiore posuit interuallo: nimirū in mezeraicis venis, atque his præcipuè quæ propter Lienem satis conspicuæ, vel vsque ad sedem infimam prolabuntur. Materies fixa vel obstructionis fomes ijsdem sanè lentissimus, instar visci, vt verbis Hippocratis consentaneum est, qui melancholiam voluit vel maximè glutinosam, materies altera inflammationibus aptior, & quasi sub priore constricta est bilis tenuior, quæ accessionis circuitum facit, pro ratione distantiæ à sinistro ventriculo cordis, ad quartum videlicet diem. sed vehementiam partim ex qua-

In febricitationis tempus vnde ad dies plures aut pauciores extendatur.

Tertianæ intermit. locus.

Materies duplex.
1.
2.

Causa cur æstus redeat & cur totus paroxysmus.

Quartanæ intermit. locus.

Materies duplex.
1.
2.

ex qualitate ſua, partim ex copia præſtat, vt paroxyſmi longitudinem pro meatuum aptitudine, ac proportione roboris naturalis ad ma[illegible]inflammatam, quod etiam in cæteris obſeruandum. Iam vero in continuis quæ remittũt, ſimiliter diſtantia à corde & fomitis differentia, exacerbationis ſpeciem mutãt, prout putreſcens materies longius à ſiniſtro vẽtriculo cordis remouetur, aut illi ſuccenſa prius flagrat, eademq; vel pituitoſa magis, vel bilioſa, vel ſanguinea, vel melancholica. Rarò autem contingit, hîc vllum humorem eſſe ſecretũ à tota ſanguinis maſſa, ac proinde rari rigores in continuis, niſi fortè inter initia vel paulò ante criſim. Ea verò quæ de cuiuſque febris duplici fomite à nobis ſunt conſtituta, ſic ſe habere docent & pulſus & actiones cæteræ, & liberationes in ſingulis factæ, ſi potiſſimũ ſudoris, vrinæ, atque alui excrementa conſyderes: quæ verò de fomitis loco, non ſolùm præter hæc ratio geometrica probat, interpuncta diſtãtiæ addierum numerum pulchrè accommodans, verùm & per anatomen viua frequens experientia conteſtata eſt. Sed plura de his, cùm ex profeſſo requiret occaſio.

Causa vehémentiæ in paroxyſmo & longitudinis.

Continuæ fébris locus, materies, forma.

Demõſtrationis capita.

Nunc vt ad noſtrum hemitritæum æquata totius curſus planicie reuertamur; ipſa paroxyſmorum ratio ſatis oſtendit, morbi præcipuam partem in arteriis, ac ſiniſtri ventriculi cordis vicinia latuiſſe, etſi alium quendam, ſeu præcedentem fomitem ſui ſubinde ex venis, atque aliunde ſuſceperit. Fuit autem materies vt plurimum permiſta ſanguini, compoſita ex glutinoſis particulis, quæ affixæ arteriarũ concauo, occaſionem putredinis darent, nec non tenuioribus aliis ad bilem magis analogis, quæ obſtructæ præter cõſuetudinem, vbi, qua decet moueri, aut trãſpirare non poſſunt, continuè à cordis vicinia ſuccenduntur, inflammaæq; calorem regerunt præter naturã, quæ febris appellatur. Itaq;

De hemitritæi peſtilentiõ loco.

De eiuſdẽ materie & miſtionis modo.

Affectionis formæ & character expressus.

affectionis totius forma partim in obstructione, partim in inflammatione putrescentis materiæ spectabatur. Mixturæ ratio talis apparuit, vt nec plane secreti essent humores à sanguine, nec planè in vnitatem substantiæ coniugati, sed confusi, inæquabiliter suspensis, vt dixi, crassioribus ad superficiem vasis, reliquo in ipsa sanguinis massa sursum deorsúmque mobili, ac penitus æstuanti, dum glutinosæ partis vel obstructionis circumfusum vinculum expiraret. Nam hoc soluto, dissoluitur promptè atq; discutitur quod putrefactum, quippe tenuis humor ac vias inueniens in omne effluuium expeditas. Hæc quidem de proximis causis nõ probabiliter tantùm, sed methodo quoque & demonstratione certissima mihi videor consecutus. Vtque à causis incipiam, quæ velut prodromæ suorum effectuum, id est ipsius morbi, & causarum continentium ideam in se certißimam complectuntur: Præcesserat aëris intemperies admiranda

Transitio ad hemitrit. pestilentis causas præcedentes & procatarcticas ad demonstrat. continentiũ.

Aëris constit.

anni 1571, autumno austrino, pluuio, nebuloso: hyems secuta est multo humidior, assiduis imbribus, ventis ac niuibus agitata, vsque ad medium februarij: quo sanè ingentia frigora, ex Aquilone continuo vel Hellespõto, cum aëris obscuritate fermè ad veris æquinoctium perstiterunt. Tum ver cum æstate proxima in autumnum vsque austris humidioribus madens, subinde chasmatibus variis ac meteoris igneis ardescebat; quam constitutionem rursus excepit hyems, ventorum & pluuiarum copia nulli præteritorum temporum comparanda: ita magis magisque inualescens indies vsque ad principium anni 1574. Cùm igitur tota hæc cõstitutio austrina & humida, putredini valde obnoxia fuerit: etiam de materiæ promptitudine in corporibus facta per analogiam, minimè dubitandum est. His accessit salis penuria: nam & adulterino plurimum vtebãtur. Hinc enim & carnis, & pisculentorum vitia sensim in hu-

Cibus & potus.

*in humanorum corporum habitus transiere, mortem celeriter allatura. Quid de [redacted] fructuum, & legiminũ vsu inter plebeos, propter annonæ caritatem? Quid de tumultubus illis assiduis, depræda*tionibus atque ruinis bonorum omnium? *de animorum perculsione inexitabili, quæ semel quassato sanguini vehemẽter, partes eiusdem singulas exturbat sua legitima symmetria: ideoq; vel hunc concrescere facit in vasis, vel collectam eluuiem prauam intrò compellit, atque cõstringit? quare hæc in arterias pulsa, vel vsque in cordis intimum penetrale, vix vllis remediis patet: sed facta putredinis specie valde profunda, aut venẽni violentia facta, propter tamen ipsius lentorem somitis, & locĩ difficultatem, in longum protrahitur tempus, & diuturnæ afflictionis vestigia ponit, ægrè nimirum à solidarum partium habitu discessura: ferè etenim omnis contagio pestilens, ex materiali incendio in hecticam commutatur: atq; in eo differt potissimũ putredo profunda, pestifera vel maligna à vulgari, quæ synochas omnes intermittentes insuper tum simplices tum compositas comitatur: quòd hæc superficiaria magis, ex vna simpliciter prohibita diffla*tione procedat: *illa verò per repercussionem crebram & diuturnam, sæpe nimirum ac sæpius restrictis effluuiis putridis: vt ita validius siue profundius cũ massa totius putredinis fermententur: quemadmodum norunt arcani artifices venenorum, qui & formæ deleteriæ modum hac macerationis forma potissimũ consequuntur: præsertim vbi & materiem nacti sunt oportunam, & cælestium causarum apta conspiratio est.*

Perturbationes animi.

Causæ præcedentes.

Diff. putredinis simplicis & pestilentis.

Corripiebantur hoc morbo potissimum fœminæ, & virorum plurimi quîs fortuna domi angustior, natura obesior, venæ strictiores oppletæ vitrea pituita, aut prauis humoribus, vbi præsertim & cæteræ occasiones accesserunt.

Altera demõstratio causæ contin. ab analogia materiæ.

Pituitam vitream voco ex bile & pituita ita permistis, vt in vnius substantiæ speciem [illegible] diutina inter se coierint: seruat enim naturæ vtriusque pugnantis contrarias rationes. Et serè his ipsis congeritur multa, quibus magnæ sunt viscerum dyscrasiæ inuicem repugnantes, vt hepatis ac ventriculi: item cerebri, cordis: aut etiam habitus interioris cum externo: vasorum cũ substantia circumfusa. Sic sanè grauissimè laborabãt crassi pariter, & venis amplis præditi: hirsuti, nigricantes, quibus sub pituita aduſti humoris plurimum feruescebat. acciderunt & pueris paucis, & si qui correpti fuerint, non ita moriebantur: cui contrà nunc euenit hac æstate anni 1574. Videntur autem ex castris, atque ipsa pauperie, prima contagiis semina pullulasse, & hinc distracta celeri gradu cuiuscunque fortunæ lares, & oppida peragrasse.

Tertia demõstratio continentis causæ ab effectibus ipsiusdẽ causæ.

Quòd si à cognato effectuũ genere firmanda est demõstratio, regnabãt per idem tempus & alij congeneres morbi, præsertim vere atque æstate 1573. cùm dysenteriæ, pulsæ, morbilli, vermes supra numerũ infestarẽt. Sola stomacace, vel schelotyrbe etiam integri pagi sunt absumpti. Non diu durabant ea symptomata, quin accedente febre maligna, vel morbo comitiali, vel profluuio ventris, continuè morerentur: præsertim crassi & senes, intemperantioris vitæ, & cacochymici. Aliis autem erat id mali ex frigido magis humore & lutulento, cum tumoribus liuidis cruum, aut maculis latioribus, velut in sugillatis: aliis autem ex melancholia magis aduſta, cum inflammationibus rubicundis & nigris, quæ facilè in gangrænam siue sphacelum terminarentur. Si quem tertiana legitima apprehẽderat, eam (quod mirabar vel maximè) breuis admodum, atq;

Contagij vis.

expediti iudicij fuit: sed paucis contigit, dum febre hac pestilente vel multa milia in pagis passim & ciuitatibus absumpta

ſumpta perirent, nullam amplius curam caritatis annonæ, aut calamitoſi temporis in poſterum habitura. Præcipuus vigor contagij fuit anno 1573. à veris medio per æſtatem, atque autumnum, vſque ad huius anni auſpicia, quo deſlagrare ſenſim viſa & in apertam peſtẽ aut lenticulas commutari.

Quarta demonſtratio cauſæ continentis longiſſima ab effectubus morbi vel ſymptomatibus.

Eamus ad noſtræ demonſtrationis alterum fundamentum, ad morbi illius effectus atque ſymptomata: vt iſtinc velut à poſteriore ſed tamen ſolidiſſimo fundamento noſtram de cauſis proximis hypotheſim cõfirmemus. Incipiebant ferè cũ grauiſſimo dolore capitis & ſomnolentia, propter efferueſcentis ſpiritus, vaporis, exhalationisq; craſſitiẽ ex ſubiecta materie, quæ aſſiduè à corde per arterias ſurſum ad cerebrũ exundabant. Aderant & cõmunia cætera, ingens præcordiorũ dolor, ſitis, inflatio, ſpiritus frequens, ſuſpiria luctuoſa, iactatio corporis, extrema laſſitudo, frequẽtes vomitus circa initia; ſæpe & ventris per inferna excretio turbulenta; in omnibus & bilis exuperãtis ſumma malignitas, & pituitæ lentor apparuit: multis à primo aſſultu deſtillationes grauiſſimæ in nares, in ſtomachum, in metaphrenum, crura aut brachia perfluebant, cum dolore ſpinæ intolerabili: plærisque ſtatim ſudores rari ſubfrigidi, ſine dierum lege aut ordine promanantes, qui in perfrigerationem exitioſam cum ſtertore vt plurimum deſinebant. Sæpe cũ illis & puſtulæ variæ vel exanthemata in variis partibus occurrebant, nunc cum tumoribus liuidis, nunc veſicis atque ampullis, nunc denique cum excoriatione totius, pro acrimoniæ vehementia, ac putredinis modo. Multis inſomnia ferè continua poſt nonum, vndecimum, decimũ quartum diem, in ſomnum dierum pluriũ terminabantur, quibus & curationis ſpes multo maior affulſerat: præſertim vbi ſudor vniuerſalis acceſſerat, contrà quàm aliis quorum

1. Cõmunia ſymptomata.

Prognoſeis varia.

1.

vigiliæ transibant in cõma lethargicum, aut cataphoram,
aut catalepsim. Multis parua initia, & valde tran-
2. quilla exiguam latentis veneni suspicionem de se dabant.
Verùm ilicet à quarto, aut septimo die in phlogosin maxi-
nam euadebant, cum delyrio aliàs continuo, aliàs interru-
3. pto. Quibus à principio vehementia maior, his ferè minus
4. periculi fuit. Qui vehementius purgabantur, mortui sunt
5. plurimum ante crisim. Quibus aures obsurdescebant, etiã
in melius progredichantur: foràs enim vertebatur morbus,
ac vel sudoribus copiosis, vel supervenientè lotio crassiore
6. sunt restituti. Quos sudor non iudicabat, longa illis impres-
sio febris quid hecticum olens cum cathexiæ vestigio per-
7. manebat. Qui magis diebus paribus agitabãtur, ijs & ma-
8. gna ex parte funesta catastrophe fuit. Moriebantur qui-
bus & sanguinis boni profluuia ante septimum diem: nam
symptomatica erat excretio, non naturæ prouidentia aut
9. gubernaculis fulta. Peribant & illi quibus quartum inter
& nonum diem sudores subfrigidi, aut pustulæ paruæ &
nigræ nunc foràs erumperent subitò, nunc ab oculis oblites-
10. cerent: sequebantur has euestigio magna delyria, tremo-
Mortis modus. res manuum, pedum. pulsus conuulsorij, cũ iactatione cor-
poris & summa inquietudine, lingua tremula, vrinæ &
alui incontinentia, tandem ex sudore continuo perfrigerati
Vrinæ. ac rigidi spiritum exhalabant. Vrinæ vt plurimum inter
11. initia tenues, minimũ tinctæ, sed sensim ex pallido in ruf-
fum, inde in sanguineum, passeum, aut atrum penitus mu-
12. tabantur: neque vllum curatum memini, nisi prius in illis
cũ plurimis bilis, & pituitæ portionibus crassissimũ veneris
13. sedimentum, instar puris aut fœcis: etsi plerosq; anticipans
14. ventris profluuiũ hanc vrinæ speciem intercepit. Morituris
sæpenumerò cũ atro admodum circulo, contenta vrinæ cõ-
similia, atq; ex ijsdem spirans teterrimus fœtor.

Mulcæ

Multa erant in morbi hoc genere propemodum prodigiosa: quæq; diuinum illud Hippocratis in vna mistura totius forma inclusum & abditum retinerent. Vt quamuis plerique in istiusmodi ferè cum nautis imperitis ad astra confugiant, tanquam infidæ rationis patentissimum campum: mihi profectò non satisfaciam nisi & inferioris materiæ, ac receptricis causæ, per compositiones certas qualitatum primarum, secundarum, & in eodem corpore sæpe contrarij temperamenti facta sit præparatio. Illa autem est quam signis modò me plurimoribus explicuisse pariter ac demonstrasse confido. Erat quiddam fateor in ♄△♂ ante ingressum ☉ in ♈ anni 1571. aliisq; copulis admirandis ☿☉♂♀ euestigio consecutus: etsi verò ille trigonus dudum antè præcesserit, tunc tamen paulatim semina spargebantur, ac durabat supernorum ea connexio plus mensibus 10. secuta est etiam lunæ defectio mense Iunij 1572. digitorũ 8. quam propter copulas ☉♂☿ aliosq; radios valde insignes noui illius syderis causam aliquãdo credidimus, cùm adhuc sub cometarum ordine teneremus paulisper cũ ipsa multitudine cespitantes: sed hæc momenti exigui sunt apud medicos abortiuos, ac meritò sanè, quibus profectò etiam quæ propiora sunt posse inspicere palmarium duxi, ac proinde si ad materiem caligãt adeò, non est quòd è Cymmeriis tenebris oculos tam repentè ad astra sustollant, cùm eorundem lucem quam affectant maximè, sæpe & nomine profitentur, minimè ferãt: quæ sola ratio fuit cur Gal. parcius consyderationem ad cælestia trahat, non quia rudis, sed scribendum rudioribus fuit. Nũc igitur diuinitatis characteristicam notam, ex vna materie & mistionis proprietate pendentem aliqua ratione deprehendimus. Primum est, quòd etiã nono die præterito, ac decimo quarto, morbi vehementia perduraret: sæpe vsque in vigesimum, vel vi-

Progressio ad diuiniora symptomata.

An diuinitatis ratio hîc vlla ab astris.

Copulæ planetarum.

Cur Galenus parcius ab elementorũ consyd. digrediatur.

Argumenta diuinitatis in morbo præsenti.

geſimum ſeptimum diem; cùm enim rarò conueniant ſimul & grauiter affligere, ac diu perſiſtere, idcirco compoſitam fuiſſe materiem, ac modo mirabili fermentatam tacitè colligebam: videlicet igneas quaſdã putredinis partes in profundo poſitas, quæ ſenſim vrentes ſub multo tamen glutinoſo & aqueo delitеſceret. Erat aliud eiuſdem propemodum argumenti, illa nimirum frequens ſomni inſomnij, Ἐνοίας delyrij alternata viciſſitudo, confuſa interdiu qualis & in ſopore vigili à Gal. eſt exarata. His adde, quòd plurimis vigore præterito, tamen & morbi ſit aucta malitia: vt quaſi deuorato boue, tandem in cauda deficerent. Hæc autẽ ſimul conſiſtere poſſe Gal. oſtendit lib. De morbi temp. reſtincto quidem incendio ſecundum extenſionem, ſed intus graſſante putredinis virulentia, cũ obſtructionis materie, cum ſumma iactura virium: vt quam excoquere plenè non potuit propter malitiam, facultas imbecillior nõ abſoluat, imò vel aggredi in poſterum vereatur: & quos totius mali ferocia minimè ſuſtulit, diuturnitas paroxyſmi & repetitio crebra confecerint.

Morũ ſumma malignitas.

2.

3.

2. Symptomata ſingularia quæ variis pro varia conſtitutione cõtigerint.

1.

Nunc etiam iuxta peculiarem ἰδιοτροπίαν plærisq; incredibilia cõtigerunt. Multis enim lingua aſperrima in fiſſuras aridas, vaſta profunditate debiſcens, cum ſanie ſanguinem extillabat: credo propter inflammationis magnitudinem, vt aliquoties à laureolæ grano aſſumpto, vel etiam ſtibij granis aliquot, etſi optimè præparatis, itẽ ellebori decocto intempeſtiuè ab aliis inſtituto in apertam ægrorum perniciem, obſeruaui. Aliis verò inflammata eadem atque oppidò tumens; aliis hiulca, ſquamea, nigrantis corticis inſtar. Vidi quibus exactè viridis, nullo alterius generis colore perfuſa, dixiſſes folium nucis iuglandis vel oxalidis, ac tales propemodũ omnes moriebantur. Erant ij; ijſdem ſanguis, & vrina cõſimiles iuxta Hipp. in Epid. Lingua index

2.

3.

3. Linguæ vis in morborũ cauſis aperiendis

eorum

eorum quæ ſunt in vrinis. oſtendebant ſcilicet ſingula pra-
ſinæ atque iſatoeidis [redacted] malignitatem inſu- 4.
perabilem. Nunc aliud quiddam in linguis multorum con-
tigit, & maximè rarum: vt illarum tunicæ totum corpus
abſcederet: vt abſtergẽdis ſordibus & pelliculis (ſpatio ho-
rarum 24.) vix cochlearia 7. aut 8. ſufficerent. Ea quan-
titas progreſſu tẽporis nequaquam diminuta ad certũ la-
borantis exitium laborabat. Nam detractis aliis, aliæ ſub-
naſcentes aſſatim ſubinde & ſuffocationis pericula mina-
bantur. Hæc illis potiſſimum qui à vino prohibiti abſtinere
noluerint. Quorundam vrinis poſt ſeptimum diem primò 5.
ramenta quædam craſſiora, tum carnea tum membranea
ſeceſſerunt. poſtea & ſurſurea, ac poſtremò minima quæ-
dam corpuſcula, propè in atomorum ſpeciem comminuta:
pro vt accenſus putredine calor altius ſeſe inſinuat carneis, Vrinæ peſti-
ſolidiſq; particulis, ac diuiſiones illarum ad ſcrupula facit, lentibus fa-
teſte Gal. Comm. in progn. Atqui hoc genus ex atomis in miliares.
peſtilentibus valde eſt familiare: præſertim cum vrinis al- 6.
bis & pallidis: maiore nimirum incendij parte ſe ad præ- Rarum in
cordia retrahente. Quatuor, aut quinq; imuiſi, quibus poſt vrinis.
diuturna delyria velut pus exactum non exigua mole ſub-
ſideret, primo ſubruſſum, carminatum, ſanguinolentius,
inde & album, æquale, & leue, ſic tamen vt varij humoris
rudimenta in locum ſuum tendẽtia pro elementi ſpecie re-
lucerent. Erat autem & plerisq; ſubatrum in fundo, ſur- 7.
ſum liueſcens, ac ita ſenſim candidius atq; tenuius. Quod Aliud.
autem vix vnquam aliàs vidi id erat: in ea craſſitie ſedi- 8.
menti centrum ſe peregrinum, ac diaphanon oſtendebat, Aliud rariſſi-
tanquam hîc vacua ſedes in circumferentiam amplã im- mum.
munis à purulenta colluuie ſeruaretur. Tales vbi prodierãt
pleniſſimè iudicati, ac rediuiui velut ad inferis reſurgebãt.
Factum id arbitror ex fomite peſtilenti iam ſeparato peni-

tus, &

tus, & per vrinas excreto: cùm innati ſpiritus ea ſit vis, vt

Spiritus vis in vrinis.

in vrinis (Actuario teſte) aliquando ſupra memoratus, iuxtæ ideam eius poteſtatis, antipathiæ & ſympathiæ quam in corpore ſemper obtinuit, etiam nunc egreſſus obambulet, ſingulis partibus ſua loca decernat, noxia quæq; & peregrina longius à ſe repellens, aut in circumferentiam trudat, aut medio quocunque ſpatio circumſcribat, vt ſæpe ne velle quidẽ rurſus attingere videatur. Innumera ſunt huius morbi miracula, ſi caſus ſingulos repetã cũ animo meo;

Hiſtoria mirabilis.

ſed refero paucos, eoſq; illuſtriores. Noui mulierem cui in pelliculas craſſas & glutinoſas non ſolũ lingua, ſed & œſophagus vniuerſus cum ventriculo, tandem & inteſtinorum tunicæ putruerunt. Hæc inter initia ſitiens maximopere, vinum auſterum & rubrum hauſerat in vno die propè ad quantitatem lib. vi. vnde ſic illi guttur incanduit, vt nec liquidiores cibos tranſmittere, nedũ medicamenta potuerit. Obiit illa miſerrimo fato, damnãs humana præſidia, multumq; impatiens, quòd ne potui quidem accipiẽdo in acerbiſſima ſiti, viam aut inſtrumentum commodum reperirẽt. Vrina huic alba ſemper inter calores maximos totius corporis, in qua tamen odor grauis & piſculẽtus indies augebatur, vnaq; fluebãt primò furfurea quædam; inde & pellicule magnæ: & poſtremò pus manifeſtum, villis, feſtucis, & tunicis variis intertextum. Aderant ſingultus, ructus aſſidui, cũ tanta doloris acrimonia circa præcordia, vt tanquam parturiens miſerrimè clamitaret. Sed poſt delyria, parua ventris torſio ſuperuenit, ac primùm fœtida, purulenta per ſedem copia incredibili profluxerũt: inde & ſanguis per os, & per poſticam cum dolore punctili, vehemẽti: atque ita per acerbiſſimos cruciatus extincta eſt paulo poſt vigeſimum diem. Sic Deus interdum vel cauſis omnibus exploratis, in artium atque artificum vbertate maxima,

omnem tamen cùm velit humani præsidij atque operationis aditum intercludit. Profectò (vt retuli prius) ea membranarum defluxio prò quantitate sui, certum moritaris prænuncium misit. nam ex hepatis, aut pulmonis, aut cordis sydcratione contigerant, vt etiam per anatomen deprehensum est. Plerùq; dissecto corpore, vniuersa hæc viscera, aut maior illorum portio nũc nigra vt carbo quispiam visa est, nũc suppuratis pustulis plena. fit enim facillimè, vt per consensus tunicarũ pituita concrescens iugiter adhærescat, eademq; salsior, aut virulentior, subiectam œsophagi, linguæq; substantiam depascatur. Possum in vnam historiæ classem nominatim plurimos recẽsere: vt mulierẽ in Aethiopis symbolo, & sub insigni Hierosol. sed differo morbos omnium singulares in aliud tempus, dum maiore cum ocio praxeos meæ curriculum vniuersum, cæteríque rariores casus in vnum volumẽ à nobis redigi possint. Cæterũ in vniuersa hac serie, vix vnum aut alterum vidimus perfectum hemitritæum. Exacta enim imago descriptionis Galenicæ patuit nobis in Iohanne Schatz mercatore quopiam, sub insigni maris rubri. Vidi & ante aliquot annos in nobili quodam adolescẽte De cordes: & rursus anno superiore, sed subobscurius, rudimentum in Parcensi monacho: in iuuene quodam aulæ principis de Symei: in D. de Werne: & plerisq; aliis: verùm illa in Schatzio præ cæteris adnotanda, alternis etenim vna tantùm accessio visa est, alternis duæ, sic tamen vt singulæ suis horæ distinctæ, suas quoque anticipationes ad horæ vnius spatium retinerent. Verùm quæ quotidie repetebat, horroris leuiculi specimen dedit; rigoris altera quæ tertio die. nunquam erat febris expers omnino, sed melius totius circuitus tempus, quod paulò ante aduentum vtriusque paroxysmi diebus imparibus venit. Secta fuit liberaliter satis ab initio vena: purgatus abundè materie

Ratio mirabilis cõstitutionis in lingua.

Historiæ exacti hemitritæi in pestilentiũ genere.

Historia prolixior hemitritæi.

teric vtcunque concocta ante ſeptimum diem : lingua erat impensè viridis . mali auſpicium ferè à ventre incepit, ita conſcendens verſus præcordia, [illegible] per acceſsiones ſingulas incrudeſcebat grauiter. circa nonum diem acerrimè laborauit, in acceſsione delyrans ; ante illam vomitu crebro & ſummis præcordiorum anguſtiis agitatus . Et cùm parciſsimè eſitaret pro longitudine morbi, iuſsi frequenter comederet ac parũ, curationem ſcilicet intuẽs per ἐπίκρασιν. Remiſit ſe morbus facta paulatim ſecretione per ſudores, ſed maximè per vrinas rubras, craſſas, in atram penè hypoſtaſim ſubſidentes , poſt quartũdecimum diẽ: ac iam penè curatus ex intempeſtiua deambulatione, quam per vẽtos & pluuias voti alicuius gratia ſe ſuſcepiſſe dixerat, recidit in multo vehementius malum ac dudũ euaſerat , accedente dolore colico: & cùm non eſſet ea medendi occaſio quæ prius fuit, lentando ac remigando ſenſim protractus eſt morbus denuò in decimum ſeptimũ diem; exhibita ſubinde aloës citrini portio vel pilularum communium ℥ ı . pituitã viſcidam copioſam cum fæcibus exturbauit : vnde factus alacrior, ſed rurſum intemperans ad ſolita negotia ſe recepit: ingeſtuq; herbaceis multis , oleribus, fructibus, leguminibus, magnam eruginoſæ bilis ſaburram in ventre congeſsit. Hinc ille quo primùm inceperat exacerbatus iterum colicus dolor per biduum integrum afflixerat ſupra modũ: & cùm venter non reſponderet commodè vel enematibus prouocatus, repentè concidit: adeoq; comitiali paroxyſmo correptus fuit, vt & ſpuma circa os verſaretur , neq; ante tres horas ad mentem ſatis redire potuerit. Data decoctio ex ſene agarico cum aliis quæ molliendo incidendoq; paululum morbi ferociam mitigarent: multa deiecit lenta & viſcida, cum abundantia bilis omnigenæ. Redierunt paruæ quædam deliquia cõuulſoria, ſed paulatim minora, ac tandem

Epicraſis.

Recidiua quam Hipp. ἐπόσροφον vocat.

Alia recidiua grauiſſima.

Curatio.

dem

dem ita purgatus, adhibitaq; accuratiore victus ratione, ante nonũ diem integerrimè restitutus est. Fui in hoc prolixior, ad exponendam veram cherypum Hemitritæi: quòd illum à paucis cognosci sciam, à paucioribus obseruari: cùm tamen plurimæ febres complexu suo eandem ceu proximis vestigiis imitentur. Miranda sunt etiam quæ in aliis contigerunt, quæq; hoc loco penitus præterire non potui. Cuidam tantus sudor effluxit post septimum diem vsque ad vigesimum: vt diebus singulis & lintea, & culcitram, cum stramentis ipsis imbueret. Quidam qui vasis vitreis victum comparabat, adeò vehementi delyrio raptus est circa vigorem, vt superueniẽte epilepsia cõuulsiones propè assiduæ per dies 3. aut 4. detinerent, tanta vehementia vt linguã dentibus amputatam in astantium ora expuerit. Medicus Anglus ex Paracelsistico genere, alioqui in arte chymica valde insignis, hoc morbi genere primùm correptus cum vxore, tum huic tum sibi porrexit antimonium præparatũ vt vocant. Illa quidem celeriter in maniam fortissimam versa vitam morte commutauit: hic autem primò cõquestus insomnia, vigilias q; continuas, à deiectione non pauca ante septimum diẽ in delyrium venit, (quod & ille in proximo esse satis præsenserat, & mihi præsenti quæstus fuerat, quanquam suadenti, vt ad frigida & humectantia tempestiuè se conuerteret, fidem habere nõ potuit) à delyrio statim vt præsagiuimus factus est epilepticus: ex epilepsia in comma lethargicum venit, cui quid apoplecticũ misceretur. eo sopore detentus per triduum rursus ad insaniam rediit, horrendoq; furore agitatus, nõ multo pòst expirauit, & à communi lecto communem vxori tumulũ est ingressus. Cuidam iuueni studioso per vniuersum curriculũ morbi contractior fuit sinister oculus: doluit sinistrũ latus, præsertim per exasperationem totius circuitus: ac circa crisim

Historia.

Historia.

Historia mirabilis ab assumpto antimonio.

Alius casus.

inflata

inflata arteria cruris sinistri secundum longitudinem mo-
uebatur: vt nobis conspicua velut retractus funis quispiam
Historia. *verti sursum, deorsumq; videretur. Alter plebeis alterum*
mercatorem, cui pustulæ nigræ per vniuersum corpus ante
septimam apparuerint: his verò delitescentibus subitò, de-
lyrauit. ac superueniente circa vndecimam ventris profluvio vel diarrhœa, tum denig; & sanguinis atri, purulenti,
Historia. *fœtidi magna copia per os, mortuus est decimotertio die.*
Inuisi lanium qui perductus ad nonum diem feliciter, iam
iam peracta propemodum crisi, cùm in sudores erumperet
copiosos, hausto ingenti cyatho aquæ frigidæ quamprimum
toto corpore factus est rigidus, ac post horas tres procedẽte
delyrio conuulsione infeliciter perijt ante vndecimum diẽ.
Historia. *Alter lanius post vigilias diuturnas à nono die propè ad vi-*
gesimum vsque, somno altissimo & naturali proximo per-
sistebat, nũquam experrectus vltrò, nisi cùm sitiret admo-
dum: tum conuersus obiter potum ab astantibus exigebat,
iterumq; reclinans se ad parietem continuè dormiebat. bi-
berat is decoctum Zeæ cum radicibus plantaginis: ac post
Historia. *vigesimum planè curatus fuit. Noui mulieres duas quæ per*
octiduum integrum conuulsæ ac propè exanimes velut in
agone fuerint cõstitutæ: dicebam, si hæ reuixerint, omnem
ego meã librorum supellectilem Vulcano dedicabo, ita om-
nia signa Hippocratis lethalia in vnum exitium conspira-
bant: repentè tamen vel natura duce, & mali violentiam
& expectationem medici superarunt: quod & aliis passim
Historia. *vel in arte versatissimus vsuenisse intelligo. Sunt & pleri-*
que à me cõspecti, quos nulla ab initio statim insignia sym-
ptomata, imò ne febris euidens, aut dolor, aut delyrium ex-
ercerent: attamẽ in eodem tenore degentes, vna totius cor-
poris lassitudo ægrotos esse docuerit; ac mortui sunt circa
Historia. *quartum, aut septimũ diem. Noui quibus alternis ictheritia*

facta

facta est, alternis color natiuus resloresceret. Alios quoque, quibus hoc ordine aut vētris fluxio, aut tumores circa adenas, præsertim auris [redacted] regione tali cruciatu, ac si ab infixa cuspide pungerētur: istis vel in tumorē phegmonidē: vel in puris effluuiū ex eadē aurē morbus abscessit. Quādā fuisse matronā memorāt in alia ciuitate prope Mosam: vt etiā à fide digno accepimus, cui post capitis vehemētissimos & diuturnos maximè cruciatus, dissecta caluaria magnā putredinis vim ostēderit circa substātiam cerebri, & inter menynges, tum vermiculorum, tum cimicum copiam incredibilem. Neque id adeò mirum vt illud Holerij de scorpio nato, & plæraq; alia quæ nos aliquando genita putredine matre conspeximus. Alteri cuidam adolescenti per cō-similes febres exortis lenticulis cum assidua diarrhœa, per plurimos dies sola errabat imaginatio, constante nimirum ratione atque memoria: nam & se delyrare plurimū quebatur, & obuersantia simulachra non posse vel vi excludere. Tum rursus phantasiæ potentia maior insurgens rationale iudicium obscurabat: argumento admodum luculento, facultatum ambarum sedes esse distinctas, non totas tota cerebri ditione confusas, vt frustrà doctissimus vir Fernelius, sed petita longius demōstratione contendit. Atqui hæc accidentium infinita varietas, si genus obserues, ex vna materie, formaq; consimili putredinis oriebatur: sin speciē certam in animo comprehēdas, sua cuique peculiaris causa & ratio poterat assignari; vel in diuersitate misturæ, vt mistilium qualitate, proportione, substantia, corruptionis ac putredinis modo: vel (quod præcipuum reor) in illa natura partium adeò differente, dum quæque pro sua infirmitudine, seu accidentalis fuerit seu insita ab origine, nunc ad excipiendam materiem morbi, nunc ad consensus compassionisq; necessitudinem facta est opportunior. Sic enim

Historia.

Historia quā solam author non vidit.

Historia.

Facultatū cerebri certa distinctio in partibus organicis.

Vnde hæc accidentiū tanta varietas.

Simile in aliis morbis per consensum. Axioma generale.

in vno hemicraniæ genere, aliis dextræ capitis partes aliis sinistræ potius affici consueuerũt, per ventriculi sympathiã. Sic & abscessus seorsum primo accedunt in eam partem quæ adresistendum fluxioni sit imbecillior: vt annotauit Hipp. Aphorismis 31.32.33. lib.4. & Gal. lib. De diff. febr. aliisq; locis compluribus aptè disseruit. Sunt autem vt & materiæ contentæ, sic continentibus locis suæ proprietates & vires, suæ propriæ cruces atque supplicia, vt ex superioris tomi commentario liquet, vbi de locorum indole disputatum est.

Axioma.

Criseos vniuersæ ratio in pestilentibus hemitritæis.

Crises istarum febrium rarò subitæ simulatq; perfectæ: verũ vt dixi diuulsæ in plurimos dies, alternatim in morbum exurgente natura; nec tam dierum numerum sequebantur, vt vulgus enumerat, quàm Lunæ medios motus, id est, certa dei lunaris spatia, quibus 12. signiferi gradus absoluit: vel vt expressius dicã, schematismos illius & radios, ad primum Zodiaci punctum, in quo sub morbi principium fuit inuenta. Hinc enim promota ad cæli octauam partem, id est 45. graduum intercapedinẽ, quarti diei consuetudinem referebat: quinti, cùm ad sextilem locũ: septimi, cùm ad quadraturæ radium: noni, cùm ad trigonum: decimi quarti, cùm ad exactũ diametrum, vel oppositum peruenisset. ac tum plerisq; succussiones validæ, corpus rigidum instar cautis, aut statuæ, apertis oculis, cum tremore labij manuumq;, & aphoniæ.

Tempora.

Criseos forma.

Transit ad curationẽ hemitrit. pestilẽsis.

Nunc verò cùm morbi ratio partim à causis, partim ab effectibus firmiter comprehensa est, curationem paucis absoluam: quæ tamen pro ipsa affectionum specie, pro naturæ corporum infinita, nexuq; symptomatum admirando, ferè & contrariis fuit indicationum generibus implicata. Erat communis quædã & cuiuis obuia, quæ partim obstructiones respicit, materiei concoctione vasorumq; apertione soluendas;

I.

Communis curationis idea eiúsque intentiones præcipuæ tres.

uendas; partim profundæ putredinis virulentiam non forti 2.
per aluum purgatione tollendam, sed frangendam antido-
tis oportunis, quæ tum reparæ suo humido, & refrigerandi
facultate adiunctam tenuitatem partium admirabilem, 3.
& calorem altè demersum, nostro natiuo calori congruum
retinerent: partim denique & hoc præstarent, vt periclitantis naturæ virtus tum longitudine morbi, tum vehemẽtia & malignitate, diutius confouerent, atque ad sustinẽdos conflictus infractam, integram profortunæ permissione seruarent. Ea propemodum vniuersa vno subinde negotio & instrumento, etsi in aliis aliter temperato aliquãdo sum consecutus. Dedi sæpe decoctum raditis plantaginis cum asparago, atque oxalyde, per cõtinuos dies: ditioribus paulo zulapia ex oxysacch. simplici, syrupo de acido succo citri, vel limonibus, cum saccharo rosato, aqua betonicæ, cardui benedicti, fol. persicorum, cassuthæ, & id gemis aliis: quæ ventre lenito paululum ægrotos mirificè recreabant. Vitaui quantum potui scammoniata quælibet, aut bisce validiora, metu profluuij, quo semel correpti vix sisti poterant, vix vires semel deperditas reuocare. præsertim cùm illa humorum malignitas intempestiuius concitata, sibimetipsi calcar adiunctum habeat: ac per fas & nefas qua data porta ruat, cum euidenti facultatum atque spirituum detrimento, lipothymiæ, conuulsionis, vigiliæ, delyrij periculo manifesto. Quare duntaxat infusa plæraq; ex rhabarbaro concinnabam, adiecto interdum agarico, & foliis senæ. In delicatioribus syr. rosati soluiui, syr. de cychorio cum rhabarb. cassiæ, mannæ, & diacatholici vsus oportunissimus fuit. Mediocres optimè soluebantur pilulis ruffi, cõfectione elect. lenitiui: decoctis communibus ex fol. senæ, carthamo, agarico, cũ anisso fructibus halicacabi. passulis corinthiacis, & modico rad. asparagi, florum viol. acetosæ, &c. præsertim

Decocta & zulapia.

Cur vehementes purgationes fuerint perniciosæ.

Ventrem tutò lenientia in principio morbi.

Veilissimame-dēdi formula in difficillimis morbis atque suspectis.

quando illorum portio meliore circuitus tempore sumebatur, semel, iterum, ac tertio repetita. Nam paruis præsidiis mali ferocia non cedebat, sortia simul & subitò minimè sustinebat: imò totius victus & medicationis cursum propè necesse fuit ad vires symptomatum singulas, ad momenta temporum & momentorum scrupula temperare: vt minimè mirum, maiorem mortalium partem non tam vi morbi forsitan periisse quàm vel occasione fortuita vel incuria ipsius ægroti assistentium, medicorum: vel denique istorum inscitia & multitudine, dum disputãdo prius opportunitas rerum à tergo calua dilabitur, quàm ratione cõstituta apprehendi possit. De venæ sectione sæpe ac meritò dubitatũ est: sed plures peribant, quibus aperta est, quàm qui sanguinem in commeatus subsidium reseruarunt. Præsertim his infeliciter cessit, qui post diem tertium detraxerunt, nisi alia vrgẽs necessitas foret. Nam ante accessionem sanguis eductus, partem quoque obstructionis auertit, & præcedẽtis causæ machinas ferè oppressit. minore tamẽ periculo, si prius & ventris facta lenitio esset: sed postquam confirmata iam inflãmatio sanguinis fuit, oppressis viribus sanguis duntaxat melior effluebat, defixo deteriore in venis atque arteriis; vnde & facultates animæ sternebantur, & pestilentis contagij semina commota fortius in penitiores aditus ferebantur: vt ferè in omnibus mistilium agitatio ad mistionis energiam maximè facit. Quare nisi vel corpus plethoricum esset, atque ægrum vocatus sub initia visitassem: nisi & partis alterius certa phlegmone quid grauius minitaretur, ad venæ sectionem non lubens accessi: quin si quando importunissimorum hominum obtrectationes, aut artis calumniam ex neglectu tam vulgaris præsidij veritus fui, indulgens paululum detrahebam ad ℥ij. aut iij. atque cùm se rubẽtiorem iusto sanguis offerret, iam velut aperto

Venæ sectio an contulerit.

Vide quã suspectũ præsidiũ sectionis venæ in pestilentibus.

indicio & mihi, & cæteris satisfeci. In aliis affixæ cucurbi- Cucurbitæ.
tæ cruribus, brachijs sura & scapulæ plurimum profuerũt.
Vsus sum satis frequenter diascordio meo, cuius compositio
constat instar theriacæ ex variis, ac cõtrariis inuicem fer-
mentatis. Habet pro basi scordiũ, inde dictamum Creten- Diascordij nostri præstantis. cõpositio.
sem, absinthium ponticũ, epithymum, cum rosis Alexan-
drinis: habet & semina plantaginis, nucleos pini, melonũ,
lactucæ, papaueris albi, erratici, cucumeris, cucurbitæ: ac
paulatim in minore proportione, rad. gentianæ, angelicæ,
zedoariæ, pseudodictami, nucis myristicæ, macis, croci, pipe-
ris albi, myrrhæ, cinnamomi, corallinæ, rhabarbari, xyla-
loes, gũmi belzoini, masticis, boli Armenici, cãphoræ, propè
partes æquales: cum alijs odoratis, & inodoris, vt musco,
osse cordis ceruini, & similibus paucis, quæ mira proprieta-
te vitalem spiritum atque animalem recreãt, omnibus ex-
ceptis saccharo & vino adeoq; digestis in formam opiati.
Mirum in modum ea cõfectio venenis, vermium corrupte- Vsus diascordij.
læ, & morbis pestilentibus reluctatur: sudores atque vrinas
extemplo prouocat, vires confractas citius expectatione
redintegrat. Habui & acetum cum æqualibus vini parti- Acetũ sublimatum.
bus, multo circuitu destillatum, maceratis in eo liquore
prius his speciebus quæ theriacam ingredi cõsueuerunt: sed
adiecta copiosius camphora, bolo Armenico, alij q3 refrige-
rantibus. At cui res familiaris angustior, vel curta supel- Decocta communia.
lex fuit, dabam decocta sæpius in sero lactis ex oxalyde, tri-
folio acetoso, cum passulis corinthiacis, &c. Sæpe & cornu
ceruinum, cũ corallinæ puluere & modico rhabarb. quo ni- Puluis præstantiss.
hil præstantius vbi vermiũ ingens suspicio subest: nam por-
recto hoc antidoto defluunt agminatim. Vngebã in pluribus
frontem & tẽpora, propter dolores grauissimos, metumq3 Vnguenta.
delyrij, vnguento rosato, sæpe cũ populei modico, ac tertia
parte vng. albi cãphorati, quo se leuari mirificè prædicabãt.

Antidotum sopocifer: ũ ad reprimendam acrimoniam bilis.

Multis cõtra immoderatas vigilias profuit sola requies Nicolai, cũ syrupis calidiusculis [illegible] ltis syrupus de nymphea, vel de papauere, vel diacodium Mesues, addito pauxillo syr. de succo citri, cum aqua florum papaueris erratici, melissæ, bethonicæ, & consimilibus, quorum nec certa species vbique nec misturæ ratio præscribi potest. Dici non potest, quã multos curauerim vno decocto Zarsæ parillæ, si quando in diploide vel vase duplici pararetur: sic enim spirituosa illius substantia non exhalat, sed per reflexus continuos cũ potus totius corpore denuò permiscetur: atq; tum contra pestiferos morbos siue venena validius profligãda, tum pro principiis nostrorũ corporum resouendis mirabilem concipit analogiam. Nam quicquid alij statuant de caliditate nimia clamitantes, equidem vel in ardentissimis febribus, naturis oppidò bilios is, ventre purgato paululum, ac statim à criseos primo rudimento, plus centies vsus fui: ac rationalẽ viam successus vbique felicitas consecuta est. Nec aliud habui rationis fundamentum, quã Gal. methodum in explorandæ simplicium facultate, quæ ita sæpe composita à natura dicit, vt nomen simpliciũ præ nostris cõpositis ac polychrestis omnibus aspernentur. Videbam in illa radice saporem primò subdulcem atq; decoctum, etiã pingue quiddam, recrementitium & calori humido cõsentaneum: sequitur hunc amaritudo leuicula sensim sese aperiẽs tum abstergendis vasis atq; visceribus opportuna. Postremò tẽtanti diutius, etiam altè demersa tenuitas explicatur, calor non vrens, neq; salsus, aut mordax: sed subtilis, volucer, vt in recessus abditissimos partium solidarũ possit vel momẽto temporis peruagari. Quamobrem quia morbus compositæ rationis, hæc paulatim concoqui, roborari; illa velit secerni, abstergi, dissplodi, discuti, aperiri, vsq; ad minutissimas corporũ partes: quia rursus conseruandæ virtutis prima vbiq; est

Zarsæ parillæ vel smilacis asperæ vsus insignis.

An conueniat in calidis morbis.

Fundam. Gal. certissimũ in reliquis facultatibus explorandis subsidium gustus.

Analogiæ cõsyderatio inter facult. medicamenti & scopos.

eſt indicatio, quòd hæc per ſe, medicus curationem quaſi ex accidente perficiat: idcircò me aberrare non poſſe fidebam, ſi hoc inſigni auorum manere tanquam Iouis ipſius manibus, hydram immaniſſimam oppugnarem. Quòd certò ſciã in vno hoc medicamento, & nutriendi quandã vim ineſſe mirabilem, & facultatis deleteriæ vindicem, obſtructionis ac putredinis curatricem. Imò, vt verbo dicam, inſunt ad vitæ cuſtodiam, principij vtriuſque ſemina non obſcura: alterum, quod in ſolidis partibus ſubſtantiam humidi primogenij poſſit reficere: alterum, quod cum ſpiritu calorẽ æthereum reſtaurare. quanquã dubio procul non omnibus æquè conueniat in eadem ſpecie morbi: quin quãtitatis, ordinis, aliarumq; rerum ratio ſit vna in calculum adhibenda. In multis etenim adiunxi maiorem partem rad. plantaginis, eryngij, aſparagi, caryophyllatæ: n aliis lignũ aloes, cinnamomum, aut aliud quicquam. Imò ſubinde decoctis cæteris parum duntaxat ipſius zarſæ quo velut additis alis, quod reliquum foret celerius multo, vel in corporis penetrale, vel in externam circumferentiam permearet. Vt verè à Poëta dictum ſentiam,

Sũmaria vis Zarſæ cui vix ſecundũ alterũ reperitur.

Varia zarſæ præparatio.

Fœlix qui potuit rerum cognoſcere cauſas:
Ille metus omnes, & inexorabile fatum
Subijciet pedibus, ſtrepitumq; Acherontis auari.

De vlteriore transmutatione febris pestilentis in pestilentiam veram, quæ Louanij effatim cœpit æstate anni 1574. deque illius methodo curatrice.

DVdum sanè præsagiebat animus mihi malignum hoc febrium genus, quod toto biennio Europæ partem nõ minimam peragrauit, velut sparsis quibusdam præludiis in pestem apertissimam transiturum. Neque me adeò meæ fefellit opinio, quin grauius multò nunc sese diffuderit malum, quàm iacta iampridem semina portenderunt. Nam quo mortales posita contumacia & proximũ quemq; persequendi libidine in se descendant altius, idcirco & homines sæpe non tantùm alterius hominis ministerio punit Deus, verũ promiscuè feriens, ac suis quasimet ignibus armata dextera media inter millia sæuit. Quæres eò forsitan spectat, vt stirpis antiquæ non minima parte sublata noua regerminet, melioriq; instauratione facta simul sceleratí sæculi vestigia deleantur. Non enim alia commodiore vicissitudine res permutantur humanæ: vt quæ in summo pretio fuerint, paulatim corruant, neglectâque vilescant, rursus deinde velut reducto circuitu ex humili statu ad æstimationis fastigium subitura. Meminerunt autem & aui & proaui nostri pestis vsqueadeò virulentæ, vt in vna Bruxellensi ciuitate plures subinde quingẽtis abstulerit vnica die: vt vitam & volucres sub nube relinquerent: vtq; assidentes læto conuiuio inter calicem supremaq; labra tanquam percussi fulgure protinus expirarẽt, & cumulatim oppido toto congesta cadauera curru in orbem commeãs circumferret, donec ob vastitatem strata lapidea, atque ædium valuæ musco & virenti gramine vestirentur. Talis potissimũ viguit anno 1502. famem & vehementes aëris intemperies anni

Causa finalis pestilentiæ.

Historiæ huius horrendæ.

I.

anni proxumi comitata. Namque hyems tam ferox præ-
ceſſerat vt & animalia bruta paſſim necauerit, æſtas ar-
doris adeò ſæui vt arbores accenſæ ſolis radio conflagrarint.
Celebres quoque ſunt peſtilentiæ ſæculi noſtri quas anno 2.
1505. item 1522. regnaſſe commemorant, quibus augu- 3.
rio certo aues cum pullis & ouis nidos etiam proprios reli-
querunt. Sed omnīū grauiſſima qualis anno 1348. ac rur- 4.
ſus anno 1450. quæ primùm exorta in Aſia per Illyriam 5.
atque Dalmatiam vſque in Italiam ſerpſit, hinc & Ger-
manos, Hiſpanos, Gallos inuaſit annis compluribus adeò
debacchata vt vix tertia mortalium pars ſuperſtes euaſe-
rit: cuius generis etiam duas ſub M. Antonio viguiſſe Ro- 6.
manorum annalibus conſtat, quibus orbe toto flagrantibus
pecudes iuxtà & homines propè ad internecionem ſint vſ-
que deleti. Verùm iſta non eò protulimus, quo magis futu-
rorum metu (de quibus anceps, & lubrica coniectura eſt)
mortalium animi percellantur: ſed vt hiſtoria æui præteriti
ante oculos collocata, Deo vota preces ſummiſſo animo cō-
ſacremus, luſtratiſq; pectoribus in omnem illius voluntatis
ſpeciem componamur, illud inſuper cogitantes;

Omnes quum ſecundæ res ſunt maxumè, tum maxumè
Meditari ſecum oportet, quopacto aduorſam ærumnam
ferant:

Communia eſſe hæc, fieri poſſe, vt nequod animo ſit
nouum:

Quicquid præter ſpem euenerit, omne id deputare eſſe
in lucro.

Quibus & illud Græcum lubens adiecero,

Εἰ τὸ φέρον σε φέρει, φέρε ϗ φέρου· εἰ δ' ἀγανακτεῖς,
Καὶ σαὐτὸν λυπεῖς, ϗ τὸ φέρον σε φέρει.

Fer facilis quod fata ferunt: ſi ferre recuſas,
Ipſum te crucias, nec minus illa trahent.

Institutio. *Cùm verò de præcursoribus morbis à me sub veris initia tractaretur, credebam fore vt prius hoc opus in publicum ederetur quàm eius mali se tanta ferocia propagaret: nunc quando expertus illius mora, argumenti noui obiecta occasio est, quod non modò scriptis prioribus summo iure connexum, sed & vsus innumeros habiturum ad salutem hominum videretur, quæ de morbi pestiferi curatione habui prima, paucis adiungere non dubitaui. Causam verò & curationis methodum vniuersam non est quòd istic ab ouo velim retexere: namque hanc omnem præter alios scriptores innumeros eleganter ac plenè prosecutus est Hieronymus Fracastorius, necnon B. Montanus, Galenus sæculi sui, cuius doctrinam magno mortalium fructu collegit & illustrauit clarissimis vir, nostriq; præter meritum studiosissimus I. Crato à Crafftheim serenissimi Maximiliani Cæsaris Archiiatrus, quorum vtrique annos Nestoreos optem, non tãtùm priuatæ causæ nominibus obligatus, sed & propter publicum bonum. Dum vt alter virtute heroica Christirempub. ab iniustitiæ, impietatis aduerso turbine tutam atque incolumem conseruauit, alter quoque summa contentione ac variis ingenij monimentis rem medicam pariter ac philosophicã tum à fœda barbarie, tum ab ignorantia methodi vindicauit.*

Authores de peste curanda celebriores.

Præsentis pestilentiæ mores. *Solet contagionum vis vt plurimum certam duntaxat speciem peruagari, atque in eadem nõ etiam quosuis abripere, sed quibus ex ipso putredinis modo (quam profundam esse voluimus) singularis quoque analogiæ ratio in venis atque arterijs delitescit: cui sepe ætatis insuper, sexus, & temperaturæ cognatio suffragatur. nunc eò sensim progreditur malum, vt & obuia quæq; corripiens locis compluribus non tam internum fomitem requirere amplius vel materiem antè dispositam videatur, quin sola suapte vi potius, aëris q;*

cir-

circumlabentis fœda infectione grassetur, ferè ad illius instar quam scir[redacted]

Vt quondam morbo cœli miseranda coorta est
Tempestas, &c.

Erat autem illa causarum inter se cohærentium lex, vt ex priore genere morbi multis morientibus passim in duplum, in quadruplum reuoluta, imò in infinitum se permiscerent effluuia putrilaginis venenatæ, vtq; excretionis morbidæ virulentia vires assumeret, inq; maligniorem speciẽ indies mutaretur: præsertim quando interea nec aliæ causæ somites conquierunt, paupertas, trepidatio, mœror assiduus, ærumnæ, & victus vitia, omniumq; cupiditatum intemperantia. Quibus accessit aquarum copia, qualitatum exuperantiæ in constitutionibus cœli, ver æstuũ oppidò, æstas contrà similis veri, autumnus pluuius valde atque austrinus, maior pars anni sine ventis, sine tonitruis: cùm & Hipp. νυκτέρις imprimis dixerit pestilẽtes, vt Cranoni vsuenisse eiusdem Epidemica contestantur. Præter autem tot exhalationes in aëre visas multũ minata nobis est oppositio Saturni & Iouis circa lacteam viam, cum stellis scorpij natura Martis, Mercurij, vnà cũ schematismis mutuus quinque errantium per coniunctiones atque diametros, quanquam hæc non tam causas principes, quã signa vel instrumenta consentanea diuinæq; voluntati obsequentia semper sim arbitratus.

Generationis forma.

Causæ effectrices & procatarcticæ.

Causæ cœlestes.

Quanquam verò multa sint pestis discrimina à symptomatum differẽtiis sumpta, (vt etiam in suo De peste libello doctiss. vir L. Ioubertus meminit) videas tamen imprimis genera 4. notis quibusdam characteristicis interstincta. Nam aut cum bubone in vnum & alterum locum agminatim facta colluuie circa glandulas (sed imprimis axillas, inguina vel parotides) efflorescunt: (hæc enim trium princi-

Pestis differẽtiæ ab vna abcessuum varietate desumptæ.

1.

principum partium emunctoria chirurgis potißmum ap-
2. pellantur) aut ſparſo putrilaginis excremento diuerſas
maculas nigras, ſublmidas ſæpè & vary coloris ἐνθήματα
3. quacumque protrudunt: aut etiam vtroq; abſceſſus genere
4. natura ſe nititur expurgare: aut oppreſſa demum vel im-
Speciertum comparatio inter ſe. potentior quàm vt poßit excutere, exhalatione cæca per
meatus ſenſiles atque inſenſiles facta, veneni ſignum inte-
rius atque ſemotum ab oculis premit: tum verò furtim in
aßiſtentium poros pernicitate mirabili peruagatur. Quã-
quam verò lenticulas & carbunculos multi maligniores
iudicent altero modo quo bubones ſubnaſcuntur: minimè
Ratio cur lenticulæ magis perniciosæ. id ſimpliciter rerum vſus oſtendit. Etenim laborãtibus ipſis
valde id malum eſt perniciosum, niſi primo die, aut ſaltem
ante quartum ſine moleſtia aliisúe prauis ſymptomatibus
expellantur. Videmus tamen ex illo genere neque tam citò
Cur minus contagiosæ. raptos occumbere, nec tã præcipiti contagio eius ἀπορῤῥοίαν
in proximos deriuari. Eſt enim vt arbitror (ſaluo meliore
iudicio) profunda quidem putrefactio, ſed tamen aduſta
magis & ſicca, magisq; permiſta ſanguini corporis vni-
uerſi. Ergo cùm vis ſit latè diffuſa, non facilè à ſanis parti-
bus ſequeſtratur. hinc certius interimit, ſed minus celeri-
ter, quia neque vnita ſibimetipſi vt agminatim vim vita-
lem poßit opprimere, neque tam humida illius euapora-
tio, vt propter lentorem diu pertinacem in aëre fomitem ſit
Cur in bubonibus contrà accidat. relictura: cõtrà quàm in bubonibus illis peſtiferis ſolet, qui-
bus compacta, tenax materies, non tantùm in ipſo fomite,
ſed & eiuſdem efflunio circumquaque diſperſo. Facit enim
hæc ipſa veneni conglobatio, vt quibus natura eſt integer-
rima promptius excludatur, eadem q; quibus ſuccumbere
cœpit, propter afflatum maioris antipathiæ ocyus extin-
guantur. At fomes alterius putredinis ſiccæ licet non adeò
totius formæ ceu miſtionis nomine pugnet quo ad propriam
molem,

molem, propter tamen tenuitatem partium ex aduſtione quæſitam, cum [redacted] ſanguine foetus permiſcetur, & peruagando latius cor non tam exhalationis indomita vi quã multitudine ac diuturnitate peſſundat. Non abſimilis huic & altera difficultas, quare adhuc ſpirantibus ægris multò minus contagij periculum vſus oſtenderit, quã morientibus ipſis aut recenter extinctis, cũ tamen viuentium maior ſit exhalatio, totumq; corpus apertum caloris vi maiorem putredinis partem poſſe foras tranſmittere videatur. Verũ talis eſt ratio, ac ſiquis accenſam lampadem extinctæ comparet: ipſus enim met ignis tãtiſper dum inardeſcit, exhalat tenue ac fuliginoſum quippiam, ſed minus malignũ, quippe quod ab eodem igne prius diſcutitur quã intermedium aërem poſſit inficere. Verũ igne ſublato exudat amplius ab ipſo fomite craſſus & tetricus vapor, quem magis peſtiferum ac pertinacius inhærentem tum color & odor, tũ totæ ſubſtantiæ ratio ſatis oſtendunt: vt multo periculoſius non iniuria putent decẽ languentes inuiſere, quàm ſemel adeſſe mortuo, præſertim vbi recens cadauer exhalat, aut etiam illis adeſſe propius, qui primũ è domo funebri prodierunt: qui quamuis nondum peſte laborent, nec fortè illius ſenſum aliquem ſint habituri, peſtis tamen fomitem in veſte circumferunt, aliis affricantes quorum corpus analogum, & ad recipiendum prona ſit conſtitutio. Quare eiuſmodi rerũ ſtatu imprimis præcipi debet, vt & antidota ſumãt, & habitum mutent, aut igne perluſtrent, & quãminimum in turba mortalium tanto diſcrimine conuerſentur.

Cur plus periculi ſit ab extinctis quã viuentibus dũ ægri peſte decumbunt.

Simile.

Mirum quod in hoc Epidemiæ genere à nobis peculiariter obſeruatum eſt pluribus euenisſe, vt cũ in alia peſte ſoleant primũ horrenda ſymptomata ſeſe obijcere, ceu magna inæqualitas æſtus frigoris, horroris & exudationis, vigiliæ ſomnolẽtiæ, perturbationum ventris ſurſum deorſum, doloris

Præſentis epidemiæ peculiaris characteriſmus.

signa. *doloris capitis atque delyrij, cũ laſſitudine ſumma, præcipuè circa ſpinam, hîc tamen interdum vix vlla insignis tẽpeſtas appariuerit ante tertium diem; atque hi quidem nihil adhuc præter ſoporem leuiculum, iactationem corporis moderatam, vomitum aut ventris fluxum, linguam pallore ſubuiridi tinctam; præcordiorũ anguſtiam, vt etiam ſæpe nil perpeti ſupra ephemeram ſimplicẽ videãtur: tandẽ erumpentibus maculis circa quartum, quintũ, aut ſeptimũ diẽ, multi etiam facti alacriores obambulent, erectiue ſedeant, ſubitò tamen tanquam morti à morbo proditi collabantur.*

Caſus admodum rarus. *Vidi quibus citra omnem febriculam, dolorem capitis, aut laſſitudinem, halitu tantùm ex terrore concepto, totũ corpus repentè maculis nigris, liuentibus, piſi amplitudine tingeretur, nullog̃ alio ſuperueniente incommodo, tuti tamen atque incolumes permanſere. quòd in eos diſperſa quidem morbida cæli ſit aſpiratio, vt tamen duntaxat humoris ſuperficiem occuparet, ac prius interni caloris impetu repulſa ſit foràs, quã potuerit in ſinus intumos aut cordis ventriculum penetrare. Mirum & illud iuſuper frequenti obſeruatione deprehenſum, quòd vis cõtagij ad normam æſtus maritimi ſeſe nunc acriùs, nunc remiſſius propagaret. Quanquam verò Ioubertus annotet plenæ, atque ſilentis lunæ tẽpora, nos tamen hîc potius decreſcentem illius quadraturã inuenimus efficacem: neque hanc differentiam adeò in locorum diſcrimine pono, quin vniuerſim fieri ſic verosimilius putem, quòd motus lunæ à diametro ſolis ad cõiunctionem, potius motũ in corpore præſtet à circumferentia verſus centrum: quare ad cor ſublata materie, corripiũtur citius ſani, interimuntur ægroti.*

Obſeruatum aliud ſingulare.

Præſeruationis publicæ ratio paucis regulis comprehenſa. I.

Curã dũ verò imprimis vt ſalutis publicæ ratio ineatur: deinde vt quiſque prouideat domi ſuæ, præſertim paries cũ proximus ardet. Inſigne præſidiũ veteres olim in extruẽdis

pyris

pyris authore Hippocrate reperierunt. Nam ciuitates integras lustrat accensu ionis è cedro, iunipero, larice, abiete, picea, quercu, vitice, rore marino, & consimilibus odoratis. Sed præter hæc secernendi sunt ij qui mortuorùm corpora tractauerunt, ædes obserandæ cũ tota supellectile, nec attingendum quippiam, aut efferendũ foràs, ante quã septimanarum 6. circuitus expirarit. Purgãdi sunt omnes viri atque familiæ; animalia virosi halitus, vt canes, cati, colũbæ, anates, porci, magistratus officio procul sunt ablegãda: prohibendi fructus, olera, legumina, præsertim vsus allij, cæpæ, porri, vuæ, pruna, persica, fungi, caules, pisces, & carnes vitiosæ, malè conditæ, aut modis aliis importunæ. Multum verò in externorum commerciis, nequid ferant cõtagij, vigilãdum est. Tum denique præstantissima antidotorum genera sunt comparanda, vt cũ vsus postulat fermentata diu, atque in promptu teneantur. Præcæteris commẽdantur Theriaca Andromachi, Mithridatis, pauperioribus autem diatessaron, aut diascordion, quale vel Fracostorio vel nobis superiore capite sit descriptum. Germanis rusticis multum familiare est quod instar moreti ex ficubus, ruta, sale, & peruetustis nucibus temperatur.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

Verùm ad cuiusque tutelã primo conferunt odores aromatum, nõ quorumuis, sed quæ vitalem spiritum atq; animalem recreent, auræ pestiferæ toto genere reluctentur. Aestiuo quidem tẽpore magis aceti, citrij mali, limonis, aurantiorum, & consimilium. Laudatur præ cunctis acetum vini maluatici quo camphora & nuces myristicæ diutius sint maceratæ. Hyeme tamẽ odores calidiusculi præferuntur, vt Zedoariæ, angelicæ, casiæ, cinnamomi, cuiusmodi cõmansa sæpius profundum penetrant, spiritumq; maiori efficacia purgant. Nos pilam ferè eiusmodi fecimus concinnari quæ recipit Radicum iridis florentinæ ros: rubearum, corti-

Quæ ad priuatam cuiusque custodiam.

Odores.

pila odorifera.

corticum citri, dictami Cretensis, maioranæ, sing. drach. 1. styracis cal. gũmi belzoini seu sylobij veri, cinnamomi opt. caryophyllorum an. drach. 2. styracis liquidæ, santali albi, nucis myristicæ, macis, zedoariæ, angelicæ an. scrup. 1. cubebarum, cãphoræ an. scrup. semissem, mosci electi, ambræ an. g. vij. aut plus eo, ladani purissimi q. s. ad consistentiam molis cum aceto fortiss. & aqua rosata in pilæ speciem

Ventris lenitio. redigantur addito modico tragacanthæ. Purgantur ventres absque periculo ad subtrahendum fomitem morbo, solis pilulis Russi (quas & pestilentiales vocant) sumptis ad quantitatem vnius drachmæ: vel etiam solius aloes vsu, quæ pura sit atque pellucida, ad quantitatem exhibita dimidiæ drachmæ. Sæpe huic adiungimus momentum corticis citri, cardamomi, macis, carpesiorum aut zedoariæ. A ventris lenitione conueniunt syrupi cum aquis stillatitiis in alterius morbi curatione descripti. Laudant plurimi succum thapsi barbati siue verbasci maioris ac lanuginosi, expressum cum vino tenui odorato: docuit enim illius vim singularem cõtrà venena mustelæ genus astutum, quoties cum serpentibus pugnaturum est. Rarum sed efficax valde refugium in lapide bezahar, corallinæ puluere, sapphyri, smaragdi, monocerotis, ossis è corde ceruino, & illorum omniũ quæ compos. aromatici rosati vtriusque ingredi consueuerunt. Ego quiddam eximium in illo puluere deprehendi, qui perforato aetitidis vtero colligi potest, datur dimidij scrupuli quantitate cum liquore conueniente. Motus & quies, vini potus & abstinentia, pro cuiusq; natura, statu, & consuetudine peculiariter sunt moderanda. Luceat focus perennis. Sit animus hilaris atque vel violẽter à perturbationum vertigine distrahatur. Magna vtilitas vini est si parcè bibitur, si purũ & generis exquisiti, si absit crãpula, nec bilis aut sanguinis copia reclamarit.

Syrupi.

Alexipharmaca totius subst. proprietate.

Rerum omnium moderatio.

Vini vtendi modus.

Vena

Venæ sectio.

Venæ sectio aliàs ad præcautionem mali, aliàs ad curationem adhibetur. Siquidem præcauẽdum est, prius distinguito externis simpliciter à magis intrinsecis (vt plethora vel cacochymia) impendeat morbus. Nam si ab extrinsecis tãtùm, minimè tutum est sanguinem cõmouere, vt aliàs dictum: nam & intrò venenum trahitur ac fortius permiscetur. Sin fomes ab ipso corpore metuendus, tum plenitudo exorbitans à sanguinis vitio dirimatur: nam in plethora venam aperire est consultissimũ. In cacochymia lenis subductio per ventrem potius confert. Quòd si vtrinq; periculum est, paulatim sanguis & interposito tẽporis spatio minuatur. Vbi verò curationis gratia de mittendo sanguine cogitandum; distingue vt prius; sed tamen præterea, num in principio morbus existat, num in augmento vel statu. Nam post primum aut secundum diem rarò conuenit, imò semel & affatim concitatus venter, aut mota sanguinis massa, statim contagij virus ad cor vsq; profundit. vt etiam superueniente deliquio sæpe sub manu chirurgica morianter. Multi ad cautionem crura perforant, aut vesicas excitant ferro, & causticis medicamentis; idq; successu non infelici, quamuis vel inter morientium milia conuersentur.

1. Distinctio.

Secunda distinctio.

Tertia distinctio.

Vstiones quas Itali fontanellas vocant.

Magnus vsus & salutaris scarificationis in crure & brachio sæpius factæ, cum appositione cucurbitæ. nam & accessionis initio iuuit plurimos plures cucurbitas extremis partibus (præcipuè κατ' ἐξιν seu loci laborantis rectitudinẽ) assixisse. nam sic & tuta maximè, & celeri via sunt resti-

Cucurbitæ.

Reuulsio per emplastra.

tuti. Si sub axillis vel (quod omnium pessimum est) circa aures extuberat malum, mox simum columbinũ cum sapone permisceas, id è directo ad brachium alligetur, addito interdum caustico ex flammula Iouis, ranunculo bulboso, clematide, vel cãtharidibus. Similiter si in inguinibus tumor apparet, inflammatio in cruribus excitetur, vt quam-

Vulgi experimenta.

longissimè si fieri possit à locis principibus reuellatur. Noui qui proprio fimo cùm aliud non occurreret aptè diuerterint. Mirum quod vespiliones offerunt sanè, & ipsis, confectum ex æquis partibus olei raparum, salis, aquæ, & albuminis oui: ac si ex elementis 4. ideam microcosmi referre in integrum statuissent. aiunt infinitos vbi correpti fuerant protinus hac mistione seruatos. Quin simulac morbi iam facti sese indicia produnt, curandum ilicet vt venenum à sanguine sequestratum quamcelerrimè ebulliat foras. Datur plerisq; successu mirabili nux myristica tosta donec exudet, atque in puluerem comminuta, inde verò cũ sale exhibita adiecto modico aceti fortissimi, præsertim si calidior temperatura est. Illud quoque experientia patris, ac meæ deinceps, efficacissimũ vidi quod constat ex vna parte camphoræ, duabus gingiberis, sacchari rosati quatuor, diu cum vino permistis antea, ac sedulò fermẽtatis. Dosis est vnius drachmæ. Coopertus æger cõponitur ad sudorẽ. Generosius paulò quod sequitur ℞. camphoræ, dictami Cretẽsis, scordij, rad. angelicæ, Zedoariæ, cinnamomi, gingiberis, ãn. drach. 1. nucis myristicæ drach. 2. boli armenij mediam drachmam, seminis rutæ, macis, croci, sing. scrup. 1. Musci g. vij. cũ sacch. & vino odorato q s. fiat instar opiati. Datur postremò & aqua per destillationẽ chymicam præparata, qua nihil vnquam potentius vidi. Constat è speciebus diascordij nostri, vino pariter atque aceto fortissimo maceratis, deinde quasi per circulos plures paulatim sublimius è duplici vase tractis. Alij eodem modo aquam è sola theriaca solent exprimere, alij baccas lauri, baccas iuniperi, cũ bolo caryoph. cinnamo, rad. angelicæ, Zedoariæ, eadem arte componũt: sunt enim pro ipsa affectionis specie formæ propemodum infinitæ. Multi plurimum tribuunt auro potabili. Vnum philosophorum, aut antimonij vsum minimè probo,

Quid primũ in curatione præstandum.

Abscessum procurantia.

1.

2.

3.

4.

Varia chymica.

probo. etsi enim subinde euaserint, fortunæ tamẽ id potius, aut temeritati, quàm arti aut peritiæ tribuendum est: vt si quẽ hostis à fronte, à tergo præcipitũ vocet. Bũbonem scarificare conuenit admota cucurbita, deinde theriacam apponere (circiter drach. 2.) decoctam in excauatã cæpa, etsi plærique prõptius ferro cãdente, & cultellis exciderint, præsertim vbi sublimius turget. Alij colũbæ pullos, gallinã, aut catellum quempiam dissectũ medio, vel pulmones recenter mactati arietis applicant, & subinde cõmutant. Laudatur & columbinũ stercus cum cæpa atque theriaca, plures tamen emplastra maturando abscessui parant ex sinapis semine, ficubus & bulbis liliorũ, & sambuci foliis: addunt, vt efficacius trahat, acre fermentum, elleborum nigrum, cyclamen, & subigunt demum cum scabiosæ succo, oleo chamomelino & farina seminis lini. Postquam in plagam tumore ruperit, eadem iuxta doctrinam aliorum vlcerum, sed multo tamen validioribus expurganda est.

Extrema atq; suspecta remedia. Bubonis maturatio.

Vlceris cura.

Lex communis & ratio ad ruendam ſanitatem aëre peſtileti, hic nobis in memoriæ quoddã ſubſidium deductiore carmine comprehenſa eſt.

Ne ſacra peſtiferi ſubeant contagia morbi:
Sit modus in victu, ſimplicitasq; tuo.
Seu capias ſomnum, vigiles, moueare, quieſcas:
Per medium iuſto tuta tenore via eſt.
Omne ſuperuacuum ſecernito, ſit tibi verſa
A cæli vitio, ſit ſine labe domus.
Exulet hinc metus, hinc dolor, atq; frõte Lyæus,
A tergo aſſiduus luceat igne focus.
Quod reliquũ eſt peragent ſtomacho, vel naribus hauſta,
Antidoti celebrem quæ meruere locum.
Antè tamen præceps placanda eſt numinis ira,
Ab Ioue principium eſt, cum Ioue finis erit.

Oratio

Oratio purgatoria ad Lectorem.

SI vnquam aptè cecinerint priſci vates, mille hominum ſenſus, capitũ diſcrimina mille: profectò nunc ea eſt ætas, qua id vel maximè locũ habet. Tantus ingeniorum feruor atque varietas paſſim: non in ſcrutandis naturæ arcanis miraculis, non in virtutis operibus, aut rectè conſtituenda reip. ratione; ſed in humanis pectoribus explorandis: dum plures ex voce, vel ſcripto cuiuſq;, vel opere nihil expectãt aliud, quàm vt ipſi cùm ſint nigerrimi materiem deprehẽdant aptam inuidiæ ſuæ, atque pro benefactorũ gratia authoris famã horrẽda infamiæ labe conſpergãt. Aetas hęc peſſimarũ artiũ plena.

Quã ſint iſtorum artes occultæ, ac variæ formæ, paucis poëta retulit dicens, Georg. 1. Inuidorũ hominum ſpecies variæ & admirandæ.

Tum variæ illudunt peſtes: ſæpe exiguus mus
Sub terru poſuitq; domos, atque horrea fecit:
Aut oculis capti fodere cubilia talpæ,
Inuentusq; canis buſo, & quæ plurima terræ
Monſtra ferunt, populatq; ingentem farris acerum
Curgulio, atq; inopi metuens formica ſenectæ.

Sed agant omnes pro ſuo modo ac temperamento, veniant non inſecta modò & vermes, ſed & canes allatrent, atque vlulent lupi. Nobis ad imitationis exemplum infixa manet, æternumque manebit Hiſtricis aut Erinacei mira ſagacitas, quæ ſeſe in orbem componens vndique, tum ab inſidiis horum, tũ violentia tutam facit. Hiſtricis indoles.

Nam imprimis de totius operis argumento illud obiicient ſcio, cùm ſim profeſſione medicus, cur hãc tam latè patentem materiem ſim ingreſſus, nullis finibus clauſam, ſed in philoſophiæ triplicis infinitos Argumenti ratio.

ambitus exporrectam. Quod his respondeam nihil habeo, nisi quod olim Gallus à fa[illegible] deprehensus, hoc mihi ingenium esse, hanc affectionem naturaliter datam: facere tamen me studio boni, quod tanto melius aut optabilius, quanto latius patet. Quæ nostri sunt fori medici tracto quotidie, artemque tum opere, tum professione concelebro pro virili mea. Quid si interdum ab vno hoc genere fatigatior paulò, non quidem ad res inanes atque extraneas, sed diuersas paululum, summa tamen necessitudine iunctas, cogitatione transcendã, vt ob vnius obiecti coloris speciem defixus oculus in alterum recreatur. Si rursus istud pauxillũ temporis quod pro natura sua oblectamentis aliis alij tradunt, sæpe & luxu, & alea, aut misera quacumque ratione pessundant, ego impendam poëси, musicæ, naturæque diuinis spectaculis, & causis abditis eruendis, non solùm cũ voluptate & fructu meo, sed & pro amicorum plurium voto, & publico bono; quis mihi non illud vitio sed virtuti potius, non ocio abundanti atque dedecori, sed ornamento potius vertat, industriam probet, quę si laudem veram pro studio minimè consecuta est, saltem pro conatu non paruam apud mortales gratiam promeretur? Equidem hodie tot elegantes nostrę medicinę scriptores video, tot etiã cultores sedulos in aliis disciplinis, quorũ non modò inexhaustus labor, sed & virtus rara, & eruditio fuit: cedò tamen in eodem negotio quid hoc corrupto sæculo solidæ laudis, aut præmij cõsequuntur? Scio quidẽ facultati nostræ id maximè frequens, ac velut insitum fato:

Cur in arte medica pauci scriptores pro labore suo gratiam consequantur.

Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων,
Καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ.

Quod

Quod vnum me ferè repreſſit ſemper, quò minus caleam: vt quãuis ex vna hac diſciplina ſcribendi ſit promptuarium longè ampliſsimum, & præter ea quæ publicè dictitaui, plura ad curationem obſeruata nũc habeam domi: aliò tamen ſcripturientis animus ferat, illud ſubinde cogitans, Quis leget hæc? mîn' tu iſtud ais? nemo hercule, nemo? nam ſi quid in iſtac arte perfectionis aut gloriæ eſt, illud non tam humana diſcurſione, quàm vſu rerum hodie ac viuis operibus eluceſcit. Quæcumque hîc peruulgata, aut populariter ſcripta (exotericõ genus intellego) præterit vulgus, faſtidiunt docti, atque in tanta ſcriptorũ multitudine blattis offerunt: quæ verò grauiter, ingeniosè, vtiliter, ἀκροαματικῶς, ſtudioſi tyrones nõ capiunt, qui capere poſſunt, interdum excipiunt clanculum, publicitus cauillantur: quanquam profectò humanis affectubus non ita moueri ſapiẽtem deceat, vt propter inuidentiæ morſus veræ virtutis ſpeciem reformidet, ſed homo ſum (vt ille inquit) humani nihil à me alienum puto. Non tamen hîc penitus mihi indulgeo, ſed plæraque differo, dum illa commodior locorum & temporum oportunitas ferat. Quæſitum id hodie magis apud me fuit, vt argumẽto pulcherrimo & maximè ſpatioſo, cũ vtilitate quamplurimorum hominum me reficerem, defeſſus à ſtudiis grauioribus, interque calamitates publicas & priuatas: quarum vna præ cæteris contemnenda, ſed tamẽ propter φιλοσοφίαν nimiam acerbius paulò ex vnius iactura filiolæ nata defixit, atque vix aliàs obliterari potuit ab animo meo, niſi hunc ſenſum diuerterem quomodocũque, & philoſophicarum rerum multiplici conſyderatione propè obruerem. At quænam

Sapientis munus in ſcribẽdo, vel ſcopus quis eſſe debeat.

Prima ſuſcepti negotij ratio apud authorẽ ex animi ægritudine nata.

Scopus authoris & consyderationis istius præstantia.

alibi vel voluptas melior, vel vtilitas maior: quàm in ea cognitione, qua non exacta solùm medicinæ ratio continetur, sed & huius Ideam ex mortali immortalem atque diuinam quodãmodo faciamus, quippe ad curationem animi pariter, & corporis, & reip. opę vnius methodi congruentem. Sic vt vnius mundi faciem in alterius facie velut depictam videas, rerumque similitudine fretus quæ sunt in vniuerso, cũctarum artium vel nudos characterismos sub vna augustiore formula comprehendas, quod vnum ad vitæ felicitatem conferre imprimis, nemo inficiabitur.

Quod autẽ ad scribendi genus: nec illud ex æquo placiturum omnibus cogitaui: cùm & in hoc subinde displiceam mihimetipsi: nam dum in ea vbertate materiæ singula conor attingere, idque quãbreuissimè, miscens interdum sacra profanis, medica politicis, naturalia metaphysicis: vix rerum chaos effugere potui; præsertim quando quod vsu, & ratione collegerim, oratione subtili & pressa, ad Atticorum aures tereres expolire nõ vsquequaq; vacauerit: sæpe & maioris ingenij putem, loco suo & tempore cultum negligere, quàm religiosè in omnibus obseruare: imò vtilius tẽpestiuè manũ tabula subinouere, quã perficiundis tãtopere, elimandisque singulis immorari. cùm sæpe sedula mentis intentio tenellam atque formosam Helenam fingat, quę tamen annosam, rugosam Hecubam ante spectantium oculos pingit. Ergo nec Tullianam phrasim nec numeros semper amplectimur, sed quo sit verborum, rerumque consonantia maior, polychromatico generi, velut in musicis, pro ascensus descẽsusque varietate, amplius in-

stylí ratio.

dul-

dulgemus. Vt etiam interdum insanis, & temulentis similes, ab imi[illegible] naturæ sacræ recessibus in campos poëticos diuertamur.

Vnum id semel, & clarè testatum omnibus volo, me aliquoties in historiam huiusce temporis, nõ tractandæ illius studio, sed filo totius cursus, ac necessitate delapsum. Idcirco nec singula rerum quæ contigerint momenta atque περισάσεις, sed solùm capita comprehendi: quo prodigiorum virtus, & humanæ vicissitudinis orbis illustrior foret: digressus hinc aliquoties ad politica, quo boni malique nonnullas formulas humanis oculis obiectarem, sed ea modestia vt nihil in quẽquam (quod sciam) pressius, acerbiusque protulerim: memor illius semper, quòd vt sæpe in amicis vitia summa, sic & virtutes in hostibus elucescunt, quæ tanto feriunt acrius, quanto minus expectes, atque ad imitationem sui vehemẽter instigant. Aliud quoque in mentem venit, humani iudicij mira lubricitas, quæ nimirum non tam virtutis merito, quàm fortunæ flatubus adhærescit: vt plures quos laudauerint prius, tandem improbẽt: quos improbauerint olim, nũc omni laude dignentur: aperto indicio leuitatis, cui hoc meritò dici poterat, ama tanquam osurus, oderis tamquam amaturus.

Authoris purgatio circa historiam.

Turpe autem existimo vt nosmetipsos magnorum principũ iudices faciamus, cùm suę sint singulis causę, suę virtutes & vitia, velut fertilibus agris: solus autem quid alter alteri præstet (id est circumstãtias rerum, æqui, iniqui pondus) exploret Deus: qui sæpe dementat reges, vt grauius tanto & subditi puniantur; sæpe permittit insolescere plebem, vt regum sæuitiam reprimat, vel somnolentiã fortè excutiat: hinc

Cõtra ineptã genus scribẽdi apud plærosq; historicos huius temporis.

fæpe infeſtis animis diu multumque certatur, cum infandis calamitatibus partium vtrarumque, & tandem confractis vtrimque viribus, ſera ſapientia vel (quod aiunt) in fundo parſimonia venit: franguntur & odia, & poſtquam ſe quiſque penitius nouit, amãtium iræ fit amoris redintegratio. Odi propterea ſemper hoc hominum genus qui in ſcribendis hiſtoriis affectus ſuos vel ſtatim à limine manifeſtant, nulloque apud poſteritatem perdendæ fidei metu tales in toto curriculo perſeuerant, vt quæ in vno ferant, in alio culpent; in vno parua commemorent, in alio magna diſſimulent, ſæpe & à vero planè detorqueant: tãquam ſi nullus ſit ipſis propoſitus ſcopus, quàm tueri partes huius vel illius, aliumque ſi poſſint in cælum laudibus ferant, alium ſimiliter ad inferos detruſuri. Ita per ſympathiam plærique in minutiſsimis rebus laborãt grauiter, totas paginas quibuſdam martyriis complent, & faciunt ſeſe ridiculos palàm, vt tantũ vel aſſentandi plæriſque, vel de aliis ſe vlciſcendi ſtudio ſcriptitaſſe quiuis è plebe intelligat. Mihi verò ad pacis vnius encomia, tranquillitatis ſtudia, publicè, domi, moderationem, clementiam, religionis cultum atque iuſtitiam, fidem atque amorem mutuum vniuerſa hæc commemoratio ſpectat. Siquis alium nodum in ſcirpo quaeritet, is ſe longiſsimè à veritate rei, à candore humani pectoris, à noſtra intentione abeſſe intelligat: non me culpet, ſed animum ſuum, oculosque peruerſos, & nequam æſtimatores rerum: quibus idem fortaſſe contingit quod ictericorũ linguis, & oculis ſolet: vt quæ alba ſint omnibus ſanis, quæq; ſuauia, illis amara, lurida, variisq; infecta coloribus videantur.

Nihil turpius quã affectum prodere in tractandis hiſtoriis.

Authoris præcipuus ſcopus.

Contra malevolos.

Fateor

Cur plæraque prolixius circa natale solum.

Fateor in obsidione Louanienſi ſupra quàm proposueram fui prolixior, noctam in plæriſque potius quàm philoſophum agens, vt tamen nequaquam ſciens aut volens à veritate diſceſſerim. Debebam hoc Deo & patriæ, dedit hæc vitam atque enutriit, ille prodigioſo clementiæ genere cõſeruauit. In ipſis orationibus eſt quod concedi poſtulem, non enim verbotenus retuli, vt plærique maluiſſent, ſed tamen vt potui, atque vt datum fuit diligenter expreſsi. Quod reliquum hiſtoriæ ſpectat, id curaui maximè, vt vera dicerem, & fermè omnibus nota, hoc eſt (vt aliàs dixi) factorum genera tantùm, non modos, & ſcrupula proſecutus, niſi cùm turò atque vtiliter addi loci oportunitas pateretur. Nam multis affectione multiplici multa affinxit rumor, plæraque etiam vera comperta, ſed prorſus enormia ad punctum explicare non tulit hæc ætas: dum adhuc animi odiorum incendiis calent, rerumque recens memoria ad irritandos homines, quàm inſtruendos promptius adhæreſcat.

De veritate hiſtoriæ ſuæ.

Vnum poſtremò præterire non potui de ſydere nouo, quòd cùm noſter hic commentarius planè perductus ad vmbilicum ac maturus partui videretur: incidi forte fortuna in libellum Hiſpanicum de eadem ſtella doctiſsimè diſſerentem: cuius mihi copiam fecit vir doctiſsimus philoſophiæ ac iuris candidatus Andreas Poſa beneficio præſtantiſs. viri Gabrielis Terrades: qui noſtri ſtudio rogatuque alterius eundem ad nos tranſmiſit. Voluiſſem adiungere totum hoc operi meo, ſed breuitatis gratia perſtringam paucis illius ſententiam, eiusque obſeruata cum meis conferam amanter & philoſophicè.

Additamentũ theoriæ de ſydere nouo, quo planiſque temporis recẽter editis proximis respondetur.

Au-

Nouus author Hiſpanus de ſydere nouo, eiuſq; obſeruati examen.

Author eſt Hieronymus Munnos, profeſſor Hebraicæ ac mathematicæ literaturæ Valencia. Ait ſe certò cognoſcere, quòd ſecundo die Nouembris 1572. hæc ſtella nondum apparuerit, potiſsimum ex relatu paſtorum; quodque ipſe tum fortè ſuis diſcipulis oſtendens ſtellarum ſedes & nomina, non animaduerterit. Nos tamen contrà ab aliis obſeruatum diximus, qui & ante finem Octobris ſe vidiſſe teſtãtur; neque verò prius ob altitudinem ſolis adeò notari potuit vel à peritioribus, qui cum vndecima ſtella Caſsiopę huic nouæ proxuma tũ facilè nouã confundere potuiſſent: nec veroſimile, quod ea proportione creuit atque decreuit, habuiſſe tam momentaneum tempus exortus ſui, etiamſi cometam facere velint, multo minus ſi ex cæleſtis luminis congeſtione prognatam.

Tempus.

Diſtantiarum ratio.

Diſtantiam à ſede facit 5.g.20.m̃.quam Hageſius 5.g.15.m̃.nos 5.g.4.m̃.

Diſtantiam nouæ à clara in lũbis facit 5.g.10.m̃. Hageſius 4.g.51.nos 4.36.

Diſtantiam nouæ à Caſsiopæ humero vel pectore, id eſt diametrum Rhombi, 7.g.50.m̃. Hageſius 7.g.47.m̃.nos 7.g.24.m̃.

Maxima altitudo ad Horizontem Valẽciæ ab ipſo deprehenſa 67.g.30.m̃.

Minor altitudo 11.g.30.m̃.

Declinatio ab æquatore 62.g. verſus Boream:

Cælum dicit mediare cũ 1.g.♈.41.m̃ latit. ſept. apparentem facit 53.g.36.m̃.

Longit. ponit in 7.g.48.m̃.♉: in qua ſemper manſiſſe inuariata nimirum ad reliquas ſtellas fixas diſtantia conteſtatur.

Vt me-

Vt meritò sit dolendum de infelicitate humana, quæ ne per sensus quidem industriã exactè scrupula primà, nedum secundà aut tertia comprehendit. Vt circa conos, vel inter se coeuntes meridianorum lineas, error leuiculus magnam quandoque in longitudine syderum numeranda differentiam præstet: quod istic euenisse non dubium est. Sed astra polis proxuma, si locum in zodiaco, vero proxumum nobis definiant, abundè fit satis: nec ideo de cæterarum exactis longitudinibus desperãdum est: cùm neque cosmographi laborent tantopere: vt in terrestrium locorum longit. ad scrupula prima conueniant. Saltem in cæteris velut distantiis fixorum syd. immobilitate syderis noui, & parallaxeos obseruatione, quã nullam esse voluimus, omnia congruunt ad amussim: paucis tantùm minutis discrepantibus circa distantiam. Aduerti sedulò, quòd hoc discrimen in dimetiendis stellarum interstitiis per radium Astron. quandoque ex parua occasione nascatur, vt oculorũ firmitudine, vel etiam ipsius manus, applicatione instrumenti non admodum accurata: sed tunc maximè, quando radius vel paulo longior, breuior, obliquior, vel ossis iugalis circa oculũ positio iusto sublimior aut depressior. Quod mihi & patri vsuuenit vel maximè, quibus ita sublime est vt semper hactenus obseruationem cum aliis conferentes, ad exactam rationem aliquot minuta (vt 5. aut 6.) adiicere debuerimus. quanto enim hoc os eleuatius circa interiorem angulum oculorum, tanto distantia maior ipsius oculi à transuersario, tantoque & minor appareret intercapedo rerum quas metiri velis.

circa obseruationũ scrupula quã facilis laptus.

In quo cõueniant plures.

Aberrandi per sensus occasio quàm diuersa circa minuta.

Porrò accuratissima ratione, & crebrò repetitis obser-

De parallaxi. obſeruationibus, ait ſe parallaxim nullam hactenus reperiſſe, quod & mihi, & D. Hæſio, & D. Polo Fabricio, aliisque innumeris exploratum eſt, atque in huius rei gratiam author huius libelli inſignem tabulam exarauit. Probat ex eadem efficaciter, ſtellam hanc ſuperiorẽ omnibus elementis, imò in cælis collocari ſupra ☽. ☿. ♀. ☉. quòd nimirum locus verus ab apparente differat tantùm in omnibus iis quæ ſub ſole ſunt conſtituta; in iis quæ ſupra ☉ lineæ antedictæ ſemper in vnum coeant, vt hactenus omnibus in confeſſo eſt, atque à Ptolomæo perſpicuè demonſtratur. 1. lib. Magnæ ſyntaxeos.

Authoris cõcluſio. Poſtremò concludit author cometen quempiam eſſe, cælo fixorum ſyderum inhærentem. Secutus hac in parte de cometarum ortu opinionẽ Democriti, Anaxagoræ, Senecæ 7. Nat. quæſt. Non tamen eum concedit vllius generis quæ à veteribus ſunt memorata: nam neq; Miles eſt (inquit) qui magnitudinẽ lunæ æquare debeat, nec Roſa quòd nõ humani vultus effigiem repræſentet. Sed peculiarẽ ſpeciem putat de qua Lucanus,

Lapſus. Ignota obſcuræ viderunt ſydera noctes.

Fallitur tamẽ vir optimus ex poëtarũ licentia, qua & cometas ſubinde ſtellas vel ſydera nũcuparunt, vt 2. Æn. ſtella facem ducens, & Georg. 1. ſæpe etiam ſtellas vento impendente videbis, &c. Fallitur etiã circa eſſentiam rei (& cur fallatur dicam) neque illa cohærent quæ pro principiis ad demonſtrationẽ eius ſententiæ proferuntur.

Docetur in cælo cometas minimè naſci. Primò quòd huius gratia cælum mutabile doceat iiſdem propemodum argumentis quibus aliquando nos vſi ſumus: præclarũ ſanè & elegans παράδοξον, ſed

sed tamen incertum, an quamuis inordinatæ videantur illæ centrorũ mutationes iudicio mentis humanæ, natura tamen certam in omnibus constituat legem, quæ longo temporis cursu ad æqualitatem aptissimam redigatur. Ac postremò licet hanc passionis legem cælis inesse ponamus: nemo profectò hanc tantam sit facilè concessurus, vt spatio annorũ duûm sensibilis vlla mutatio fiat, qualis contingit in sublunaribus locis. Quare oportuisset profectò ad normã subiecti sui adeò sensim oriri, augescere, interire, vt ne quidem per lustra plurima, vel olympiades potuerit animadùerti. Quamobrem relinquitur vt hæc tam præceps mutatio & tamen in cælo fixorum syderum facta, non naturali lege quã ipsi somniãt fieri possit, sed tota sit supra naturam, nec præter volũtatem Opificis vllam causam obtineat propiorem.

An reuera cœlũ mutabile.

Concluditur ortus illius stellæ omnino supra naturam.

Non certè adeò euertit id axioma, quo quæ longius distant, maiorem scintillationem luminis repræsentent. Certè non necessariò sequitur, hoc magis scintillat, ergo longius ab oculis remouetur. Sed si discurras hoc modo, scintillat procul exigua quantitate, respondente simul & forma stellarum & motu, ergo stella est: eademque aut longius distat quàm planeta quispiam, aut efficacioris luminis ac spirituosæ substantiæ plena est. Nam vt scintillẽt duplex ratio reperitur; vna est medij constitutio vel multiplicitas, seu multiplex radiorum refractio: altera est efficacia lucis, dum ipsa materię firma concretio cum interioris spiritus motu ac prȩcipiti facultate depugnat, vt in argento viuo, (si paruis magna licet cõponere) atque in tremoribus partium humani corporis, quem & Galenus attribuit luctę facultatis cum

Obiectio de scintillatione diluitur.

Ratio duplex cur scintillent sydera.

A simili.

X.

instru-

Cur Mercurius ferè scintillet, Venus aliquando.

instrumento siue materie. Fortè quòd eadem ratiõ cur & Veneris stella, imprimis tamen Mercurij quãdoque scintillet. præsertim vbi longius extra radios solis, cælo sereno, ac flante validius Aquilone conspicitur. Sed istuc nullis vnquam accidit cometarũ, qui tristi semper aspectu & lugubri, trãquillos in comã aut caudã radios iaculãtur, substãtia nõ ita cõpacta firmiter, nec splendore luminis agẽte vel efficaci nisi tale præ copia videatur. Vnde cometis longè diuiniorem hanc stellam asserimus nouã, in cælo quidem existentem, & aduentitiam, sed modò supra naturam. Quod vt asseram nõ prohibet vacui positio, nec admittenda corporum penetratio. Nam æquè absurdum est, cometam immotũ hactenus per annii sesquialterius spatium, aut plus eo in aëre collocare: aut cælum facere tam mutabile, vt iuxtà statuant cum clementis. quin si mutari potis est aliquo modo, necesse est adeò non esse concretum cæli corpus, quin partes rariores densioribus cedant, virtutique maiori ad faciendum locum minor obtemperet. vt etiam in crassis elemẽtorum corporibus liquidò constat.

Cometas nũquam scintillare.

Cometarum subst.

Conclusio.

Occurrit Peripateticis de vacuo & penet. corporũ differentibus.

Quod ait cometas dari sine cauda, verum id autumo, sed sine cæsarie atque omni effluuio nudam, non existumo. nam neque id vllæ historiæ docent, nec ipsa cometæ ratio vel nomen admittit. Nomina verò impositã ferè diuinitus ac pro natura rei, in vniuersum demonstrat Plato, atque author est Gellius lib. 10. cap. 4. Præterea si cometæ omnes in cælo geniti forent, nulla his certa cælorũ regio in altitudine poterit assignari, cùm ferè in aliis parallaxis aliqua sit hactenus deprehensa. Et si plærosq; statuas in octauo cæ-

Aliæ rationes in cõtrariam sententiam diluuntur.

uo cælo, nonnullos in orbibus planetarum; quid nõ absurdi consequetur? quid illo fœdius, in regulari corpore moueri quippiam præter regulam, atq; ordinis rationem?

Imponit hoc pluribus, quòd paulatim extinctum putent hoc sydus nouum. quasi quod semel accesserit cælo, esse deinceps debuerit immortale. nec vident modum recessus à cometarũ inordinata ac subita vel celeri saltem extinctione tantopere differentem. sed non putauit author cùm illa scriberet tanti prodigij stellam ad hæc vsque tempora duraturam, supra quàm vsque iam antehac in cometis omnibus obseruatum est. Nec me magnopere mouet hoc argumentum quod ab effectubus trahi potest, vt mortem regis Galliarum aliasque calamitates innumeras, bella, dissidia, strages, epidimicos morbos vestigio consecutos. Maiora expecto quę sydus hoc nouum parturit, post annos aliquot, vt superiore cõmentario innuimus satis.

Alia erroris occasio.

Arg. ineffica. ab euentu.

Fuere & in Italia, qui stellam hanc dicerent à mũdi cunabulis extitisse, sed auctam luce & magnitudine: sed nihil efficiunt vt opus hoc tanto naturę sit cõsonantius, minusque vel inuiti ad metaphysica transferãtur. Addũt alij sumpsisse augmenti speciẽ sublatis vaporibus glutinosis, atque concretis inter eiusmodi stellam, quæ fuit ab origine mundi, atq; aspectus humanos, vti de cane memorant, atque obseruatione Aristotelis confirmatur. Sed hoc infringitur duplici ratione: primo quòd aspectus diuersitas phęnomeni speciẽ variasset: deinde quòd iã sublato hoc sydere nouo, ne quidẽ vel minimũ stellæ vestigium in recta relictum linea conspici possit.

Commenta quorundam inania.

Refutatio.

Peroratio. Hæc habui quæ paucis annectere quo minor de obſeruatorũm meorum fide, & diligentia dubitandi reſtet occaſio: non tamen hîc adeò indulgẽs ingenio meo, quin vt pro veritate aduerſus aliorum ſententiã amicè & candidè ſcripſi, etiã auditis rationibus quæ ſint maioris ponderis, in aliam partem ſim facilè cõceſſurus. nam in diuinis facilius quid non ſit vnumquodque, quã quid ſit verè cognoſcimus, & quanto progredimur longius tanto in altiores tenebras euagamur, iuxta illud Solonis celebre carmen,

Γνωμοσύνης δ' ἄφαντὸς ἁλεπτώλατόν ὄξι νοῆσαι
Μέτρον, ὃ δὴ πάντων πείρατα μοῦνον ἔχει.

CORN.

CORN. GEMMÆ.

In apparitionem Phosphori noui mystica διεξοδικὴ, trium temporum status, atque circuitus afflictionis Gallicæ quam breuissimè comprehendens.

ALTIVS *humanos lethæi pocula somni*
Obruerant animos, venit lasciuia diram
Sulphureis Orci regerens è faucibus Aten:
Quæ iuuenes, iuxtaq; senes, populosq;, ducesq;,
Quæ sacros hominum cœtus pariterq; profanos
Vberibus nimium saturos impleuit aristis.
Venit summa dies, furiarumq; agmina longo
Circuitu excussere comam: cecidere cruentis
Anguibus in cædem vibratæ spicula linguæ.
Iamq; pudor cessit: iam, iam probitasq;, fidesq;
Exilio, & sanctum violati numen amoris.
Ipsa adeò fugiens infensa reliquit habenas
Erigone, fractaq; legens ab arundine culmos
Abstulit, ac supera secluſos arce locauit.
Hanc simul obliquus signorum sensérat ordo,
Libra pares nocti ac tenebris qua dissecat arcus:
Protinus horrendo inflammatum crine cometen
Euomuit, raptim gelidum qui impelleret arctos,
Arcton pestiferi trepidantem à syderis igne.
Heu quianã tumido tãtus ruit æquore vortex
Inuoluens maria, ac terras, cælumq; profundum?

Causæ vicissitudinũ in rebus humanis.

Torpor.
Lasciuia.
Ambitio.
Auaritia.
Libido.
Gula.
Ira.
Inuidia.
Crudelitas.
Obtrectatio.
Fuga virtutũ omnium.
Charitatis extinctio.
Fuga iustitiæ & religionis cum vbertate rerum.
Signa prænũcia diuini furoris.
Cometa in anni 1556.
Cursus illius.
Tempestatis Gallicę in Europam vniuersam excurrẽtis allegorica delineatio

Quàm fera tẽpestas! quæ turbida mortis imago
Ceu lacerum immane sorbtura vorãgine mundum!

Principũ virorũ contentiones & fœdera.
Ceu quoties Boreã contra grauis intonat auster,
Vulturnoq; cient immites prælia Cauri:

Veritatis occultatio.
Vndique præcipiti nymbo lucemq;, polumq;
Calamitates publicæ.
Eripiunt oculis: plangunt pia vota coloni

Seditiones atque tyrãnides & mutuæ lanienæ.
Subruta, & in medijs pelagi furit æstus arenis,
Et medio accensæ conflagrant æquore puppes,

Egestas.
Hinc sylvæ, segetes: illinc animalia vento, &

Interitus miserandi.
Fulguribus percussa cadunt, vel fluctibus hærent.
Iam denota neci, gemitusq; ad sydera tollunt

Voces oppressorum.
Quo campi resonant latè, collesq; supini.

Spes sola in diuinis.
Omnibus una salus, animo in sublime reducto
Te solum agnoscant rerum dominúmque, patrémque.

Ni faciant, cunctis subeunt è partibus orbis

Miserorum extrema oppressio ab hominibus improbis & sceleratis.
Terribiles flamma, & squamosis plexibus hydri,
Quîs nunquam humano saturantur sanguine ventres,

Rapina.
Sed rapit in prædam feruens, atq; arrigit armos

Occidio.
Ingluuies, donec sanie, & crudelia tabo

Malorũ finis
Viscera disrumpat nimio conuulsa tumore.

Punctum cõuersionis humanæ primũ in cõfessione & præsentia.
Sed iam pone metus pia gẽs: en aspice sursum,
Lustratoq; refer superîm ad tectoria vultus.

Præmunciæ signa diuinæ clementiæ.
En tibi qua sæui præmuncia flamma furoris
Iamdudum in tenuẽ discerpta euanuit æthram,

Nónne

Nonne vides auri bullis ostrogq; decoram
Cassiopen, iuxtà miseris quam vincta catbenis
Filia, cui summum subuectus in aëra Perseus
Erigit exultans cæso serpente trophæum,
Seruatamq; thoro sociam pro munere poscit?
Scilicet in solij plintho, ac radice sub ima
Exoritur noua lux, aliusq; simillima stellis:
Maior mole tamen, multo & radiantior, axem
Circuitu torquet celeri, tum semper ijsdem
Partibus, atq; pari figens vestigia tractu,
Immensum stabili splendore illustrat Olympum.
Obstupefactus Athlas, septẽ obstupuere Triones
Hactenus insolito imprægnari sydere mundum,
Vel bis octonos dum luna reuoluerct orbes.
O quæ nunc rerum facies! vertigine quanta,
Certior at seros subit inspectura nepotes!
Nunc video quantum crassa sub nube tueri
Dat pater omnipotẽs. Aeterni hoc lumẽ amoris,
Hæc Domini fax est: Tholus ipsam lacteus altè
Conspicuam medio sustendit fornice templi
Circumagens: nosco veteris vestigia flammæ,
Et crucis effigiem, & literæ signacla bicornis,
Cui quondam (colubri multorũ vbi millia morsu
Conciderant) coluber sustixus, numine certo
Obuersis in se facies à morte redemit.
O Deus, eruge Deus, tandem caput exere cælo
Pronior oppressæ in gemitum, & sustpiria plebis.

Sydus cassiopæ atque eius allegoria.

Andromeda. Perseus.

Phænomenõ syderis noui, & illius locus. Species. Magnitudo. Splendor. Motus. Status. Pulchritudo. Raritas. Duratio.

Præsagium perobscurum.

Qualis hic typus existat.

Esse prodromam summi Imperatoris. Analogia loci & characterismi.

Figuræ ✝ ac literę Y vel T. Serpentis aheneĩ symbolũ in deserto è furca suspẽsũ.

Inuocatio diuinę clemẽtię atq; iustitiæ.

Vices alterius hemicycli.

Verte vices hominum: puri iam nectaris hauſtum,
Funde pio generi: maneat ſæx ſola ſuperbos.

Pacis ac iuſtitiæ mutua ex oſculatio.

Iam redeat virgo, & iunctæ concordia dextræ,

Eccleſia à calamitatũ turbine reflorеſcens.

Et tibi ſponſa tuo ſub verbo læta triumphet,
Impolluta ſacris adolens altaria donis.

Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi: pax & iuſtitia oſculatæ ſunt.

amo 85.

D. DOCTORI C. GEMMÆ MEDICINÆ APVD LOVANIENSES REgio ac ordinario professori,

VICTOR GHISELINVS IN EIVS DIuini ingenij monumentum.

DIVINE *ætheris ignei Pyrope,*
Quouis sydere clarior per orbem,
Qui fugas radiis tuis tenebras,
Instar phosphori agens diem serenum,
Humanisque oculis noua arte totum
Pandis æthera, & ignium latenteis
Aspectus reserans: tonantis iram,
Fortunæq; vices, ducúmque fata
Præsagis, (ea luminis tui vis)
Sancta inquam aura, suauis aura, quàm te
Nouisse, & propius videre gestit,
Tam audacter, cupideq; Giselinus
Hoc offert tibi conditum arte nulla,
Nullo Apolline carmen, æstimator
Tui maximus ingenij, liceret
Si tandem, posituras ædem & aras:
Tam tuum colit ille amatq; numen.
At templum tibi magnus est Olympus,
Terra hæc ara, nec ipse consecrari
Tibi vt victima grata iam recusat.

Quo fit illustrior theoria syderis noui: puto non parum me commodo & voluptati publicæ consulturum: si & hoc literarum exemplar Germania ad nos transmissum, ad calcem operis subnectamus.

D. CORN. GEMMÆ MEDICINÆ Doctori & professori publico in Academia Louan. amico suo singulari T. Thad. Hagesius ab Hayck, aulæ Cæsariæ Maiest. Medicus, S. P.

NE quæso tibi vir doctissime mirum videatur, quòd ignotus meis literis te compellare non verear: coniunctio enim eorundem studiorum, ac singularis tuæ humanitatis prædicatio, denique eruditionis eximiæ viua testimonia excitarunt me, vt tecum de his quæ abs te de noua stella edita sunt, placidè, amanterque conferrem, meamque sententiam liberè apud te explicarẽ: quod te beneuolè accepturum esse confido: siquidem coram conuenire non possimus hoc tẽpore, ac spes quæ nobis de tuo ad nos aduentu iecta fuerat, iam concidisse videatur. Placet mihi tuum illud scriptum de noua stella, eoque mirificè sum oblectatus: tum ob eruditionem & sapientiã, tum ob dicendi grauitatem. Ac ingenuè dico & sentio: neque id tuis tãtùm do auribus, sed apud omnes eruditissimos viros apertè profiteor: cũ plurium legerim scripta de eadem stella edita, nullius tamẽ alterius magis mihi placuisse, meoque desyderio satisfeciisse, atque tuum. quod à meis cogitationibus quas illo tempore ad amicum scribens effuderam, vsqueadeò parũ abfuit, vt propemodum idem

idem,& ex alterutrius fonte deductum videretur.

Cùm autẽ ſcientia huius luminis noui multo maxima, ex parte dependeat à cognitione ipſius naturæ, cæleſtis eadem, an elementaris ſit: ac eam ſubſtantiam loci cognitio nobis prodat: locum verò ſola notitia parallaxeos omnium euidẽtiſſimè demonſtret:attentius cogitare cœpi,quo modo eandem inueſtigarem. Et vt in idem ſtudium plurimi incumberent, non modò orabam maximopere, ſed etiam coram,necnon per literas diligenter plærosque monebam:ſiquidem illius ſolius auxilio totam controuerſiam de materia eiuſmodi ſtellarum apud philoſophos dirimi poſſe videbam. Et quanquã amplius decennio mathematica ſtudia deſeruerim: nec aliquid meorum librorum in eo ſtudij genere huc detulerim mecum: tamen inſolens apparitio huius tam noui ſyderis excitauit vt intermiſſa hæc aliquo pacto ſtudia reuocarem: eoque aliquid temporis,ab aliarũ rerum maximè neceſſariarũ occupatione ſurriperẽ. Facta igitur mihi ab amicis quorundam neceſſariorum librorum copia,quędam copioſius in hanc materiem commentatus ſum: adiunxique firmiſſimam demonſtrationem, quòd hæc ſtella omnem prorſus excludat parallaxim: & propterea ad regionem ętheream ſit referenda. Tu nihil certi aſſeuerare auſus es, alij penitus eã reticuerunt. Solus Andreas Nothius in Germanico quodam ſcripto, 39. min. eam ſe deprehendiſſe contendit:atque id circa ſuperiorẽ Meridiani partem: quod haudquaquam fieri potuiſſe iudico. In ipſa obſeruatione,& datorum aſſumptione, virum alioqui eruditum, lapſum eſſe deprendi: ac potiſſimum in tempore inter duas obſeruationes

Analytícè docet ad certam ſcientiam rei ignotæ peruenire.

Sydus nouũ nullã habuiſſe parallaxim.

Concludit de loco ſyderis.

Errorũ proclĩuitas in obſeruando.

interiecto. quod ille minus iusto accepit, cùm putaret nouam stellam culminare, quæ ipsum cæli culmẽ nondum attigerat. Habeo etiam alio obseruationes istius nouæ ad stellas fixas, de quibus aliàs. Nunc indicare cupio, in quibus à te dissentiam.

Obseruatio sydoris noui.

Tu latitudinem nouæ ponis eandem prorsus cũ vndecima. In lõgitudine verò nouam ab eadem 21. min. promoues, quod fieri non potuisse ipse oculorum sensus docuit, docetque etiam nunc. Nam vndecima illa perpetuo iusto interuallo videbatur distitisse à noua, nimirũ 1. g. 24. m̃. vt mea docet obseruatio. Si enim tantummodo 21. min. distitisset, vix conspici ob auguſtum nouæ lumen potuisset. Declinationem noui syderis quã ponis, ea verisimè quadrat vndecimæ, non nouæ. Hæc ablata à quadrante, relinquit 29. g. 21. distantiam vndecimæ à Polo. At tu dicis eam 30. g. 40. min. quod neque nouę neque vndecimę quadrare potest. Sed neque distantia illius à stella polari rectè respondet: quam ponis 23. g. 48. min. Nam vndecima distat ab eadem 25. g. 49. min. vt calculus mõstrat, aut vt mea obseruatio crebra repetitione confirmata, 26. g. 34. min.

Rursus ponis distantiam nouæ à clara in dorso Cassiopæ, 6. g. 58. min. quam ego sæpius 7. g. 47. deprehendi. Existimo te hîc in aspectu deceptum esse, ac pro secunda stella tertiam accepisse; cuius distantiam ego reperi 7. graduum integrorum. Nam ipse quoque cum Domino Fabricio Polo in consyderatione similiter fuissem deceptus, cùm applicato radio tertia mihi occurreret, ac secundam ipsa pinnula mihi obtegeret, nisi mox diligentius aduertissem.

Distan-

Distantiam nouæ à quarta statuis 4. g. 28. min. ego 4.g.51.min.

Distantiam nouæ à cathedra seu numero duodecima ponis 4.g.40.min. ego 5.g.15.min.

Hæc sunt in quibus à te dissentio: quæ si diligentius expendere voles, facilè existimo mihi subscribes. Est enim in obseruationibus procliuis lapsus, vt ipsus optumè nosti. Et quanquam error *ille* non est vsque adeò magnus, tamen quia est quædã inter me & te differentia, posset ea fortè apud studiosos rerum cæleſtium aliquid suspicionis de artis incertitudine mouere. Itaque duxi te de his amicè & familiariter commonefaciendum esse, vt si videatur tibi ea corrigas, quæ res authoritati tuæ atque doctrinæ nihil detrahet, imo eo maiorem apud doctissimos viros tibi conciliabis admirationem: quòd veritatis cõseruandæ gratia, etiam in propriis scriptis litura quædã subducere voluisti: meum consilium est, pluriũ scripta quæ habere potero de hac stella, vno volumine edere, vt hoc ostentum apud posteros perpetuæ memoriæ consacretur, extetque apud eosdem nostræ cuiuscunque tandem diligentiæ testimonium. Vides enim mi Gemma quàm ieiunas præteritorũ cometarum habeamus descriptiones: vt verè pudeat, tot eximios mathematicos in ea re tãta tam fuisse negligentes. Vnicus Regiomõtanus, & Voghelinus olim mathematicus Vinermensis, præ cæteris etiam post cineres laudem obtinent: quòd cometas sui temporis eruditissimè, exactissimeque cum sua parallaxi, & aliis passionibus descripserint, ac demõstrauerint. ille quidem cometen anni 1475. hic anni 1532. neq: his ego simile quicquã vidi, ac placeret quibusdam illo-

Verè germanicus candor.

Exempla insignis industriæ.

illorum quoque ſcripta quæ hunc ad modum rara reperiuntur, noſtro volumini adiungi; in quo tamen tuum quoque cupio audire iudicium. Tuum verò ſcriptum cũprimis adiicere vellem, quod vt tua pace & venia mihi facere liceat abs te peto.

Non volui abſque tuo ſcitu & voluntate (quod humanitati ac beneuolẽtiæ adſcribes) in tuos partus vllam mihi licentiam vendicare: donec de certa voluntate tua reſponſum atque vnà caſtigatum tuum illud ſcriptum acciperem. Quod vt quamprimum facias, abs te, propter communia ſtudia, & propter amorem veritatis amanter peto: tibique certò perſuadeas, quòd à me non modò ameris, verùm etiam diligaris & obſerueris. Bene vale. Viennæ Auſtriæ 16. Nouembris, Anni 1573.

Copia de carta de ſu Maieſtad al Duque de Alua en recommandacion del Doctor Gemma Friſio.

EL REY.

DVQVE primo, yo he entendido como por la buena informacion que hauiades tenido de las letras, ſufficiẽcia y buenas partes del Doctor Gẽma Friſio, lo proueyſtes la lectura y cathedra de Medecina en la vniuerſitad de Louayna, y que alli tiene tal nombre y eſtimacion, y es tan vtil en el enſeñar, y en lo que va eſcriuiendo, que ſe ha tenido por muy acertada prouiſion, y teniendola yo aſſimeſmo por tal y voluntad de le fauoreſcer y hazer merced por las miſmas cauſas, y por la memoria que tengo de lo bien que el Doctor Gemma ſu padre ſiruio al emperador mi Señor que eſta en gloria, os lo he querido ſignificar por eſta, y rogaros y encargaros mucho, que continuando el fauor que le haueis commençado à hazer, le tengais por muy encomendado en todo lo que ſe le offreſ-

ciere

ciere y el tocare, para le animar, à que pueda trauajar con mas satisfacion, Quæ yo la recibire de lo que por el se hiziere. De Madrid, a xxv. de Iulio 1569.

YO EL REY.

Cayas.

Hoc opus, à diuersis doctis examinatũ; diligenter & ipse perlegi; nec quicquam deprehensum est quod Catholicæ fidei, aut tranquillitati reip. aduersetur. M. D. LXXIIII. *die* XX. *Iunij.*

I. Molanus, Apostolicus & Regius censor.